96 **Furno (Du Four), Vitalis de.** Pro conservanda valitudine, ad totius humani corporis morbos et aegritudines, salutarium remediorum liber. Moguntiae, Ivo Schoeffer, 1531. Fol. 10 unn. ll., 271 numb. pp. With many nice, partly figurated initials. Bds. Frs. 180.—

Panzer VII, 420, 93. Very rare. First edition of this important medical work. The author was a barefooted monk and cardinal-priest, and bishop of Albano. He lived in the 14th century. The work contains many interesting chapters, e. g.: de appetitu, de capitis passionibus, de complexione corporis humani, de cantu harmoniaco, de castratis, de morbo caduco sive Epilepsia, de dentibus et eorum passionibus, de lepra, de mulierum abortu, de conditione puerorum, de somniis, de vino et eius natura, de urina. — On f. 9v we find a short preface from the Iusiurandum of Hippocrates.

Good and large copy, the blank margins of the last ll. slightly waterstained and wormed.

D. VITALIS DE FVRNO OLIM CARDINALIS, ARCHIATRI VT INSIGNIS, ITA ET PERITISS. PRO CONSERVANDA SANITATE, TVENDAQVE PROSPERA VALETVDINE, AD TOTIVS HVMANI CORPORIS MORBOS ET AEGRITVDINES, SALVTARIVM REMEDIORVM, CVRATIONVMQVE LIBER VTILISS. IAMPRIMVM IN STVDIOSORVM VTILITATEM E TENEBRIS ERVTVS, ET A SITV QVANTVM LICVIT, VINDICATVS.

Rerum & uerborum in eundem Index.

MOGVNTIAE ANNO
M. D. XXXI.

Cum gratia & priuilegio Cæsareo.

REVERENDO PATRI D. LAVRENTIO EBERBACENSIS MONASTERII ABBATI MERITISSIMO, IVO SCHOEFFER TYPOGRAPHVS MOGVNTIACVS S. D.

NEMO QVIDEM INFICIAS ire potest (Reuerende Pater) eos, qui uel ingenio, cura, aut facultatibus deniq; elaborarunt & conati sunt, quò rei literariæ, posteritatiq; prodessent, omni laude esse dignissimos. Et quemadmodum etiam ex omni scriptorū genere hij demum de humanis rebus q̃ optime meriti esse censentur, qui nobis recte uiuendi, iusticiæq; callē, & quasi uirtutū quoddam exemplar omniū præmonstrarunt: ita & illi quoq; summis digni honoribus, suspiciēdi, uenerandiq; sunt, quorum uigilijs, studio & industria diuinam hanc artem medendi illustratam, ampliatamq; accepimus. Quandoquidem istius beneficio humani corporis compaginem, animi, atq; adeò uitæ nostræ incolumitatem ab omnibus morborum, ægritudinumq; ingruentibus malis uindicamus, tutamur, conseruamusq;. Sanitas quippè, seu corporis ualetudo prospera, in hac uita perhibetur optima. Quid igitur hac arte diuinius? quid melius & salubrius homini ab immortali Deo largiri tribuiq; potuit? Huius præterea tanta dignitas, usus & authoritas, ut nullius præconijs indigeat, aut satis digne nunquam laudari queat. Quod autem Vitalis medicus ille insignis, qui ad hunc usq; diem cum tineis & blattis rixatus, nunc recēs à tenebris in lucem editus, id beneficij, rei medicæ candidati, tuæ R. Paternitati acceptum referent. Istius nanq; authoris copia tuo ex monasterio Eberbacensi pro tua singulari ergà literas humanitate, in publicam studiosorum utilitatem, nobis beneuolentissime facta est. Pro quo tuo in nos diuino offitio, & omnes bonos tam pio affectu, gratias habemus amplissimas. Quando ergo Vitalis hic tuus per te nunc reuixit & refloruit, di-

gnissimum sanè fuerit, hunc eundem tibi nunc dicatum, sub tui nominis auspicio feliciter hominum in manus uenire. Quem enim humaniorem, melioremq; te Patronum habere queat, scio neminem. Præsertim in quo tam absoluta quædam elucescit pietas, animi modestia, eruditio haud uulgaris, sapientia deniq;, omnisq; adeò uirtutis exemplar quoddam ad imitandum pulcherrimum. Quàm fidum autem egerit medicum atq; probum Vitalis noster, ex hoc suo uolumine quisq; legendo facile deprehendet: Siquidem in eodem morborum caussas, signa, eorundemq; remedia, ac tocius humani corporis symptomata, simplicium quoq; naturas, uires insuper & medicinas perspicaci ingenio, cura, fideq; optima, non minus erudite quàm diligenter prosecutus est. Nos quoq; in eo excudendo sedulam nauauimus operam, ut quoad fieri posset, emendatissime excuderetur. Cæterum exemplaris tam prodigiose corrupti uitio, uigilantibus, eruditorumq; acri iuditio quædam, sed tamen pauca discutienda reliquimus. Absq; synceriore etem codice, nisi certissimis ducti indicijs, addere uel immutare, nihil temere tentauimus, unicuiq; liberum relinquentes iuditium. Quo uero tempore hic Vitalis floruerit, ipse testatur. Nam sub libri finem de Smaragdi uirtutibus loquens, se temporibus regis cuiusdam Hungariæ nomine Bela, uixisse indicat. Tui iam candoris erit Pater Reuerende, Vitalem archiatrum tam frugiferum, nec inter postremos numerandum, tuam in tutelam suscipere, & nostram hanc qualemcunq; operam pro tua singulari humanitate, meaq; in te obseruantia, boni consulere. Christus seruator Opt. Max. tuam Reuerendam Paternitatem, unicum Abbatum decus, diu incolumem seruare dignetur. Moguntiæ ex officina nostra chalcographica, Nonis Septemb. Anno ab orbe redempto

M. D. XXXI.

VOCVM ET RERVM SCITV AC memoratu dignarum in hoc uolumine contentarum, INDEX.

A

B

Butyri

Dolor

Iacra

I

L

M

N

O

P

Papauer

Q

R

T

V

Indicis in Vitalem de re medica finis.

ERRATA, QVORVM NONNVLLA COR-rupti exemplaris uitio commiſſa ſunt, ſic caſtigato.

Pagina 2. Verſu 27. lege, intenduntur. & mox verſu 29. lege, & intenſus
Pag. 6. verſ. 1. lege, Oxyſaccaron, & ſiſia
Pag. 12. verſ. 14. lege, quando diſtillatur
Pag. 13. verſ. 26. lege, corporoſſæ lib.j.
Pag. 18. verſ. 33. lege, Hederæ
Pag. 20. verſ. 24. lege, uel ellychnium de bombice modicum contortum
Pag. 34. verſ. 8. lege, doloris Iliaci
Pag. 35. verſ. 7. lege, decoquatur
Pag. 40. verſ. 4. lege, cauſſa eſt repletio, ulcera, ſcabiem &c. & verſ. mox 18. lege, coturnicibus eſt cibus
Pag. 44. verſ. 20. lege, immoderatæ prouocentur
Pag. 45. verſ. 4. lege, ſed ſymptomaticus. & mox verſ. 26. lege, ſine interpolatione
Pag. 47. verſ. 6. lege, Item Radix quæ eſt frutex radicis &c. per Radicem Raphanum intelligit
Pag. 56. verſ. 33. lege, Iuſquiamus
Pag. 57. verſ. 16. lege, ſi plenum inuenerit uentrem, laxat, ſi uacuum, ſtringit
Pag. 62. verſ. 37. lege, lactentes
Pag. 66. verſ. 16. lege, lenificando
Pag. 70. verſ. 1. lege, remedium. & verſ. 2. perungantur
Pag. 72. verſ. 7. lege, ſuper ignem ſacrum poſitum
Pag. 77. verſ. 14. lege, Ladanum
Pag. 87. verſ. 34. lege, uiuificat, uſq; ad perfectam digeſtionem cibum in ſtomacho retinet, &c.
Pag. 93. verſ. 8. ſi placet ita legas. Humor autem cholericus naturalis, non excedens terminos caliditatis & ſiccitatis, eſt aliorum humorum ſubtiliatiuus &c.
Pag. 94. verſ. 16. lege, tremor cordis
Pag. 98. verſ. 12. lege, Caſtoreum
Pag. 112. verſ. 13. & 14. lege, In pueris etiã urina magis groſſa eſt ex cibo uiſcoſo
Pag. 117. verſ. 31. lege. Caſeus enim recens uentrem humectat &c.
Pag. 119. verſ. 1. lege, hederæ ſucco
Pag. 126. verſ. 3. lege, capitellorum
Pag. 131. verſ. 25. lege, papaueris
Pag. 139. verſ. 17. lege, diſgregatur. & mox verſ. 20. lege, ſopiti caloris lima
Pag. 141. verſ. 32. lege. aliquando eſt morbus per ſe. & fit &c.
Pag. 147. verſ. 11. lege. Ad experienda uina. & mox verſ. 24. lege, cuius ſuper folia ros cadens
Pag. 151. verſ. 17. lege, Lacte folior; ficus
Pag. 154. verſ. 21. lege, cholera nigra aduſta in corpore peſſimas &c.
Pag. 158. verſ. 11. lege, commune ſignum
Pag. 159. verſ. 26. lege, communis
Pag. 166. verſ. 17. lege, ad ſe ranas congregare. & verſ. 32. lege, appetitus
Pag. 170. verſ. 28. lege, decoloratio. & verſ. 36. lege. De ignis conditionibus
Pag. 175. verſ. 39. lege, ciliorum aut ſuperciliorum patiuntur depilationem
Pag. 189. verſ. 34. leg. hauſtus roris à cõcha
Pag. 194. verſ. 6. lege, Pſillium, Solatrum
Pag. 199. verſ. 11. leg. coloris. 17. & 25. Mãdragora. 19. mortificatiuã. 27. Mulieres
Pag. 205. verſ. 31. lege, uſui quàm medicinæ
Pag. 208. verſ. 34. leg. ſine teſta. & verſ. 36. lege, penetratiua
Pag. 213. verſ. 14. lege. De oculorum conditionibus
Pag. 230. verſ. 7. leg. Planetarũ cõiunctiões
Pag. 271. verſ. 33. leg. à cuius proauo
Hos etiã paginarum numeros uitiatos corrigito. 67. 134. 147. 149

HIPPOCRATIS MEDICI IVSIVRANDVM.

TEſtor Apollinem medicum, & Aeſculapium, Hygiamq́;, & Panatiam Aeſculapij filias, & deos ac deas omnes, me, quantum in me erit, & quantum ingenium meum ualebit, hæc omnia obſeruaturum quæ hoc iureiurando atq; his tabellis continentur. Tributurum me præceptori meo à quo hanc artem edoctus ſum, non minus quàm parenti à quo ſum genitus, uitamq́; cum eo communicaturum. Res omnes quas illi neceſſarias eſſe intelligam, pro uiribus meis ſubminiſtraturum: progeniem eius, fratrum loco habiturum: hanc artem ſine mercede, et ſine pactionibus edocturum. Præcepta omnia liberè & fideliter traditurum, meis & præceptoris mei liberis, cæteriſq́; diſcipulis, qui ſe legibus medicinæ adſtrinxerint, atq; iurati fuerint, alij præterea nemini. In curandis ægrotis pro uiribus, & pro ingenio meo rebus neceſſarijs uſurũ, nemini ægritudinem dilaturum, nihil per iniuriam facturum. Rogatum mortale uenenum nemini daturum, neq; id cuiquam conſulturum, neq; mulieri prægnanti ad interficiendum conceptum fœtum potionem porrecturum, uitam meam atq; artem meam puram atq; integram ſeruaturum: laborantes lapillo haudquaquàm exciſurum, ſed expertis huius artis hoc negotiũ permiſſurum: quamcunq; domum ingreſſus fuero, duntaxat liberandis ægrotis operam daturum. omnem iniuriã, omnem corruptelam, omnè genus turpitudinis, res etiam uenereas ſponte mea euitaturum, ſiue muliebria corpora curauero, ſiue uirilia, ſiue hominis liberi, ſiue ſerui. quæ inter curandum uel uidero, uel audiero, uel etiam extra curam in uita hominum cognouero, quæ reticenda eſſe intelligam, nemini aperturum, ſed intemeratam taciturnitatem ſeruaturum. Præſens igitur iuſiurandum integrè atq; incorruptè ſeruanti mihi omnia, tam in uita quàm in arte mea proſpera fœliciaq; ſuccedant, & gloria in æternum parata ſit: traſgredienti uerò atq; periuro, contraria omnia eueniant.

DN. VITALIS DE FVRNO OLIM CARDINALIS, REI MEDICAE PERITISSIMI, AD VARIAS TOTIVS CORPORIS AEGRITVDINES DIVERSORVM REMEDIORVM LIBER VNVS.

De Abstinentia Cap. I.

ABSTINENTIA ET IEIVnium, si moderate fiant, non solum ad uitia cõprimenda ualent, uerumetiam summa quædã medicina sunt ad sanitatem conseruandam, & infirmitatem curandam. Qui autem sanitatem uult seruare, et infirmitatem curare, non solum caueat, ne in cibo atq; potu excedat, sed cauere etiam debet ut pensata ætate, complexione & infirmitate, à contrarijs nociuisq; abstineat. Generaliter autem est sciendum, quòd eis qui corporali exercitio non laborant, sufficit pro sanitate conseruanda, semel cibum sufficienter in die sumere. Talibus enim pluribus nocet cœna, dum crudum apponitur super indigestum, unde infirmitates pessimæ generantur, & uita hominis abbreuiatur. Quippè abstinẽtia & ieiunium moderatum, humorum consumunt superfluitates, & superflua consumendo humores purificant, corpusq; reddunt pulchrum, coloratũ, atq; habile. quod ex superfluitatibus decoloratur, deturpatur, senescit & grauatur. Vnde si cibus & potus immoderatus fuerit, humiditas nimis extenditur, & calor naturalis debilitatur, quia non sufficit ad digerendum. facit tamen quod potest. Nam calor naturalis ex illo superfluo cibo & potu sumpto aliquid resoluit. Illud autem resolutum cum resoluatur à cibo indigesto, fit fumositas quædam indigesta & grossa ad cerebrum ascendens, ibiq; miringas siue tuniculas, quibus est cerebrum inuolutum, percutiens, eas atq; ipsum cerebrum grauiter lædit. Qua ex læsione surgit dolor capitis, tremor membrorum, obfuscatio uisus, multæq; passiones pessimæ generantur. Talis etiam fumositas indigesta, obscura, furiosa, pungitiua, ex cibo potuq; indigesto procedens, & ad cerebrum ascendens (quoniã de cerebro oriuntur, inq; ipso radicantur septem paria neruorum sensibilium, & inde per totum corpus descendũt) suo acumine radices di-

Abstinentiæ & ieiunij commoditas.

multos morbos, multa fercula fecerunt.

Ex immoderato cibo atque potu uariæ generantur ægritudines.

ctorum neruorum qui in cerebro radicantur, tangit, pungit atq; lædit, & ulterius ad illorum neruorum intima penetrans ac subintrans, spiritum animalem ibi existentem impedit, grauiterq; lædit. Qua ex læsione læditur, turbatur & impeditur intellectus & ratio quantum ad usum. linguam, quæ rationis est interpres, contrahit & peruertit, usuq; debito priuat, ut patet in ebrijs, qui dolorem capitis patiuntur ex eadem caussa scilicet quia fumus ascendens percutit & lædit, exq; tali læsione capitis dolor, multæq; malæ passiones generantur. Consimili ratione causatur dolor capitis ex potatione uini nimis fortis seu acuti & penetratiui. contra talem dolorem idem est remedium quod contra ebrietatem. de quo uide in dict. ebrietas, dolor capitis. Motum etiam uoluntarium impedit retardat, aut penitus destruit, ut patet in tremulis & paralyticis. huius ratio est, quia uirtus totius corporis regitiua, quæ sita est in neruis & musculis à natura neruorum & membrorum corporis, quod ex defectu uirtutis regitiuæ (quantum ex sua dispositione non potest recipere) deprimitur & cadit, regere & erigere, ac in statu debito ponere & tenere nititur, & ad hoc conatum suum impetumq; facit. Sed præualens contra istam uirtutem ille acutus fumus, & resistens conatui uirtutis, uirtutem naturalem uincens, membrum quod neruo sensibili mediante spiritu animali regitur, deprimit. Vnde ex hoc duplici motu contrario, & pugna uirtutis naturalis, & illius fumositatis uirtute eleuante, & pondere ac malitia illius fumositatis membrum deprimente, generatur tremor in membro corporis, & tandem uirtute regitiua in totum uicta, paralysis dominatur. Hæ, multæq; aliæ passiones pessimæ illos sequuntur, qui comessationibus, ebrietatibus, & cœnis superfluis indulgent. Eadem ferè mala generat in corpore somnus immoderatus. Nã in somno remittuntur uirtutes & actiones animales, & intus incenduntur uirtutes naturales. unde clausis poris forinsecus, hoc est, clausis sensibus, calor naturalis intrinsecus ultra debitum confortatus & incensus multos humores attrahit, quos nec consumere nec digerere potest. & tunc præualente tanta humorum superfluitate, quam natura non potest regere, sequitur interdum suffocatio, interdum mors, sicut patet frequenter in dormientibus post acceptam medicinam, & in eis qui sanguinem minuerunt. In nimium uero & immoderate uigilantibus, caussa contraria contrarium operatur, quia in eis fit nimia humorum & spirituum cõsumptio. unde sequitur pallor faciei, desiccatio & attenuatio corporis, tremor membrorum, & interdum etiam mors. Eadem suffocationis ratio est in nimium repletis: eademq; ratio quod deficiant est in illis qui supra uires, & qui nimis sunt exinaniti. Item qui nimis corporaliter se exercitant, propter nimiam calorum incensionem, humorem nimis consumentem

Capitis dolor plerunq; ex uini fortis potatiõe generatur.

se destru-

ſe deſtruunt & conſumunt. In nimis uerò quieſcentibus & ocioſis contraria cauſſa contrarium operatur, quia in ipſis magna & immoderata humiditatis attractio, & nulla aut modica ſuperfluitatatis euaporatio ſeu conſumptio, nec ſpirituũ ſubtiliatio. ideoq; in talibus ſuperflua humiditas neceſſario ad putrefactionem & corruptionem diſponitur. ex qua putrefactione podagra, & infirmitates uariæ generantur. Si uerò cibus & potus ſobrie ſumantur, prædicta omnia ceſſant nocumenta.

Cæterum ſi quis nimia abſtinentia uſus fuerit, debitusq; cibus & potus corpori ſubtrahantur, humiditas ex qua corpus nutritur ſubtrahitur, & per cõſequens corpus marceſſit & attenuat̃, calorq; naturalis ꝑpter humiditatis ſubtractionẽ, & ſuperinductionẽ nimiæ ſiccitatis nimiũ incenditur, ſicq; calor nimis incenſus non inueniens humiditatẽ in quam agat, conuertit ſe ad humiditatẽ ſubſtantialẽ, in quã agendo ipſam nimis attenuat uel cõſumit. & ſic ex nimia abſtinẽtia corpus nimis attenuatur, marceſcit & cõſumit̃. De abſtinentia quære in dict. gula, ieiuniũ, comeſtio, tẽperãtia. Quando aũt dolor capitis cauſatur ex ſuperfluo potu uel cibo, bonũ eſt remediũ euacuatio per uomitũ. Cruda etiã poma comeſta, ſuperfluum uini potum multum refrigerant. Abſtinentia inſuper & ſobrietas tantam uim habent, quòd ſaliua ſiue ſputum hominis ieiuni atq; ſobrij interficit ſerpentem uenenoſum, & uenenoſis animalibus eſt uenenum. In ſumma, ſi ex cibi potusq; ſuperfluitate corpus grauatum fuerit, ſumma medicina & remedium eſt abſtinentia. Si uerò corpus nimia abſtinentia attenuatum debilitatumq; fuerit, ſummum eſt remedium, ut cibus atq; potus miniſtretur reſumptiuus, quiq́ue corpori det incrementum, ut ſunt carnes hœdinæ, gallinæ, bonum uinum & oua mollia. Vnde Hippocrates. ij. Aphoris. Quæcunq; ægritudines ex plenitudine fiunt, euacuatio ſanat. & quæcunq; ab inanitione, ſoluit plenitudo. Iſtud quoq; ſciendũ quod maiori cibo indiget homo hyeme quã æſtate, & ſecurius poteſt homo comedere hyeme illa quę ſunt durioris digeſtionis, quàm in æſtate. quia calor naturalis propter frigus externũ in interioribus uentris iucluditur, conſtringitur & adunatur. Et quia uirtus unita fortior eſt ipſa diſperſa, ideo calor naturalis fortius decoquit & operatur in cibum ſtomacho repoſitũ, hyeme quàm æſtate. Vnde in hyeme maior eſt appetitus comedendi, & fortior digeſtio celebratur. Sic enim Aphoris. i. dicitur. Ventres hyeme & uere natura ſunt calidiſſimi & ſomni longiſſimi. His ergo temporibus cibi dari copioſius debent. etenim innatus calor eſt multus, nutrimento igitur ampliori indigent. Ex contraria cauſa debent comedi in æſtate illa quæ facilius digeruntur. quia propter pororum apertionem à calore externo, calor naturulis interior euaporatur ac diſpergitur, ideoq; debilitatur. Idcirco

Nimia cibi & potus abſtinentia corpori nociua.

etiam tunc minor est appetitus, & debilior celebratur digestio. Quà de materia quære in dict.cibus,gulositas,temperantia,alimentum,appetitus,comestio,ebrietas,crapula. De conditione Aquilonaris, deq; proprietate uenti Australis,quęre in dict. complexio,oriens. De assatura siue assatis carnibus,in dict.animalia. De ablutiōe capitis,in dict. Ruta.

De natura aquarum Cap. II.

Circa naturas aquarum & earundem proprietatem sciendū est quod fontium aqua naturalium est calida in hyeme, æstate uero frigida. Quæ quidem aqua quamuis propriū id à natura habeat,ut sit frigida, hyeme tamen accidentaliter fit calida.Nam quemadmodū hyberno tempore aëris ex frigiditate corporis pori constringuntur, atq; sic calidæ fumositates siue exhalationes liberum exitum non habentes,interiora petunt,ibiq; retentæ sese conculcant & calfaciunt, ita poris terræ in superficie clausis, intus calor externam frigiditatem fugiens augmentatur.Ideò aquæ puteales & fontales hyeme magis sentiuntur calidæ quàm in æstate, quia calor naturalis contraria sibi fugiens,aëris scilicet frigiditatem,interiora petit, et in fontium puteorumq; uenis se includit. Hinc propter caloris præsentiam puteorum aquæ uel fontium,tempore hyemali non congelantur. Atq; aqua dulcis aliquando efficitur salsa & amara, quia caliditas per nimiam intensionem & excessum,dulcia uertit in amara & salsa. Vt enī ex calore intenso sanguinem exurente,sanguis in choleram conuertitur, ita aquæ per fortem ebullitionem subtiliores partes aëreas consumentē remanentibus partibus grossioribus,conuertitur in sal. Istoq; modo fit sal ex aqua in chaldariis magnis positis ad magnum ignē. par ratio est salsedinis aquæ maris. Est præterea aqua pluuialis quæ sic generatur. Calor cœlestis præcipue Solis ex terra & aqua fumos siue uapores resoluit,resolutos attrahit,et in mediam aëris regionem eleuat,ibiq; ex loci frigiditate uapores illi condensantur,deinde calore Solis eius humiditatem dissoluente,nec in totum consumente, guttatim resoluitur in pluuiam. Quanto autem nubes ex qua pluuia generatur à terra est remotior, cœloquę uicinior,tanto minoribus gracilioribusq; guttis destillat; quanto uero terræ uicinior,tanto impetuosius stillisq; grossioribus ad terram descendit. Venti etiam super mare discurrentes inuentum humorem de aquę superficie recolligunt,& in aëra deferentes,modo prędicto in naturam pluuiæ conuertunt.Quando uerò multum est de materia pluuiali in nube, & nubes est ualde densa, tunc fit fortis radiorum impressio & actio super talem nubē, & ex multiplicatione, reflectione, et confractione radiorū contra nubem generatur fortis calor,cuius uirtute

Aqua dulcis nonnunquam in salsam conuertitur & amaram.

tute & actione tandem nubes illa dissoluitur in pluuiam fortem & impetuosam. Vnde tempore nubium experimur magnum & acutum calorem cito sequi uehementem pluuiam, siquidem acutus ille calor signũ est magnæ pluuiæ mox futuræ. Tanta etiam fit aliquando caloris generatio ex radiorum aggregatione & confractione super nubem densam, quod ille uapor qui est materia pluuiæ aduritur, & ex uehementi adustione in calorem rubeum commutatur, ex hoc credit uulgus, quod aliquando pluat sanguis, teste Aristot. Est autem aqua pluuialis multum stiptica & constrictiua, ideo restringit fluxum uetris, ut dicit Constant. Est tamen subtilis substantię et leuis, plus habens aëritatis, & aereæ leuitatis, quàm aliæ aquæ, & ideo multum est alterabilis & conuertibilis in oppositas qualitates, ideoq; etiam facile putrescit & recipit corruptionẽ teste eodem Constant. Dulcior tamen est & sapidior alijs aquis, quãdo sua in puritate permanet & uirtute. Sciendum est etiam quod humidũ aqueum est partium terræ adunatiuum & conglutinatiuum. Nam ut Aristot. ait, Terra sine aqua puluis est. Ideo natura montes fecit spongiosos, et terram cauernosam, inq; multis suis partibus ac locis porosam ut sic ratione uacuitatis & porositatis adunante siccitate terræ, fiat aëris & aquæ fortis attractio ad conglutinandum partes terræ ne in puluerem resoluatur, & ad ipsam terram fœcundandam. Eadẽ est caussa uacuitatis & porositatis montium quos natura porosos fecit, atq; spongiosos ad aquarum attractionem, ut aquis è montibus descendentibus, ualles & planicies terræ fœcundentur. Quemadmodum enim sanguis per corporis uenas currens totum corpus irrigat & humectat, ita aqua per terræ uenas & cauernas fluens ipsius siccitatẽ rigat, eamque ad fœcunditatem disponit. Et quia aqua pluuialis est subtilior, leuior, & dulcior, minusque habet de terrestreitate quàm aquę fluminum aut fontiũ ideo magis & profundius subintrat terram, eamq; ob id magis fœcundat quàm alia aqua. Sciendum quoq; quod aqua non solum est potus animalium sed etiam hominum. Potus enim multiplici de caussa est necessarius. unde Constant. lib. v. cap. xxvij. dicit. Corpus siccum humectat, & humidum à corpore per actionem caloris resolutum restaurat. Potus etiam cibum qui sua grossitie ad loca remotiora per se transire non potest, per meatus strictos & angustos deportat. Potus siquidem, ut inquit Auicenna, trifariam diuersificatur. Est enim quidã potus qui est tantum potus & non cibus, ut aqua quæ non est corporis nutritiua. Est etiam potus qui est potus & cibus, ut uinum, quod, ut Constant. refert, cibum per omnes partes corporis defert, nutriens & calefaciens spiritum & sanguinem, caloremque naturalem cõfortans. Est etiam potus medicinalis qui nõ ministratur secundum uiã potus, sed magis secundũ

Cur natura montes fecerit spongiosos et terram cauernosam.

uiam medicinæ, sicut syrupus, Oxymel, Oxysacra, & similia. Vt autem inquit Constant. in sanitate custodienda, & infirmitate curanda multũ est aqua necessaria, ita oportet quod medicus non negligat aquarum conditiones cognoscere, & tribuat sanis & infirmis aquas naturæ laudabilis, caueatq; ab aquis non laudabilibus. Quædam enim aqua sapida est, quædam insipida. Aqua sapida utilis ad bibendũ, est in sua substantia clara, fontana, orientalis, leuis, cito calescit, cito frigescit. Si scire enim uis quæ aqua sit subtilior, & ad bibendum melior, in statera hoc probare poteris. Nam si eiusdem ponderis & capacitatis bina uasa impleantur, unum de aqua una, aliud de aqua alia, aqua leuior, quia minus terrestreitatis habet admistum, ad bibendum est laudabilior. Potest hoc aliter probari. Accipiantur duo panni eiusdem conditionis, & unus madefiat in una aqua, alius in alia, postea simul exiccentur, simulq; soli exponantur, ille qui primus erit siccus, in subtiliori aqua intinctus fuit. Post istam aquam laudabilior & sanior ad bibendum & utendum est aqua fontis septentrionalis. Quæ autem inter Orientem & Aquilonem posita est, Aquiloni uicinior magis laudanda est, eò quod liberè exponitur uentis septentrionalibus, & ex motu illorum uentorum subtiliatur. Et ex eadem caussa est in hyeme calida, in æstate frigida. Frigus enim septẽtrionale calorem ad interiora fontium sibi obiectorum fugat, qui calor coadunatus frigori exterioris frigoris hyemalis obuiat & resistit, & aquam fontis aliquantulum calefacit. Vnde tales fontes hyeme fumant ratione caloris intus inclusi & coadunati. In æstate uerò econtrario, quia calor exterioris aëris, naturalem aquæ frigiditatem uincẽs, eius frigiditatem fugat ad capita seu radices & origines fontium, quæ frigiditas ibi coadunata, aquam totam infrigidat, teste Macrobio. Aquæ itẽ fontium quæ oriuntur & erumpunt, perq; uias sabulosas, arenosas, lapidosas, calculosasq; fluunt, subtiliores sunt, & per consequens ad bibendum laudabiliores. Quia sabulum & arena, lapilli & calculi retinent uiscositatem, limositatem, & grossitiem terrestrem aquæ transeuntis, atq; ita eam clarificãt, mũdificant, & subtiliant. Cuius argumentũ est, quia quando nauigantibus in mari dulcis aqua deficit, dolium uel aliud uas sabulo aut arena implent, & desuper infundunt aquam salsam maris, illa tandem aqua per sabulum sic colata, dulcis redditur & potabilis. Siquidem aquæ salsedo causatur ex forti adustione & actione caloris in aquã, qui subtiliores partes, magisq; aëreas de aqua extrahit, & partes grossiores, ac magis terrestres adustæ remanent. Adustio autẽ amaritudinis est caussa, ut uidere est in cineribus & urina, quæ ex adustionẽ habent amaritudinem. Aqua autem per arenam aut sabulum colata, grossitiem adustã dimittit, quodq; in ea est subtilitatis colando descẽdit & exit.

Saturnaliorum lib. 7. cap. 8.

& exit. Contraria ex caussa fontium aquæ lutosis in locis, paludosisq́ue fluentes uel in terra argillosa, quia in trãsitu per talem terram fontes eis admiscentur lutosi, ad bibendum minus laudabiles sunt. Aqua item fluens, è monte cadẽs super terram fortem & lympidam, uel super arenam mundam, non limosam nec lutosam, ad bibendum est laudabilis, eadem ratione quia transiens per poros montis ibi denudatur, & depuratur à sua grossitie & terrestreitate. Item aqua pluuialis teste Hippocrate, ad bibendum est aliĳs aquis laudabilior, maxime cum fuerit quietata & depurata, quia est omnibus aliĳs subtilior, leuior, mundior, et magis depurata à terrestreitate ac grossitie, quoniam, ut dictum est, generatur ex subtilioribus aquæ partibus per actionem solis supernè eleuatis. Vnde Hippo. Pluuia est fluuius aquarum à sole attractarum. Natura autem solis tantum quod subtilissimum est attrahit & sursum eleuat. ideoq; talis aqua quemadmodum cunctis est subtilior, ita omnibus digestibilior utiliorq;. Quare aqua pluuia in cisternis frigidis & bonis à putredine est præseruanda, propter ipsius enim subtilitatem citius putrescit quàm aliæ aquæ. Omnis enim aqua quanto subtilior, tanto citius admittit corruptionem. & aqua putrefacta si bibatur uel in usum assumatur, febres & infirmitates generat & raucedinem. Aqua item collecta de pluuia quæ tenuissime & minutissimis guttis destendit, & tempore quieto, maxime ut fit in Aprili & Maio, melior est. Quæ etiam cum tonitruo descendit, admodum bona est. sed non sicut illa, quia tonitruũ in motu & concussione huiusmodi aquam subtiliat, & partes grossas à subtilibus separat. Istud autem scire conuenit, cauendum esse omni tempore à frequenti potu aquæ frigidæ, ĳs maxime qui aquam bibere non assueuerunt, sed alium potum. Nam ut Constãtinus refert, qui frequẽter aquam bibunt frigidam, frigidas ægritudines non euadunt, ut hydropisim & similia, præsertim in senectute, quando naturalis est calor debilior, ac minus potens ad digerendum, ideoq; senibus aquæ potus minus conuenit. Item si interdum aqua calida bibatur ieiuno stomacho & aliquantulum de agresta cum illa aqua calida seu tepida misceatur, ut inquit Constant. & experientia docet, talis potus lauat stomachum à ciborum fecibus. purgat phlegma, & omnem putredinem soluit, uentrem laxat, purgat & mundat, naturam alleuiat & confortat. Talis autẽ potus aquæ calidæ inprimis utilis est in æstate, quando uirtus digestiua est debilior, pluresq; dimittit superfluitates, & maxime est utilis illis qui cœnas frequentant gulosas, qui uesperi seu nocturno tempore grauati sunt crapula. Huiusmodi potus sæpius uomitum prouocat, sicq; miris modis stomachum purgat, caput alleuiat, totumq́ue corpus, clarificat et uisum. Hoc tamen cauendum, ne nimis frequenter id fiat, alioquin sto-

Quibus frequens aquæ potus sit uitandus.

machio noceret, ipsumq́; remolliret, uirtutem digestiuam impediret, casum appetitus induceret, sanguinem de naribus manare & exire faceret Aquæ item ex niue, grandineq́; resolutæ, cæteris sunt omnibus illaudabiliores. Suntq́; peiores adhuc aquę lacuales & palustrales. In genere autem sciendum est, quod potus cuiuscunq; aquę, illis maxime qui uinum bibere assueti sunt seu potus alios, fugiendus est, quia splen lædit, stomachum et hepar grauiter offendit, uarias in corporibus febres generat lapides in uesica gignit. quod si aliquando aut in sanitate aut in infirmitate aquam bibere necessum fuerit, secundum Auicen. antequam bibatur, bulliri debet. Aquæ uero insipidæ seu ad bibendum inutiles, communiter & communi usu multas habent differentias. Quędã enim aqua

Aqua salsa. est salsa, quæ si aliquando moderate bibatur, uentrem ligat & cõstipat, corpus desiccat, scabiem & putredinem curat non solum si bibitur, uerumetiam si locus scabiosus tali cum aqua lauetur. Hydropicos etiam si bibatur iuuat, si cibus huiusmodi cum aqua præparetur & decoquatur.

Aquæ sulphureæ natura & proprietas. Est & aqua quædam sulphurea, nõ quod aliqua aqua de sui natura sit talis, sed istam naturam & saporẽ trahit, quia fluit per meatus & uenas terræ sulphureas, à quibus talem & naturã & saporem recipit. Talis aqua si interdum bibatur, uel cibus cum ea coquatur, contra frigidas ualebit infirmitates. neruos calefacit, & humores intercutaneos consumit. Aqua uerò sulphurea, à natura sulphuris has habet ꝓprietates, quoniã naturæ est feruentis & igneæ. Aquæ enim per sulphureas uenas meantes, ex ipsius sulphuris ui ignea tantum calorem interdum contrahunt, ut etiam tangi non possint sine adustione & læsione, ut patet in balneis calidis naturalibus, quæ aquæ saporẽ, odorẽ, efficatiamq́; sulphuris secum trahũt. Nulla enim res tam cito inflãmatur quàm sulphur, unde fit, quod montes quidam nocturno tempore uidentur ardẽtes propter uenas sulphureas quæ sunt in ipsis. quemadmodum in Vulcanio monte Siciliæ. & in Burgundia, ubi fons quidam (ut fertur) uocatus est fons

Fons ardens. ardens siue lacus, in quo fax accensa extinguitur propter humiditatem, extincta uero propter calorem igneum sulphureũ accenditur. calidus enĩ est & siccus in quarto grad. Pro medicina aũt eligendũ est sulphur quod fundĩt, translucet, nitet et resplendet, quodq́; in igne positũ colorẽ facit uiridẽ atq; pinguem. Tale sulphur uirtutem habet dissoluendi, cõsumendi, attrahendi, subtiliandi, attenuandi. ideoq; tussim prohibet, epilepticos iuuat, scabiẽ purgat, uenenis obuiat, lethargicos, ubi fumus eius ad nares positus, excitat. artheticos, podagros & paralyticos iuuat, si talibus infirmitatibus debito modo apponatur seu applicetur.

Natura aquae aluminosae. Quædam etiam aqua est aluminosa, quæ infrigidat, desiccat, restringit fluxum sanguinis, hæmorrhoides curat. Quædã aqua metallina dicitur, quod per uenas

uenas fluat terræ, in quibus metallum generatur, contrahitq́ue naturam & effectum illius metalli, quemadmodum de aqua sulphurea dictũ est. Nam aqua per terræ uenam in qua ferrum nascitur, transiens, uentrem constipat, membra confortat, splen deopilat, apostema curat. Tales autem aquæ per uenas sulphureas, metallinasq; transeuntes, in potum sumi minime debent, sed pro medicina solum eis est utendum. Est quoq; alia aqua artificialis, dicta Ptisana, quæ hoc modo fit. Accipe ordeum bonum & electum, & contere in mortario donec bene fuerit decorticatum, tali de ordeo fit cibus siue pulmentum bonum, & nutritiuũ pro illis precipue qui carent dentibus. Deinde ordeum sic decorticatũ bene & mundatum, in aqua fortiter bulliatur usq; ad aliquãtum exitum medullæ ordei, talis aqua postquam fuerit infrigidata & quietata, optimus est potus, & utilis pacientibus febres, aliasq; calidas passiones. Est enim cibus & potus, sitim extinguit, calorem febrilem mitigat & alterat, sanitatem custodit, si tempore calido & sero quãdo homo lectum intrat, bibatur. Aqua item quæ stillat de uite quando putatur ex loco in quo uitis uulneratur, talis lachryma siue aqua uitis in collyrijs ponitur. Si etiã oculi aqua illa lauentur, eos mundat & clarificat. Si potetur sæpe, calculum siue lapidem in uesica frangit, uisum acuit, oculorum lippitudinẽ tollit, morsibus animalium uenenatorum & intoxicationibus ualet, uẽtris fluxum constringit. Sciendum est etiam quod aquæ uernali tempore minus sunt ad bibendum sanæ, quia illo tempore à uaporibus resolutis ingrossantur, & à ranis alijsq; uermibus id temporis semen projcientibus, inficiuntur. ideò Constant. consulit, ut si illo tempore quascunq; aquas necesse sit bibere, prius decoquantur & bulliantur, ut per ebullitionem purificentur & subtilientur. Sciendum est etiam quod aquæ in partibus occidentalibus non sunt ita laudabiles ad bibendum sicut alijs in partibus, quia sol paruam in occidente moram facit, ideoq́ue partes occidentales non habent aërem perfecte temperatum in calore & humore, necq; illis in partibus aquæ sunt ita claræ, puræ, desiccatæ, sed turbidæ, quia in principio diei radijs à solaribus non tanguntur, nec ab ijsdem digeruntur, aut depurantur. Aqua item è niue resoluta si potetur, actuali sua frigiditate fluxum uentris reprimit & constringit, fluxum etiam sanguinis, narium. neruos percutit, contrahit & opilat, membra reddit stupida, quasiq́ue dormitantia, quoniam neruos lædit, lapidem in uesica gignit, frigidam hydropisim prouocat & nutrit teste Constant. Aqua itaq; niuis plurimũ nocet maxime si bibatur stomacho ieiuno. stomachũ enim percutit, lædit & contrahit, tussim gignit, dentes stupefacit. Et quoniam fontium aquæ naturam atq; saporẽ suũ trahunt terrarum & uenarum per quas fluunt, ideò diuersi fontes, siue

Ptisanæ aquæ artificialis preparatio.

Aquæ occidentales cur ad bibendum illaudabiles.

diuerſorum fontium aquæ diuerſas habent uirtutes & proprietates. Vnde Iſidorus lib.xiij. Eſt fons in Italia, cuius aqua ſanare conſueuit uulnera oculorum ſi cum eadem lauentur. Eſt itē fons in Aphrica, cuius aqua uoces reddit ſonoras. Fons quoq; in Bohemia duplex, quorum unus memoriam, alter obliuionem inducit. In Aethiopia item eſt fons rubei coloris, ex quo ſi quis biberit, ſtatim quaſi lunaticus efficitur. Item in Sicilia ſunt duo fontes, quorum alter mulierem ſterilem facit & animalia, alter uero ſterilem fœcundat. Eſt præterea fons in Idumæa, quater in anno mutans colorem. Tribus nanq; mēſibus uidetur pulureus, ac ſi eius aquis eſſet puluis admixtus. tribus menſibus uidetur ſanguineus. tribus uiridis. tribus quoq; menſibus eius apparent aquæ lympidæ & claræ, taliaqúe multa inueniuntur in aquis diuerſorum fontium, ex quibus patet quod fontium aquæ & puteorum ſapiunt & retinent naturam ſui fundi, & meatum terrarum uenarumq; per quas trāſeunt, tam ad bonitatem, puritatem, ſaporem, colorem, proprietatem, quàm ad contraria. Sciendum quoq; eſt, quod aqua fontium qui ſcaturiunt de petra uiua, laudabilis eſt ad bibendum, propter cauſſas prædictas. Aquæ etiam quæ ex alto deſcendunt, & in loco demiſſo ſupra petram cadunt uel arenam, ſunt laudabiles. quoniā tali ex caſu uapor terreſtris aquæ admiſtus diſcutitur & ſeparatur, & per conſequens aqua ſubtiliatur & depuratur. Illud etiam ſciendum quod puteorum aquæ minus laudabiles ſunt ad bibendum quàm aquæ fontium, quoniā Conſtantino teſte, aquæ puteales groſſiores ſunt & indigeſtibiliores, cum propter terræ ſalſuginem & limoſitatem, tum propter ipſius aquę quietem, & propter elongationem ab aere & ſole. Quando autem puteus foditur propè aliquem fluuium, illius fluuij aqua per meatus ſubterraneos ad puteum fluit, ideoq; talis aqua putei conditionem habet et proprietatem illius fluuij. Aqua item puteorum quoniam eſt in quiete, frequenter contrahit corruptionem, nam minime mouetur, nec euaporatur, unde aqua in lacubus, paludibus & ſtagnis corrumpitur. Quocirca neceſſe eſt ut puteorum aquæ frequenter moueantur, hauriant urq;, ſiquidem tali ex motu aqua depuratur, àque corruptione præſeruatur.

Diuerſorum fontiū miræ naturæ.

Aqua putealis.

Quanto autē aqua putealis terræ uiuæ eſt uicinior, ut in puteis eſt profundis, tanto aqua eſt frigidior, dulcior atq; melior. Inter aquas autem fluuiales, ut refert Conſtant. illa melior, quæ tendit ac fluit ad ortum ſolis, quæq; ab altioribus deſcendit montibus. Quæ uero occidentem uerſus tendit, minus eſt laudabilis. Quanto etiam flumina ciuitatibus & uillis propinquiora ſunt, tāto magis ſordes & feces plurimæ ad ea fluūt ex quibus aquæ corruptionem contrahunt. Illius autem fluminis aquæ ſunt laudabiles, cuius fluxus uelox eſt & fortis, cuius fundus lapilloſus,

arenoſus

arenosus uel argillosus, siue qui currit super lapidem solidum. Aqua lacualis minus est utilis ad bibendum seu ad usum humanum, quàm aqua fontium uel fluminum, quia est grossior, plusq; habet de terra admixta, unde talis aquæ potus si creber fuerit, multas generat in corpore infirmitates. Aquæ maris salsæ sunt & amaræ, cuius rationem supra diximus. nam duplex de mari uapor resoluitur, humidus uidelicet uapor, & subtilis ac siccus, quia sol interdum aquæ superficiem maris percutit, eleuat & extrahit de aquis illud quod est magis grossum ac terrestre, & ita longa actione solis aduritur. Adustio autem est caussa amaritudinis & salsedinis, ut patet in sudore & urina, cineribus & lixinio, quod amaritudinem contrahit à cineribus adustis. Proinde si aqua coletur per cineres, sentitur salsa & amara. Et ut Aristot. ait, Aqua maris salsa est, grauiorq; aqua dulci fontium uel fluminum. cuius signum est, quia ouum in aqua salsa natat, in aqua autem dulci minime. sua em̄ terrestreitate & grossitie oui pondus sustinet, quod aqua dulcis facere neutiquã potest. igitur aqua dulcis ꝑpter suã leuitatẽ facilius trahitur ad loca alta quàm salsa. Nauis etiam onerata profundius immergitur in aqua dulci fluminis, quàm in aqua salsa maris. Idem Aristot. lib. de animalibus refert, quod in mari sit aqua salsa, possitq; fieri dulcis, & ab ea salsedo extrahi: quoniam si quis accipiat uas terreum nouum, eiusq; orificium fortiter clauserit ut aqua non intret, ac deinde ipsum uacuum in mari per diem atq; noctem proiecerit, aqua dulcis in ipsum ingredietur. In Hybernia est lacus, in quo si palus ligneus infigatur, ibiq; per longum spatium teneatur. pars illa ligni quæ terræ est infixa in fundo aquæ, in ferrum conuertitur. illa uero pars quæ supra aquam est, quemadmodum prius fuit lignum manet. Ibidem quoq; alius lacus est, in quẽ si caulis uirgas proieceris, conuertuntur in uirgas fraxini. Econtra si fraxineas uirgas in eũdem lacum immiseris, in uirgas conuertuntur cauleas. In Noruegia item fontes sunt, in quibus omne impositum corium siue lignum statim in lapidem conuertitur. Est & alia quædam aqua in lacu ubi quinq; fuerunt ciuitates Sodomorum, scilicet in Pentapoli, quo in lacu seu mari nulla res uiuere potest, nihilq; ad hominis ibi usum gignitur. quo etiam in mari omnia uita carentia siue nauigiũ siue aliud, statim demergũtur in profundum. Lucerna autem si fuerit accensa supernatat, extincto uero lumine statim demergitur in profundum. In quibusdam etiam aquis uelut putealibus nõ possunt decoqui legumina, quoniam illa aqua grossa est & terrestris, & legumina de natura sua sunt grossa, frigida, sicca, cõpacta, & ad digerendum dura. sed decoquantur in aqua fontana quæ subtilis est, & grossam leguminis substantiam penetrat. Aristoteles itẽ refert lib. animalium. vij. quod equus, asinus & mulus plus ad biben-

Aqua maris salsa, dulciq; aqua fontiũ grauior.

Noruegia fontes habet in quos omne cõrium siue lignum cõiectum in lapides cõuertitur.

dum amant aquam turbidam quàm claram. Vacca autem contrarium. Item ex feniculo, ac quibusdam herbis alijs, diuersæ fiunt aquę, quarum aliquæ oculos clarificant ut aqua feniculi, aliæ contra diuersas ualent passiones. Sunt etiam aliæ quædam differentiæ aquarum artificialium, quæ contra diuersas ualent infirmitates. Quædam aqua uocatur aqua ardens, quæ hoc modo fit. Recipe uinum bonum ac forte, purum, rubeum, & pone in alembico, & distilla lento igne. sic fit aqua rosacea. & exibit per sublimationes aqua ardens, & si sæpius distilletur, quanto plus distillabitur, tanto erit subtilior ac utilior. Dicitur autem ardens, quoniam si pilis capitis superfundatur, uel panno, & applicetur candela ardens, statim inflammabitur, uidebunturque pili capitis uel pãnus ardere, quàmuis de panno aut pilis nihil consumetur, flamma autem tam diu durabit, donec à flamma aqua illa consumpta sit. Si uero, quãdo distillabitur, ponerent ibi pulueres de sulphure uiuo fortius arderet. Ista aqua si medicinaliter & sobrie accipiatur, ad multa ualebit, ferturq; habere. xl. uirtutes seu efficatias. Ouum decoquit, carnes coctas uel crudas à putredine conseruat ubi in eadem intingantur uinum turbidum, si in ea misceatur, clarificat & restaurat, uirtutem herbarum omnium extrahit si in ea ponantur, præter uiolæ odorem quem non retinet. apostema rumpit interius & exterius si potetur, siq; apostema exterius cum ipsa liniatur aliquoties. Oculorum maculam, eorumq; ruborem & calorem aufert. lachrymã ab oculis fluentẽ restringit. splenenticis ualet et hepaticis ubi sobrie potetur. Mercurium congelat, cuprũ dealbat. spiritus & corpora calcinata soluit, uulnera curat, omnemq; guttam & cancrum & fistulam si potetur, locusq; uulneris liniatur. Paralysim curat, ubi paralyticum membrum frequenter cum ea liniatur. Intellectum acuit si sobrie sumatur, præterita ad memoriã reuocat, hominem super omnia reddit hilarem, iuuentutem conseruat, & senium retardat, salsum phlegma, guttamq; rosaceam curat, dentium dolorem remouet, narium fætorem, gingiuarum, ascellarumq; tollit, apostema in gutture rumpit, si frequenter gargarizetur, melancholicis plurimum cõfert, Ischiadicis, podagris, & artheticis multũ prodest, hydropicos frigida ex caussa curat. De aqua item quære in dict. Ptisana, Topasius, uinum. De aqua uitis in dict. uitis. Aqua ardens colicam passionem patientibus plurimum confert. Odor ipsius reptilia interficit, uinum nouum clarificat ac si uetus esset si in uino ponatur. uenenum fugat, dolorem & surditatem aurium tollit, cancri fistulam curat. Cum calce item sua in uino soluta lapidem frangit uesicæ. Item cum suo sale soluta, renũ lapidem frangit atq; fugat. febrem quoq; quartanam curat, ubi sobrie interdum sumatur. Item leprosus si nonnunquam de illa moderate biberit;

Aqua ardens quomodo fiat.

Aquæ ardentis uirtutes & efficatiæ.

berit,lepra non ultra ascendet.Prodest etiam conceptui si prægnans mulier de illa biberit,siq; interdum de ipsa modicum bibatur,aut in ore retineatur,ipsum rheuma curat. Oculos subuersos quando palpebræ resoluuntur,curat si cum illa liniantur. Capitis subinde dolorem maxime ex rheumate prouenientem,curat ubi caput cum eadem inungatur. Et quando in ore tenetur,linguam soluit,audatiam præstat, si pusillanimis quispiam aut timidus interdum de ea potauerit. De aqua ardēti uide in dictionib.anhelitus,conseruatio,spuma. Qui miræ autem et uirtutis & efficaciæ aquam facere cupis. Recipe nucis muscatæ, gariophyli, galangæ,cardamomi,granorum paradisi,zinziberis,cinnamomi ana. ista in mortario puluerisentur, & ille pulueres in prędicta aqua ardenti ponantur, quæ tandem aqua cum prædictis pulueribus sic commixta,lento cum igne distilletur in alembico,& caueatur ne aër alembicum intrare possit, nec illam phialam in quam cadit aqua quando stillat, sed eius orificium (excepto illo quod occupat illa parua canalis quæ dependet ex alembico) claudetur cum pasta de siligine quæ cito desiccatur. Talis aqua ingressum dat spiritibus in corpora, figitq; spiritus non fixos, & ponitur loco balsami,quoniam uirtutes balsami omnes habet,& multo plures,quia corruptionē prohibet & delet cuiuslibet rei, conseruatq; in bono statu quæcunq; tāgit.Soluit camphorā in aqua super quā fundit, licet aqua cōmunis eam congelarit sicut lac coagulatū.Et si aqua coletur per pannum lineum remanet substantia alba,poteStq; inde fieri candela ardens in lychno,si tali de aqua ellychniū madefiat seu humectatur. Ista etiam aqua ad omnes frigidas ægritudines ualet,si patiens modicum de ea bibat. Est insuper alia quædam aqua omnia soluens corpora,hæc ita fit. Accipe sal petræ lib.j.corprosse lib.j. ista simul terantur,& misce in prædicta aqua ardēti,& pone in urinali super cineres, & distilla ad ignē cum bono uino.primam aquam accipe per se, & postquā tota illa aqua fuerit distillata,iterum pone in urinali quemadmodum prius,& distilla secundo.illa secunda aqua si guttatim fundatur super pannum de blanqueto,facit illum croceum.Hæc aqua omne metallum,cunctaq; ferrilia soluit seu liquefacit,chalybem,argentum,cuprum,plumbum,aurum & similia. Soluit præterea Mercurium,& quosuis lapides calcinatos,omniaq; corpora calcinata. Est etiam alia aqua artificialis, aqua uidelicet rosacea,quæ fit de rosis albis & rubeis,uerum melior est de rosis rubeis, fit enim aqua rosacea quæ ualet ad multa, quemadmodum dicturi in dict.Rosa. Calorem enim febrilem patientes refrigerat & confortat.cū ista aqua folijsq; rosarum bene contritis & zaccaro,fit zaccarum rosaceum, quod uirtutem habet confortandi & constringendi, ualet etiam contra fluxum uentris,tempore etiam calido cum aqua frigida fontana

Aqua miræ uirtutis & efficaciæ.

Aqua cōmunis congelat camphoram.

ſumptum, totum hominem refrigerat & cõfortat. maxime autem prodeſt cholericis. Item ut aqua appareat uinum, accipe uas plenum optimo & forti uino, ſuppone alembico, & diſtilletur, poſtea feces quæ de uino remanent, deſicca & pulueriſa, deq; illis pulueribus in aquam miſceas fontanam ſiue aliam proportionabiliter, quæ aqua ſaporem tandẽ uini recipiet. Panem item ordeaceum ſtatim cum extrahitur de fornace, calidum pone in uino bono & forti per fruſta, quem, ubi uinum imbiberit permitte deſiccari, de quo pane ſi poſtea in cypho aquę pleno ponas, ſaporem uini omnino habebit. De aquarum naturis & proprietatibus ſupra retulimus, dicturi & in ſequentibus dict. autumnus, calculus, oculorum dolor, arbor, aqua roſacea, caput, aqua uitis, legumina, oriens, roſa.

Vt aqua in uini ſaporem conuertatur.

De auibus quibuſdam procreatis ex arboribus. Cap. III.

QVædam ſunt arbores in quibus uice fructuum quædam naſcuntur cumeroſitates, ſed quandiu ſunt in arbore, neutiquam uiuunt, & id accidit (ut refert commentator ſuper lib. uegetabilium) propter poroſitatem ligni, & fumoſitatem à cortice exhalantẽ. Vbi uero cumeroſitates illę ruptis tenaculis quibus dependent, ex arboribus cadunt in aquam, cuius in ripa arbores iſtę ſunt radicatæ, mox aquę frigiditate poros illarum cumeroſitatum exterius conſtringente, fumoſitates interius retinentur, quæ ad inuicem conculcatæ depurantur, aut ſubtiliantur. & dũ ita intus detinentur, in ſpiritum conuertuntur uiuificantem, ex cuius ſpiritus multiplicatione & diffuſione per ſingulas partes, illæ cumeroſitates uiuificantur, & in quandam ſpetiem auium tandem transformantur. quæ quidem aues alijs ab auibus & natura & complexione plurimum ſunt diuerſę. Parum enim habent de carne, minus de ſanguine, ideoqúe, ut idem commentator ait, non multum uſui eſſe poſſunt. A quibuſdam tamen tempore quadrageſimæ, perinde ac piſces aut fructus eſſent arborum, comeduntur. De auibus in dict. arbor, animalia.

De Auripigmento. Cap. IIII.

AVripigmentum calidum eſt & ſiccum in quarto gradu. Illud autem quod eſt citrinum, medicinæ conuenit, uirtutem habet diſſoluendi, attrahendi, mundificandi. unde ualet aſmaticis, & grauem anhelitum habentibus ex humiditate, ſi in cura fumus eius recipiatur. Ex auripigmento unguentum fit depilatorium, ut pili cito amoueantur, quando decoquitur in calce uiua. Illud

etiam unguentum ualet contra serpiginem & impetiginem, si locus cum sapone & auripigmento leniter inungatur. Sed tamē locus inunctus statim abluatur, quoniam si tale unguentum diutius ibidem maneret, bonā carnem perinde ac malam corroderet & excoriaret. naturā enim habet incisiuam & corrosiuam. ungues quoque deturpatos cadere facit ut crescant meliores.

De Apoplexia. Cap. V.

SI toto in corpore, aut aliqua eius parte humida superfluitas intantum habundet, ut talis humiditas à natura non possit regi, id principium est & materia putrefactionis, exque tali humiditate putrefacta, pessimæ in corpore generantur & mortiferæ passiones. quod clarum fit in Apoplexia, quæ tali ex humiditate generatur superflua putrefacta. Hæc siquidem post longam putrefactionem ad cerebrum rapitur, atque omnes cerebri uentriculos ità replet & occupat, ut per neruos sensibiles spiritū animalem (qui instrumentum est uirtutis animalis, sensibilis, et motiuæ, descenditque à cerebro mediantibus neruis sensibilibus) actiones peragere sensibiles non permittat. subito enim corpori sensum aufert atque motum, & tandem ubi humor ille putrefactus, qui in cerebri cellulis erat inclusus, incipit resolui & fluere, quod maxime flante Austro accidit, ad inferiora descendit & suffocatur patiens, ut testatur Gal. in comento super Aphoris. Hippocratis. Soluere apoplexiam iam fortem impossibile, debilem uero haud facile. Phlegmatica enim humiditas putrefacta, quæ materia est istius infirmitatis mortalis, totam cerebri regionem occupans, neruorū meatus oppilat, ideo spiritus aīalis nō potest deferri ad inferiora, imò anhelitus intercluditur, unde uita finitur. talesque nihil omnino intelligūt, nec sentiunt, nec loquūtur nisi balbuciendo, secundum quod infirmitas uel maior uel minor fuerit. Hæc autem humiditas quæ caussa est huius infirmitatis, aliquando peccat in quantitate, hocque aliquando à caussa interna sicut à mala complexione, ut frequenter accidit phlegmaticis, unde talis infirmitatis humiditas ita fortiter radicatur in membro, ut à calore non possit dissolui, nec consumi, nec sua à malicia immutari. Talis utique humiditas putrefacta in diuersis corporis partibus, diuersas inducit infirmitates, quod liquet in Epilepsia quando ex uitio procedit capitis. & hydropisi, quando ex mala generatur complexione hepatis. Procedit etiam à caussa externa, puta cibo, potu, aëre, somno, uigilia, inanitione, repletione, exercitio, quiete. Hæc enim omnia si secundum naturæ exigentiam fuerint sumpta, humiditatem naturalem & substantialem generant & conseruant, amissam reparant & restaurant. Si uero cōtrario

Phlegmatica humiditas est materia apoplexiæ.

modo ſumpta fuerint, contrarium habent officium, multasq́ infirmitates generant. nam prædicta inordinate ſumpta, humiditatem innaturalẽ generant & augmentant, naturalem autem humiditatem corrumpunt, alterant & immutant. quoniam ut Hipp. refert, Temporum immutationes morbos maxime generant, ſuper quo Galenus inquit. Tempora anni non ſunt cauſſa morbi, ſed mutationes complexionum ipſius temporis. quando ſcilicet complexio aëris quæ tempori cõgruere deberet, in oppoſitam mutatur complexionẽ, ut ſi æſtas ſit pluuioſa, quæ calida eſſe debet & ſicca, ſicq́ alijs de temporibus. Nam ſi aër uernalis generaliter frigidus fuerit atq́ ſiccus, & in hyeme proceſſerit qualis eſſe debuit in uere, calidus ſcilicet & humidus, in uere multos ægrotare, eodẽq́ tempore inordinato facili occaſione grauidas quoq́ mulieres abortire neceſſe eſt. Cuius ratio ut Gale. refert, talis eſt, quia ex humiditate & caliditate hyemis præcedentis multa ſit in corporibus humidis generatio phlegmatis & coadunatio. Aër uero initio ueris ſi fuerit frigidus & ſiccus, poros claudit, & fumos non ſinit exhalare. unde recenti calore humiditatem iſtam ſuperfluam in præcedenti hyeme generatam diſſoluit. Et quando calor naturalis ita debilis, ut humiditatem illam ſuperfluam perfecte digerere non poſſit aut totã conſumere, eam ſic indigeſtã, nunc ad membra ſuperiora, nunc ad inferiora tranſmittit, quibus tandem in membris coadunata, fit cauſſa & materia diuerſarum paſſionum. Vt ſi aſcendat ad caput, catarrhum generat, aliquando apoplexiam, nonnunquam epilepſiam. Si uero tranſmittit ad inteſtina, deducit ad dyſenteriam, ſicq́ talis humiditas in diuerſis membris diuerſas paſſiones generat. Eadem illa ratio eſſe poteſt aborſus in mulieribus, quia humiditas illa defluens ad matricem eam grauat & lædit, & remolliendo tenacula fœtus, ac relaxando cauſſa exiſtit abortiendi. Simili modo intelligendũ eſt de illis conditionibus aëris in alijs partibus temporis, quoniam quando tempus non eſt temporaneum, hoc eſt, quando illi tempori proprietates non habet conuenientes, tunc de diuerſis timendum eſt infirmitatibus. De hac re plenius in dict. tempus. Peſſima itaq́ infirmitas, quæ apoplexia nuncupatur, in illis maxime cauſatur, qui complexionem habent phlegmaticam, quoniam phlegma humor eſt frigidus, inſipidus, ſemicoctus imperfecta actione caloris. Signa autem quòd quiſpiam talem ad infirmitatem diſpoſitus ſit hæc ſunt. Liuidus eſt, & ſubalbidus in facie, dolorem patitur ſtomachi atq́ laterum, tumeroſus. talis cauere debet à cibis frigidis & humidis, maxime à fructibus crudis, à pyris & à pomis, ſed temperate utatur ſiccis & calidis, uti mentha, zinzibere, cinnamomo, gariophylo. Si uero infirmitas iſta iam ſit in cerebro, quaſi omnino eſt incurabilis. Interdum tamen per purgationem cerebri iu-

uatur,ut quando modis omnibus prouocatur sternutatio per infusionem sinapis fortissimi in nares,& per alia quæ sternutationem prouocant.de quibus in dict. sternutatio, epilepsia. De apoplexiæ caussis & remediis in dict. caduci, cerebrum. Caussa cur mulieres prægnantes interdum faciant abortiuum, dicta est in capite de apoplexia. Est & alia caussa,quia sanguis menstrualis cibus est & nutrimentum fœtus in matrice. Quando autem mulier post conceptionem frequenter patitur fluxum talis sanguinis, quia ex hoc cibus subtrahitur fœtui, necessum est fœtum aut mori aut debilitari.quemadmodũ enim per subtractionẽ lignorum ignis moritur, & omne animal per subtractionem cibi, ita & aborsum fieri oportet. unde sanguinis retentio menstrualis, signum est impraegnationis. Signum item aborsus cognoscitur & accipitur ex mulieris mamilla prægnantis, quoniam mulier prægnans quæ factura est abortiuum,eius mamillæ mollescunt.Quare Hipp.ait;Si dextra mamilla mulieris,postquam geminos conceperit,emollierit, masculi abortiuum fit. Si uero sinistra emolliatur, fœmina abortietur, Vbi autem utraq; mamilla emolliatur,uterq; fœtus patietur abortiuum.Huius rationem reddit Gal.super aphoris.Hippocratis in coment.quoniam mamillæ gracilitas & mollicies mulieris,paucitatem lactis significat.Iccirco cum infans siue fœtus non habuerit debitum siue sufficiens nutrimẽtum necesse est ut fœtus ipse abortiatur. Item Hippocrates in aphoris.Si mulieri initio lac multum fluxerit ex mamillis, debilitatẽ hoc significat fœtus. Si uero ubera fuerint dura,fœtum sanum esse significat. Lac autem ideo non minuitur,quia fœtus est debilis ad attrahendum, accipiendum, & conuertendum in sui nutrimentum. Vnde mamillæ nimium flaccidæ atq; molles, corruptionis fœtus & imperfectionis est signum. quare Gal.refert, Si mamillæ mediocriter fuerint duræ,fœtum sanum designant. Nimia autem mamillarum gracilitas & macilentia,cõceptũ esse debilem & corruptum significat. idq; signum est quod abortiuum subsequi debeat teste Galeno. Item si mulier impraegnata fuerit de masculo,dextra mamilla apparebit maior quàm sinistra, & hoc primũ apparet,quando se fœtus incipit in uentre mouere, ut inquit Aristot. lib. de animalibus.xix. Fumus item quicunq; impraegnantes lædit, sed fumus candelæ extinctæ de cera prægnantes tantum lædit, ut etiam equa parturiens,ubi talem fumum senserit,abortiuum paritura sit.Item quãdo hyems fuerit calida & humida, uer autem frigidum & siccum, necessum est homines in æstate ægrotare, & mulieres prægnantes admodum leui occasione abortire. Cuius ratio est secundum Galenum in cõment.quoniam cum corpora prægnantium hyeme calida & humida,tenera sunt & rara, frigiditas aëris uernalis subito ad interiora penetrat,

fœtumq́ tenellum lædit.per frigiditatem enim & ſiccitatem,quæ qualitates ſunt mortificantes,mortificatur fœtus.Fœtus autem mortificatus aggrauat illa retinacula quibus colligatur fœtus,& rumpit ea,ſicq́ mulier neceſſario abortit. De hoc quære in dict.autumnus,aſinus,ariſtolochia,apoplexia. De ſignis item quando fieri debet aborſus in dict. mulier,aſſimilatio,odor.

De Auribus. Cap. VI.

Auris ſiue auditus multifariam patitur & impeditur. Aliquando ex apoſtemate intus exiſtente,unde interdum uidemus quod ex aure ſanies egreditur. Aliquando ex uermibus foramen aurium extrinſecus intrantibus. Interdum ex putridis humoribus qui intrinſecus generantur, cuius ſignum eſt pruritus intra aures & titillatio, & ſentitur eorum motio. Nonnunquam ex ſuperflua carne,quando mali humores intus coadunantur, coagulãturq́. Patitur etiam ex mala nerui diſpoſitione, per quam ſpiritus animalis,& uirtus ſenſitiua à cerebro deferuntur ad aures,ſicut in ſonitu et tinnitu aurium,quæ contingunt ex uentoſitate incluſa in panniculis cerebri, & in parte nerui ſenſibilis auricularis. Patitur etiam interdum groſſis ex humoribus illic ſe mouentibus,& tunc ſentitur grauitas capitis cum ſonitu & tinnitu. deficit enim auditus ex defectu uirtutis audibilis,uel ex corrugatione & fractione nerui ſenſibilis, uti fieri conſueuit in ſenibus. Eadem ſurditatis cauſſa in utero matris, quando natura nõ poteſt inſtrumentum auditus perforare, & hoc eſt propter defectum uirtutis naturæ,aut propter materiã quam natura inuenit ſibi non obedientem. Patitur etiam auditus ex acuta egritudine, quod maxime fit, quando humores cholerici ad cerebrum aſcendentes, neruum ſenſibilẽ auditus (qui in cerebro radicatur) impediunt & lædunt. & generaliter ex mala diſpoſitione cerebri (quoniã ibi radicatur neruus qui ſpiritum animalem & ſenſibilem ad aures defert) læditur & impeditur auditus. Quando autem auditus ex fumis cholericis ad cerebrum aſcendẽtibus læſus eſt,cholera digeratur & purgetur,illaq́ miniſtrentur quę cerebrũ confortant.Vnde Hipp.in aphoriſ. Surdis ſi ſolutio cholerica ſuperuenerit,ſurditatem tollit. Succus præterea Hæderæ quæ parietibus adhæret ac arboribus,ſemperq́ uiret, ſi cum oliuarũ oleo miſceatur,& auribus ita tepidus inſtilletur ſurditatem iuuat. Oleum item Myrtinum è Myrti folijs bacciſq́ factum, ſi tepidum auribus inſtilletur,aures iuuat & mundificat. Auditus nonnunquam totus impeditur. cui hoc accidit,is ſurdus appellatur.hocq́ fit ex humoribus neruos oppilãtibus audibiles,& interdum eorum meatus claudentibus ita, quod ſpiritus animalis

Surditatis cauſſa in utero matris.

malis ſenſibilis: ad auditus organum deſcendere non poſſit. Quandoq; eſt in auribus ſonitus, tuncq; auditus non totus aufertur, quoniam prædicti neruorum meatus non oppilantur, nec clauduntur toti, ſed nonnihil tranſeunt à ſpiritu ſenſibili, taleſq; non niſi altas uoces audiunt. Quandoq; eſt in auribus ſonitus & tremor, ita ut paciens uideatur audire ſonum aut tremorem, idq; fit ex groſſa uentoſitate intercluſa quæ libere non poteſt exire. Quandoq; læditur auditus ex uehementia ſoni, ut in magno tonitruo, quia excellentia ſenſibilium corrumpunt ſenſus. uel quando continue aut frequenter magnus auditur ſonus ſicut eſt illis qui in molendinis aut circa ea loca habitant, ubi flumina ex altiſſimis præcipitantur montibus, ſonumq; faciũt ac fragorem magnum & continuum. Hinc Aphricanus apud Ciceronem lib. de Repub. vi. gentem quæ ad Nili Catadupa accolit, ob ſonitus magnitudinem ſenſu audiendi carere dixit, propter fragorem horrendumq; ſtrepitum quem idem fluuius montis de præcipitio cadens, colonum auribus incutere conſueuit. Accidit & auris dolor quandoq; etiam ſine apoſtemate, quod fit ex nimio calore diſſoluente, uel frigiditate conſtringente. Si nimio ex calore fiat, dolor eſt acutus, & locus rubeus. Calida in paſſione, calidis uti nocet, & uti frigidis prodeſt. Talis paſſio ſi fiat ex frigiditate conſtringente, dolor eſt ponderoſus, grauatiuus, locus pallet. tali paciẽti frigidis uti nocet, at calidis uti prodeſt. Aliquando patitur auris ex apoſtemate calido, & qui tali ex cauſſa patitur, febricitat, quoniam aurium apoſtema non eſt ſine febre, ſed remiſſiore, eſtq; febris minore cum calore, quando apoſtema eſt ex cauſſa frigida, quàm ex cauſſa calida. Aliquando uermes generantur in auribus, qui aurem uulnerant, & ex humoribus generantur calidis inuiſcatis. Signum uermium eſt pruritus & titillatio. huiuſmodi uermes aliquando exeunt, cumq; acu ſubtiliter extrahuntur. Auris etiam dolor nonnunquam cauſatur per ingreſſionem alicuius corporis, puta lapilli, pulueris, aquæ, ac ſimilium quæ aurem lædunt. Aliquando ex ictu aut nimia concuſſione, cuius ſignum eſt ſanguinis exitus teſte Conſtant. Quando ſanguis ſubito ac ſine dolore ab auribus exiuerit ſine cauſſa manifeſta, ſignũ eſt aliquod eſſe ſuperfluũ in capite, quod natura expellere conatur. Quandocunq; igitur aures talibus ſubiacent paſſionibus, ſecundum infirmitatum conditiones debita ſunt adhibenda remedia. nam aures debent mundificari, & cerebri purgatiua miniſtrari. Si enim dolor ſeu paſſio aurium fit ex calore & ſine apoſtemate, uti debet patiens frigidis & alteratiuis. loco enim doloris ungi debet oleo roſaceo, uel uiolaceo, quod tepidum, ſeu communiter calidum, guttatim inſtillari debet auribus. Si uero aurium paſſio fuerit ex frigiditate ſeu apoſtemate, adhiberi debent alteratiua calida, ut

Catadupa ſeu Cataractæ ab immenſo dicuntur ſonitu.

oleum laurinum, oleum rutæ, hæcq; tepida instillentur. Cum autem passio fuerit cum apostemate ex caussa calida, frigidis est incidendum & maturatiuis, & postea adhiberi debẽt mundificantia. Et si apostema procedat ex caussa contraria scilicet frigida, debent contraria scilicet calida & maturantia adhiberi, donec apostema rumpatur. Cognoscitur autem ruptio apostematis ex fluxu saniei per aurem. & rupto apostemate aut per se beneficio naturæ, aut uirtute medicinali, postquam aliquantulum sanies fluxerit, & fluxus incipit cessare, locus rupturæ siue uulneris mundari debet & consolidari. Mundari autem debet cum uino calido intra aurem frequenter instillato. Consolidatur autem tale uulnus cum puluere thuris albi & lucidi, & cum puluere masticis in aure immisso. sed prouideatur ut isti pulueres sint minutissimi ne locum uulneris lædere possint. Quàmdiu autem sentitur apostema in aure, & quàmdiu inde fluit sanies, iaceat patiens super illud latus auris in qua patitur, & semper teneat super aurem superq́ue caput pannum lineum calidum. Si uero ex prædictis signis colligatur, quod uermes in aure fuerint generati, infundãtur intra aurem succi amari, ut est succus absinthij, rutæ, porri, sitq; succus tepidus, uel oleum extractum de amygdalis amaris auri instilletur ut prædixi. talibus nanq; amaris intra aurem instillatis, uermes occiduntur, & putrefacti cum sanie deducuntur. Quando uero pulex, aut alius uermiculus aurem intrauerit, primũ probetur aliquantulum an per se exeat, quod si nõ faciat, auris illa applicetur soli aut igni, ut ad calorem exeat. uel intus ponatur leniter pannus lineus, gracilis & delicatus, uel lychnus de bombice modicum contortus, nam pulices & uermiculi talibus adhærent & subito extrahuntur. Cæterum si lapillus aut simile quiddam aurem subintrauerit, si potest extrahatur cũ subtili aliquo instrumento, quod si nõ possit, oleis quibusdam calidis inungatur auris, prouocetur fortis & frequens sternutatio, aut si necesse fuerit, uentosa ad aurem applicetur, quæ suggendo & attrahendo illud nociuum extrahat. Super omnia autem contra aurium infirmitates ualet balsamum auribus instillatum. Si autem aurium infirmitas per triennium durauerit, difficulter curatur. Si uero auris patiatur tinnitũ grossa ex uentositate inclusa generatum, ut supra dictũ est, is uti debet cibarijs leuibus ad digerendum, & ab illis cauere quę uentositatem generãt, ut sunt castaneæ, rapæ, fabæ, legumina, & debet uti extenuatiuis, & illis quæ uentositatem soluunt, ut anetho, aniso, origano, calamẽto, deq; istis fieri debet subfumigatio in aure, quia tali fumo tinnitus soluitur siue uapor causans tinnitum. De quibus omnibus quære in dict. calamentũ, capparus, dolor capitis, dolor aurium, beta, helleborum, aper, cõplexio, luna, mus, Myrtus, myrrha, nitrũ, nardus, porrus, ramnus, sinapis, thus, succus,

Vermes in auribus generati quomodo occidantur.

ſuccus,amygdalus,abſynthium.

De Arthetica paſſione. Cap. VII.

ARthetica eſt ſpecies guttæ,& fit quando groſſis ex humoribus crudis,in iuncturis digitorum,manuum uel pedum adunatis & globatis, articuli & iuncturæ indurantur,quaſiq; nodoſæ efficiuntur. talis infirmitas ſi fuerit diuturna uix curatur. Quandoq; autem procedit ex humore frigido, indurato & coagulato in iuncturis,tuncque calidis eſt utendum,& emplaſtra calida apponenda de rebus calidis,& panniculi linei tincti in aqua ardenti ſunt frequenter ponendi ſuper locum ubi eſt paſſio. Vbi uero humor iſte groſſus ſit ex cauſſa calida, contrarijs eſt utendum ſcilicet frigidis tam intus quàm extra. Generaliter autem eſt ſciendum quòd arthetica dolor eſt & paſſio articulorum cum tumore ac inflatione, quæ cum in manuum fuerit articulis, appellatur chiragra, ſi uero in articulis pedum, podagra. Quoniam autem communiter in articulis manuum eſt ſiue pedum, igitur ab articulis dicta eſt arthetica, fitque ex ſanguine coagulato ac humore phlegmatico, frequentius tamen ex cauſſa rheumatica. Huius morbi cauſſæ deprehenduntur ex rubore loci, ſiue nodorum in ipſis articulis exiſtentium, & ex calore in locis illis. ex eminentia item uenarum partis pacientis,tociusq; corporis. ex dieta etiam calida & humida qua prius frequenter uſus eſt. ex ætate et tempore ætati ſimili cognoſcit & coniectura fit,quia ſanguis illius eſt cauſſa infirmitatis. Si enim ſanguis in cauſſa fuerit, in uere maxime mouetur. tales uti debent frigidis & ſiccis. Cholericus humor cognoſcitur eſſe in cauſſa ex dolore uehementiſſimo,& neruorum contractione & ariditate,ac illius loci pacientis calore et inflatione,ex colore rubeo cum croceo intermixto in parte paciente, talisq; gutta tali ex cauſſa maxime mouetur in æſtate, quia eius cholera aſſimilatur æſtati, cholera nanq; calida eſt & ſicca,ideo æſtiuo tempore etiam augetur. Ex dicto etiam conſimili colore cognoſcitur ſcilicet an paciens uſus fuerit calidis & ſiccis. Cognoſcitur etiam ex regione, quia ſi in regione calida & ſicca magis patitur, cholera eſt cauſſa,quemadmodum ſi quis tali de infirmitate in regione humida magis grauatur, illius guttæ cauſſam ſanguinem eſſe cognoſcitur. In pacientibus etiam iſtam guttā ex cholera, emittuntur multæ ſuperfluitates cholericæ, tam per uomitum quàm per ſeceſſum. Talibus conuenit uti frigidis,calidis uero uti nociuum,omnibusq; adeò ſalſis & acutis,& ex iſtis cognoſci poteſt an cholera ſit cauſſa. Eodē modo etiā cognoſcitur phlegma cauſſa iſtius guttæ ex humiditate corporis,& ex colore partis pacientis,uidelicet ſi ibidem non ſit rubedo, ſed color liui-

Artheticæ paſſionis cauſſæ ex quibus deprehendantur.

dus. si paciens habuerit passiones quæ complexionem sequuntur phlegmaticam, quoniam phlegmatici corpore sunt graues, pigri, somnolenti, sensu hebetes, carne molles, colore liuidi, multum spuunt, multasq; faciunt excreationes. de quibus in dict. phlegma. Rheumatica caussa cognoscitur esse caussa istius guttæ, ex grauedine capitis ac motu humorum. nam tunc per ancham atq; spatulã motus sentitur & titillatio. Hæc infirmitas grauis est, quia digitorum neruos, manuum & pedum contrahit, subtilem humorem consumit, pedes & manus arefacit, digitos cõtrahit & recuruat. cito autem debet curari, quoniam si antiquata fuerit & indurata, uix potest curari. In eius autem cura sic est procedendum. Materia quæ caussa est infirmitatis, per medicinam debet purgari euacuatiuam. nam si sanguis caussa sit & materia, fieri debet minutio, calor quoque in parte patiente repercuti debet frigidis emplastris suppositis, panni in aqua rosacea madefacti, super illum locum frequenter poni debent. Paciens quoq; uti debet cibis frigidis temperate, sicq; alijs de caussis istius infirmitatis, quo contraria contrarijs curentur. Cum uero humor frigidus caussa est istius guttæ, tunc super locum pacientis emplastrum poni debet de rebus calidis & repercussiuis, ut panni linei aquæ ardenti intincti, debetq; locus ungi unguentis calidis, & talis abstinere debet omnino à cibarijs grossis, maxime ab inflatiuis, à fabis, leguminibus, & similibus. Est quædam terra frigida & sicca, quæ uocatur Sarracenica, siue argentea, quæ ut Platearius refert, subalbida est, aromatica, cuius puluis post cõbustionem collectus, aut etiam sine combustione, si cum albugine oui distemperetur & cataplasmetur, siue ponatur super locum pacientis artheticam, multum iuuat. Item medulla fabæ bene mundata, cumq; ouis adipe bene decocta, et per emplastri modum super locum pacientis artheticam posita, plurimum iuuat, tumores insuper et humores repercutit. Ebulus frutex est seu herba, folijs & stipite Sambuco arbori simillima, cuius radices, cortices, frondes ac flores medicinę admodum sunt utilia. Succus autem Ebuli contra artheticam ualet & contractionem neruorum, manuum atq; pedum, ubi per modum emplastri super locum pacientis ponatur. De remedijs contra artheticam in dict. ancha, dragagantum, emplastrum, ebulus, faba, gutta aromatica gutta. Arthetica siquando processerit ex caussa calida, recipe herbã Cõsolidam, admodum frigidam, & per domorum tecta crescentem, quæ teratur et distemperetur cum aqua rosacea, uel aceto, atq; per emplastri modum cum panno lineo ponatur super locum doloris. De attractiuis in dict. aperitiua, medicina, nitrum, aqua, ramnus.

Terra Sarracenica.

De Albugine. Cap. VIII.

Albugo,

ALbugo, tela, ſiue macula cum in oculo oritur, pannus lineus in urina parui maſculi ſubtiliter intingatur, quo panno urina ſic madefacto, tela iſtæc ſeu macula leuiter interdum liniatur, quo facto, talis macula deletur & rumpitur, nam talis urina hanc maculam leuiter corrodit. Quære in dict. oculus, dolor oculorum, tela oculi, pannus oculi, macula oculi.

De Apoſtematibus. Cap. IX.

EſT autem Apoſtema ſuperfluorum humorum in aliquo mēbro collectio, putrefactionem illorum humorum & tumorem ibidem faciens. Et fit aliquando intus, ita ut uideri non poſſit, aliquando in membro aliquo, ita ut poſſit uideri. Apoſtema uero generaliter ex diuerſis cauſſis generatur. aliquando ex cauſſa externa, aliquando ex percuſſione, uulnere, caſu, fractura, concuſſione. Ex iſtis enim omnibus & ſimilibus mouentur humores, & ad locum pacientem confluunt, qui ibidem ſe mutuo conculcantes, comprimentes, calefaciunt & putreſcunt. Quandoq; generatur ex cauſſa interna, ſcilicet ex habūdantia humorum corruptorum, qui in corpore ſæpe humano confluunt & concurrūt ad membrum aliquod corporis, tales enim humores quandoq; adunantur & putreſcunt in membro proprio quia illud membrum non eſt tantę uirtutis, ut ad aliud membrū aliasúe partes tranſmittere poſſit. Quandoq; autem fit ex fluxu humorum ab uno membro ad aliud, quoniam uirtus uno in membro ita potens eſt, ut ſe illis ab humoribus exoneret, & per meatus eos tranſmittat ad alias partes, ubi congregati putreſcunt. Generatur autem apoſtema hoc modo. Quādo humores in quantitate peccant, aut in qualitate (quoniā corrupti ſunt, & à uirtute ſeu calore naturali non poſſunt conſumi, nec expelli à loco in quo ſunt congregati propter ſuum exceſſum, aut propter uirtutis debilitatem in illo membro) tunc recipiuntur in concauitatibus illius membri, ibiqúe conculcantur, conprimuntur, ebulliunt & putreſcunt. Et quemadmodum paſta primū mollis in fornace ab igne deſiccatur, & in ſuperficie cruſtulam quandam facit ſub qua manet, ita humores illi continentur, ſicq; putreſcentes tumeſcunt, illaq; cruſtula inflatur, talis tumor huiuſmodi putrefacto humore plenus, dicitur Apoſtema. Quandoq; autem tale apoſtema fit ex uenenoſo humore, & uocatur Bubo, quod genus apoſtematis communiter nigri eſt coloris, nimisq; periculoſum. Aliquando fit ex ſimplici humore corrupto, ſicut ex ſanguine phlegmatico. Huius apoſtematis ſigna ſunt rubor ex calore ſanguinis, duricia propter humorum multitudinem aut ſanguinis putrefacti; & propter calorem tali in humore aquoſiora conſumentem

Apoſtemata ex diuerſis cauſſis generantur.

Apoſtematis generatio.

pulſus.i.ſaltus propter uentoſitatem ſeu fumoſitatem impellentem, dolor propter extenſionem, calor magnus propter materiam calidam, tumor propter materiæ multitudinem & aggregationem. Talibus autem conuenit minutio & purgatio, aut diminutio ſanguinis; & quod utantur frigidis & ſiccis. Cæterum ab omnibus acutis caueant, allio, pipere cepa, omni ſalſo, uino forti & acuto, ac ſimilibus. Quandoq; apoſtema fit ex ſimplici cholera rubea, & uocatur ſacer ignis per antiphraſim.

Sacer ignis.

Quandoq; fit ex cholera pura, & corrodit membrum in quo eſt, & uocatur Herpes. Quandoq; ſimili modo fit ex phlegmate & uocatur palus, quia ut in palude multũ eſt ſuperfluitatis & limoſitatis, ita & in iſto apoſtemate. Cui ſi quis digitum imprimat, cedit eius impreſſioni, ibiq; ueſtigium aliquandiu manet, quaſi quoddam foramen propter humorem fluidum intus contentum. Sed poſtea redeunte humore ad ſtatum priſtinum, illud ueſtigium repletur & inflatur quemadmodum antea. Iſtius apoſtematis ſigna ſunt albedo, quia materia eſt alba. & mollicies, quia materia eſt liquida. dolor lentus, nõ nimis acutus, quia materia frigiditate ſua minuit ſenſibilitatem doloris. Contraria ſigna ſunt in apoſtemate quod fit ex cholera rubea, in illo ſiquidẽ eſt magnus calor, quia materia eſt calida. rubor cum citrinitate, quia cholera illa putrefacta, nõ rubea ſed aliquantum crocea. magnitudo doloris qui ſentitur, & puncturæ, quia materia eſt acuta. Signum uero apoſtematis quod fit ex melancholia putrefacta, hæc ſunt. quandoq; enim materia eſt partim intra, partim extra, fitq; apoſtema quod uocatur Cancer, quoniam effigiem habet inſtar corporis cancri piſcis. Quemadmodum enim in cancro piſce dorſum eminet, et brachia ſunt extenſa in lateribus, ita iſto in apoſtemate tumor quidam uice dorſi eminet. Ramuſculi uero humorum, ſiue illius humoris ſub cute hinc inde expanſi ſunt per latera apoſtematis, quaſi quædam brachia. Tale etiã apoſtema paulatim ſerpit, carnem corrodendo & neruos inſenſibiliter ad modum cancri. Huius apoſtematis ſigna ſunt, maxima duricia, quia cum materia ſit terreſtris & melancholica, ideo multum eſt compacta, & per cõſequens multum dura. color liuidus, quia materia non eſt tota nigra, uelut in bubone dolor eſt modicus, aut nullus, propter eius inſenſibilitatem, quoniã materia eius binas habet qualitates mortificatiuas, frigiditatẽ ſcilicet & ſiccitatem. Carnem autem ſemper corrodit & corrumpit uſq; ad neruorum radices, & ſic corrodendo, ipſa oſſa quæ attingit inficit. ideoq; hoc apoſtema mortiferum eſt, ac difficulter curatur. Verum inter iſta apoſtemata corroſiua talis ordo eſt, quo ad malitiam & periculum. quia noli me tangere eſt apoſtema cancroſum ſiue corroſiuum in facie; & pau-

Herpes.
Palus.
Cancer apoſtema.

latim

latim corrodit,sed minus inter apostemata corrosiua, cancer uero plus lupus magis,maxime uero Erysipela.fistula uero non corrodit, sed procedit putrefaciendo intus,carnem & neruos ad saniẽ contrahit, & quãdoq; corrumpendo neruos pertingit usq; ad corruptionem & dissolutionem ossium. Quandoq; autem accidit fistula ex uulnere male custodito,aut male & imperfecte curato, quando intra os uulnus sanie inficitur. Ideo chirurgus in primis cauere debet,ut uulnerum loca perfectè & frequenter mundet à sanie,maxime tempore æstiuo, in locis uulnerũ frequenter ponendo mundam & nouã stupam, aut pannos lineos mũdos & delicatos, qui fuerint in usu, quo sint magis suaues, & uinum tepidum infundendo uulneribus. de quo in dict. uulnus. Quandoque autem infistulatus consolidatur & clauditur, tunc uero caueri debet ne qua sanies intus remaneat, nec subito claudi debet, ne forte infirmitatis radix intus remanens,carnem,neruos & ossa putrescere faciat. Quandoq; aperitur & fluit sanies,tunc remedijs est insistendum, quoniam si fistula inueterata fuerit,maxime ubi ossa attigerit,difficulter curatur.Et ꝗuis curata appareat,temporis tamen progressu innouatur.In circuitu autẽ principalis uulneris fistulæ,superius multa oriuntur foramina, habetq; fistula intus uulnus profundum,in superficie uero angustũ & arctum. Cancer uero ecõuerso,quia exterius multum patescit, intus angustatur,ideoq; difficilius curatur. Quandoq; fistula nascitur ex rheumate,siue ex uulnere præcedente. Quandoq; ex apostemate seu alio uulnere male curato,& maxime quando loca apostematum aut uulnerum nimium humectantur. Quandoq; etiam in fistula diuersa fiũt foramina,aquam diuersi coloris emittentia,modo albam,modo citrinam. & quandoq; si foramina uno in loco clauduntur,in alio nascuntur. In cura autem fistulę cito remedia sunt adhibenda,priusquam ad ossa pertingat,per euacuationes,per unguenta,per puluveres, maxime autem cauendum est à frigore & madefactione. ideo apponenda sunt penetratiua,uinum calidum,puluis radicis tormentillæ,balsamum & similia. Sũt & alia apostemata quæ opposita ex materia generantur,ut liquet in Anthrace,quem Constantinus carbunculum uocat, quoniã ut carbo urit. Fit autem de materia admodum furiosa & uenenosa,deq; materia compolita, quod patet per lineas diuersas diuersorum colorum in eius superficie existentium,quia superficiem habet uariegatam. suntq; ibi lineę quædam rubeæ ex sanguine,quædam croceæ ex cholera, quædam subalbidæ ex phlegmate,quædam liuidę ex melancholia,quædam flauæ ex salso phlegmate,& ita ibidem diuersi sunt colores,secundũ ipsius materiæ diuersitatem cõpositi. Anthracis uero signa (ut diximus) uarietates sunt colorũ,dolor maximus,arsura & punctio in profundo,& in capitẽ

Erysipela.

Cancer.
Fistula.

Anthrax seu carbũculus.

apoſtematis orit̃ puſtula quædã ſiue ueſica prætendens calorẽ atteſtãtẽ
humore prædominãti in cõparatione diuerſorũ colorũ apparentium in
eius ſuperficie.uidetur etiã quod filũ ſit ligatum illi ueſicæ quæ in capite
eſt apoſtematis, quo ueſica cauat̃ ad fundũ, & uix paciẽs eſt ſine calore
febrili. Ad apoſtematũ uero curationem medici communiter appone=
re ſolent emplaſtra repercuſſiua, niſi ſit ex materia furioſa & uenenoſa,
ut eſt Eryſipela & anthrax, in talibus enim nequaquam ſunt apponen=
da repercuſſiua,ſed mitigantia potius,lenitiua & maturatiua, ne mate-
ria furioſa ſi repercutiatur, ad interiora membrorum nobilium diffun=
datur,& mortem inferat. Deinde quando apoſtema fuerit maturatũ,
ſi per ſe non rumpatur, cum lanceola apertura fiat ſatis magna. ſed ui-
deat primo ut bene ſit maturum,apertura facta,putredo guttatim emit=
tatur,nec tota ſimul euacuetur.tandem ponantur lenitiua & mitigatiua
ut oleum oliuarum tepidum & ſimilia. Et ita in die naturali paulatim
bis euacuetur,& ponãtur in loco aperturæ infra uulnus panni linei mũ=
di,quia attrahunt ſaniem,& ſtupa munda & noua, & ita paulatim po-
nantur conſolidatiua, & quæ bonam generant carnem,malamq́; corro=
dant.quæ illa ſint,reperies in dict.uulnus. Ad curandum uero alia apo
ſtemata quorum cura difficilis eſt,ut ſunt cancer,fiſtula, fortiora adhi-
beri debent remedia,quia ſecundum materiam peccantem,ex qua apo-
ſtema procedit,paciens per medicinas intus purgãdus eſt,& poſtea ap-
poni debent remedia,extra in locis infirmitatis. Nam ſi fuerit Cancer,
ponenda ſunt corroſiua & conſumentia,mundificatiua,uinum forte ca
lidum frequenter apponendum,quia mundat & deſiccat. Quod ſi in=
firmitas inualeſcat,nec remedia proſunt,chiurgo tradi debet,ut illud mẽ
brum uel uratur uel præcidatur ne totum corpus corrumpatur. Con-
tra anthracem ex materia uenenoſa & furioſa procedentem,cito eſt re=
medium apponendũ,quia niſi cito occurratur,cito interficit. Poſt itaq;
fieri debet minutio in eadem parte in qua eſt apoſtema, & in illo loco
proximiori congrue apoſtemati. Non enim debet fieri minutio parte
in oppoſita apoſtematis ne materia trahatur ad membrum aliquod no=
bile,quia hoc ualde eſſet periculoſum, quoniam materia eſt uenenoſa.
Poſtea habeatur bona theriaca & uinũ,& bibat de ea paciens cum uino
calido.locus etiam ſiue ipſum apoſtema cum aqua illa theriaca liniatur,
quoniam ſi theriaca bona fuerit & probata, & uerũ fuerit anthrax,pro=
hibet ne ultra apoſtema procedat, & materiam apoſtematis ſiccã & ue-
nenoſam extrahet,tandemq́; apoſtema ac eius materiam rediget in pul=
ueres quaſi cineres.Recens autem theriaca frequenter ſuper tale apoſte=
ma apponenda eſt,donec apoſtema rumpatur,quo rupto,paciens extra
periculum erit. Si uero theriaca in promptu non habeatur, accipiatur
uitellus

Curæ apoſtematum quæ difficulter ſanantur.

uitellus oui crudi & misceatur ibi sal bene tritum, & ad inuicem bene misceatur donec inspissetur, & frequenter apostemati superponatur; dolorem enim talis apostematis scilicet anthracis mitigat & rumpit. Itē Sapphirus orientalis singularem habet uirtutem tumoris & inflaturæ sedatiuam, quia superpositus, inflaturā uel rumpit uel reprimit, ubi infirmitatis initio apostemati frequēter applicetur. Præcipue autem ualet contra anthracem, nam uirtutem habet inprimis expellendi maliciam materiæ illius uenenosæ, eius enim furiā uirtus sapphiri reprimit & expellit, ne eius malicia spiritus inficiat, ipsius fumum ad cor ascendere nō permittit, ut aiūt physici. Item caseus recēs comestus uel anthraci superpositus multū iuuat, & uenenū extrahit. Sal item uenenosis humoribus resistit. unde sal bene tritum cum melle mixtum, & mica panis recentis, si ista bene pistentur, & ponantur super carbunculū siue anthracem, purgat & sanat. Idem facit, ubi alijs apostematibus superponatur. Centaurea herba amarissima, cuius succus melli mixtus, uisum clarificat, inflationes sedat, uenenosos morsus curat, contra anthracem mortiferum iuuat, & uenenositatem ac furiositatem, illius apostematis maliciā reprimit & refrigerat, & impedit ne illius maliciæ furia ad nobiliora mēbra interna se diffundat, teste Plinio. Sunt item alia remedia contra anthracem, illa scilicet quæ communiter sunt cōtra uenena. de quibus copiose in dict. uenenum. Aliquando etiam apostema generatur in latere ex humorum fluxu & cursu ad concauitatem costarū, ut patescit in pleuresi, quæ generatur apostemate existente in costarum teneritudine, cuius signa sunt, dolor lateris, tussis, febris acuta. Cognoscitur autem specialiter per sputum sanguineum si sit ex sanguine. Si autem sputum sit citrinū cognoscitur quod materia est cholerica, si album quod ex phlegmate, si liuidum quod ex melancholia. Talia autem apostemata quando generantur in latere, dolorem inferunt grauissimū lateris & inflationem, inq; illo latere paciens iacere non potest. unde in pronosticis dicitur, quod in febribus acutis ægrum iacere in latere, & præcipue in dextro, bonum signum sit, quia significat loca uicina non esse apostemāta, & spiritualia membra esse liberiora, unde tam insanis quàm firmis sanius est iacere & dormire in latus dextrum quàm sinistrum. tunc enim, ut dictum est, spiritualia membra sunt liberiora, habentq; locum in quo, ut eis expedit, magis dilatentur. Sic etiam iacendo homo melius inspirat & respirat, quia nec stomachus nec alia membra, spiritualia membra comprimunt, & cor quod in sinistra parte situm magis liberum est. Talia autem costarum apostemata per illius materiæ euacuationem curanda sunt ex qua generantur, & sumenda sunt cibaria illi materiæ seu eius conditionibus contraria, & emplastra ex illis quæ contrarias

Centaureæ uirtutes uariæ.

Pleuresis.

habent qualitates illi materiæ, illi sunt lateri apponenda. In cura uero omnium ualet abstinere à quanto & à quali, ne sumãtur salsa, acuta, duræ digestionis & similia. Item omnia unctuosa, ut oleum, sagimen antiquum, maluæ cum sagimine antiquo porci coctę, si super apostemata emplastrentur, maturari faciunt, & dolorem mitigant. Hoc idem facit butyrum, omniaq; unctuosa & lenitiua. illos etenim humores cõuertũt in saniem, maturando eos remolliendoq;. Item accipe cepam antiquam albam, quam ex parte radicis perfora, faciendo foramen ad quantitatẽ unius denarij, illamq; concauitatem oliuarum oleo impleas purissimo, & pone inter cineres ignitos ac calidissimos, ita oleum paulatim consumetur. deinde iterum infundatur, donec cepa bene fuerit mollis & bene cocta. postea extrahatur de igne, & amoueatur cortex eius, & in scutella quadam bene piletur, quo facto, in panno quodam ponatur, & per modum emplastri super apostema ponatur, uel super quancunq; inflaturã. istud statim maturari facit, tollitq; dolorem omnem & calorem. Quod si semel non suffecerit, fiat denuo, et qualibet uice teneatur per diem unũ uel noctem unam. Idem facit pasta de siligine, si cum lacte mulieris distemperetur. Idem Bdellium arbor efficit, huius arboris gummi siue gutta, quæ lucida est & peruia, cum uino calido bene mollificetur, et per modum emplastri superponatur apostemati & curabit ipsum. Item accipe farinam tritici puri, uel similam de siligine, & misce cum melle depurato, cumq; adipe antiquo ac bono uino decoquantur simul donec inspissetur, & per modum emplastri apostemati superponatur, maturabitur & curabitur. Idem facit fermentum cum sale mixtũ, & super apostema emplastratum. Radices quoq; uel folia lilij in oleo oliuarum decoquantur, & calida uel tepida apostemati superponãtur, id apostema facit maturari. Radices item uel folia lappæ si cum oleo decoquantur, & per modum emplastri ponatur super apostema seu inflaturam, maturari facit, aperit & rumpit. Item accipe Mentham hortensem, decoque cum bono uino & oleo, superponatur per modum emplastri apostemati, maturabitur & curabitur. Idem faciunt Maluæ folia decocta cum oleo ac simili modo superposita. Item Gith, quod est semen leguminis simile cymino in quantitate, sed nigri coloris, istud semẽ accipe, & cum furfure ac lini semine, columbarumq; stercoribus uino mixta bene decoquantur, & per modum emplastri ponatur super apostema, maturabitur & curabitur. Idem facit triticum integrum bene cum oleo coctum, & super apostema emplastratum. Item accipe radices uel semen Maluæ, decoque in oleo, & per modum emplastri pone super apostema, maturabitur & curabitur. Prædicta omnia maturatiua, & eorum quælibet si emplastrentur super ulcus, faciunt maturari & curant, sed

Bdellium arbor.

nec super

nec ſuper apoſtema, nec ſuper ulcus in principio ſtatim ponenda ſunt maturatiua, donec humores putrefacti ſint illo in loco planè congregati nullùm etiam prædictorum in totum à ſanie ſimul eſt euacuandum, ſed paulatim horis & diebus. De his quære in dict. caſus, dolor oculorum dragagantum, anethum, butyrum, caput, caſſia, emplaſtrum, maturatiua, Sapphirus, anthrax, faba, farina, fermentum, Gith, guttur, lilium, lepra, medicina, nux, ouum, oleum, plumbum, plantago, rubus, ſputum, linum, roſmarinus, terebinthus, triticum, zizania, amomum, anethum. De apoſtemate periculoſo quod uocatur anthrax, quære in dict. apoſtema, Cypreſſus, caſeus, Centaurea, ſal, ſapphirus, roſmarinus, ouum.

De aquila. Cap. X.

AQuila gemmam quæ Achates dicitur ſuo in nido ponit, ut pullos ſuos cuſtodiat à reptilium morſu, quoniam Achates huius eſt uirtutis. Item aquilæ fel admodum eſt medicinale, quia in collyrijs poſitum, uiſum acuit, oculorum caliginē purgat, omnibusq; alijs oculorum paſſionibus prodeſt, teſte Conſtant. Et ut Plinius teſtatur, Aquilæ penna inter aliarum auium plumas poſita, eas corrumpit & corrodit. quemadmodum chordæ de luporum inteſtinis factæ, in uiella uel cithara poſitæ cum chordis de inteſtinis ouiū factis, eas deſtruunt & corrodunt, quo pateſcit, quod lupus à tota ſpecie oui contrariatur, quia etiam pellis eius, pelli ouis eſt contraria. Item fel accipitris collyriatum ualde prodeſt oculis, eorumq; caliginem purgat, albuginem tergit & conſumit. Idem facit ſtercus accipitris collyriatum, aliarumq; auium ex rapina uiuentiū. De aquila in dict. lupus.

Achates gemma ptē tioſa, cuius ſpecies multæ ſunt.

De arboribus. Cap. XI.

DE arborum inſertione generaliter eſt ſciendum, quòd arbor quando inſeritur arbori ſuę ſpeciei ut pyrus pyro, plus incrementum facit. Item ſurculus alicui trunco inſertus, trunci & naturam & qualitatem in ſui naturam & qualitatem conuertit. Omnis autem arbor ſylueſtris diligenti cultura hortenſis efficitur & fructifera, & econtra. Arbor quæ mala in terra ſterilis eſt aut fructum facit amarum, in bona terra fructifera efficitur, fructumq; bonum profert & dulcem. Arbores item quę tranſplantantur, in uere tranſplantari debent, quoniam hoc tempore caliditas uiget & humiditas, quæ cauſſa ſunt uitæ. Item arbores quolibet anno fructificant, & interdum bis in anno propter caloris & humorum unctuoſorum habundantiam ut ſunt ficus. Quædam uero arbores uno anno fructificant, ſequenti requieſcunt & à fructu ceſſant, ut oliuæ. & huius ratio eſt, quod

in sequenti anno reficiuntur humorem restaurando quem posuerant, & quo se euacuerant primo anno. De humore enim fructibus suis uno in anno tantum ministrant, ut nisi emissus humor restauraretur, postero anno arescerent penitus & morerentur. Ramos tamẽ multos, sed paucos quosdam fructus illo anno emittunt. Quædam arbores in iuuentute sunt fertiliores, quoniam calore tunc & h..umore habundant. Quædam econtra in senectute plus fructificant quàm in iuuentute, quoniã in iuuentute plus calore habundant, quàm naturalis earum calor perfecte possit digerere. Ad generationem autem fructus humoris perfecta requiritur digestio. In senectute uero humor minuitur, ideoq; tunc calor naturalis humorem perfecte digerere potest, quemadmodum fructus natura exigit, quod patescit in amygdalis & pyris. In arboribus etiam cognoscitur quæ mascula sit & quæ femella. arbor nanq; mascula frondes habet & ramos spissiores, densioresq;, corticem duriorem, fructus breuiores, maturabilioresq;. folia quoq; habet strictiora, asperiora, & minora, quod patescit in Lauro. Arbor etiam mascula prius pullulat q̃ femella, maioremq; emittit odorem. Quando item arbores ita plantantur, ut uentus odorem masculæ ad femellam bene portet, femellæ fructus citius maturabuntur. Cæterum arbores quæ in montibus crescũt, meliores, dulciores, sanioresq; fructus producunt, quàm quæ in locis planis, aut uallibus. & quæ in locis planis, meliores quàm in uallibus, propter aëris puritatem, caloris habundantiam, & humoris subtilitatẽ, talesq; fructus eisdem ex caussis diutius conseruantur. In plantandis etiam arboribus, seminandisq;, Lunæ ætas plurimũ seruanda est. nam quæ in recto plenilunio uel plantantur uel seminantur, minus conualescunt, & minus crescunt, fructus insuper faciunt uermiculosos, quiq; citius putrescunt. Simili modo arbores quæ in plenilunio de terra præscinduntur, pro construendis ædificijs minus bonæ sunt, quia minus durant, & citius putrescunt, ut testatur Constant. Huius ratio est, quod luna dominium habet super omnia humida, & crescente eius lumine, crescunt & arescunt, ac resoluuntur omnia humida. Ideo in plenilunio humor qui est in lignis, crescit, bullit, quasiq; resoluitur, et si lignum tunc præscindatur, humidum illud resolutum postea putrescit, & inde fluũt uermes lignum corrodentes. Sed luna cum alia in ætate fuerit, humor in lignis existens non est commotus, ideoq; non putrescit, sed in nouilunio tale humidum diminuitur, quare tunc ligna sunt præscindenda. de quo in dict. luna. Item quando rami superflui de arboribus præscinduntur, melius fructificant & amplius, quoniam tunc humor transit & conuertitur in fructum, qui aliàs in nutrimentum transiret superfluorũ.

In plantandis seminandisq; arboribus Lunæ ætas obseruãda est.

De Amygdalo

De Amygdalo. Cap. XII.

ARbor quæ appellatur Amygdalus, excoli debet, aliâs ſyluęſcit, minuitur, & deterioratur fructus eius, maxime ubi arbor fuerit antiqua. Vnde Amygdalus ſi in ſenectute ſua perforetur clauis, depuratur eius humor, & fructus eius multiplicatur ac melior efficitur, idcirco antiqua plus fructificat quàm nouella. Quædam autem ſunt amygdala dulcia, taliaq́ ad cibum & potum ſunt utilia. Quædam amara, & hæc magis ad medicinam utilia, quia calida ſunt & ſicca. Si amygdalum dulce & recens, ſua cum interiori pellicula comedatur, ſtomacho prodeſt, ſed capitis generat dolorem, oculorum caliginem nutrit, uenerem accendit, ſomnum facit, ebrietati reſiſtit. Radix iſtius arboris ſiue dulcis ſiue amaræ elixata & bene cocta, ſi liniatur cum oleo, faciei maculas tergit, mūdat & purgat. Si frōs cum ea liniatur, capitis dolorem mitigat, uulnera putrida ſi per modum emplaſtri mixto melle uulneribus apponatur, mundat & ſanat. Cortex etiam & folia ſi bulliantur & emplaſtrentur, mūdificatiua ſunt & ſanatiua. Oleum amygdalinum uermes & lumbricos in uentre necat, ſi cum pulmento ſumatur uel cibo aut potu. Tale oleum ſi tepidum in auribus pacientibus inſtilletur, contra ſurditatem efficaciter iuuat, aurium ſaniē & uulnera mundat & deſiccat. Item eius flores in oliuarū oleo decocti, caducos & lethargicos excitant. flores eius cocti, triti, & cum melle mixti caninis morſibus obuiant, ulcera ſanant. Gummi de amygdalis ſtillans ſeu reſudans, mixtum cum illius potu qui ſpuit ſanguinē, ſeu uino quod per illum bibi debet, appoſitum ſeu diſtemperatum, ipſum iuuat. Et ſi amygdalus clauis confixatur, grana quædam gummi emittit.

Amygdalini olei uirtutes.

De ligno Aloes. Cap. XIII.

ALoe arbor eſt, cuius lignum Aloe appellatur, cōtra diuerſas infirmitates admodum utile. quod ſi bonum, purum, nec ſophiſticatum fuerit, aromaticum eſt, quod ſentitur, dum inter dentes maſticatur. ſi ponatur in electuario, ſtomachū confortat, digeſtionem procurat, cordis debilitatē ac cerebri, ſyncopim, ac cardiacam paſſionem plurimum iuuat, cōtraq́ omnes cordis paſſiones ex cauſſa frigida prouenientes. Plurimum ualet uinum, in quo dictum lignum bene fuerit coctum, ſi bibatur. Sed quoniam uinum in quo decoquitur, facit amarum, igitur intus ponatur zaccarū, uel aqua roſacea, & amaritudo temperabitur, taleq́ uinum diu conſeruatur. Lignum iſtud ſi per modica fragmenta ponatur ſuper carbones in aliquo uaſe poſitos, & fumus eius per nares recipiatur, cerebrum infrigidatum

catarrhisatum calefacit, & ex longa infirmitate uel alia ex caussa debilitatum cerebrum, multum confortat. Vnde quartanam pacientibus iste fumus ualet & potus.

De Aloe succo. Cap. XIIII.

ALoe succus est herbæ cuiusdã quæ appellatur Aloe. Cæterum Aloe bonum cognoscitur, quando per minutas partes frangitur, ut appareat puluis eius tanquam croci. quantoq; sua de natura minus est amarum, minusq; foetidum, tanto est melius. Iste succus prodest phlegmaticis, choleram & melancholiam purgat, stomachum à uiscosis humoribus ac nociuis mũdat & euacuat, caput & cerebrum grauatum à fumositatibus ex stomacho ascendentibus alleuiat, uisum clarificat, splen & hepar deoppilat. In maculoso corpore bonum colorem generat, corpus ab hydropisi conseruat. & si infirmitatis principio paciẽs eo utatur in electuarijs uel alio modo, ipsum curat. Puluis aut succus istius herbæ cum melle mixtus, comestus uel potatus, lumbricos, hoc est, uermes uentris necat, capillorum fluxum capitis prohibet & impedit, artheticos si passionis locus emplastretur cũ illo iuuat, oculorum pruriginem tollit. membrorum genitaliũ ulcera sanat, consolidat, mundificat, & desiccat. ori amarum est, sed stomacho dulce & utile, quoniam infrigidatum ipsum & debilitatum confortat, & digestionem iuuat.

De Amomo frutice. Cap. XV.

AMomum frutex est, odorem habens quasi cinnamomi. illud autem quod fului coloris, & optimi odoris, melius est & maioris uirtutis. Virtutem habet calefaciendi, desiccandi, scorpionum ictibus resistit, eosq; curat. Si in aqua decoquatur, et cum eadem oculi liniantur eos clarificat, ac dolore alleuiat, uiscerum dolorem mitigat & sanat, uentositatem extenuat & euacuat. huius elixaturæ siue decoctionis aqua si bibatur, phreneticos iuuat, uel si cocta emplastretur super caput phrenetici. plurimũ quoq; prodest hepaticis & podagricis. In omnibus bonis antidotis & medicinis amomum poni solet. sed cauendum ne quis decipiatur, quoniam alia quædam ei assimilantur, quæ pharmacopolæ eius loco interdum ponunt.

De Anetho. Cap. XVI.

ANethum recens seu in primo anno melius est quàm antiquum, cuius radix uiridis & recens, uirtutem habet diureticam, calidam scilicet & aperitiuam, compactorumq; diuisiuam, uentositatis ac inflationis exte-

nis extenuatiuam & expulſiuam, torſionis uentris & uiſcerum mitigatiuam. Virtutem habet frangendi calculũ, & aperiendi meatus urinales, ſingultum ex repletione procedentem amputat, ſomnum prouocat, duras humorum collectiones in corpore, cum oleo coctum oliuarum, per modum emplaſtri appoſitum, maturat. Flos eius cum uino coctus capitis dolorem aufert, ſi cum eo caput fomentetur. Item anethum cum oleo oliuarum coctum, rigorem & duritiã neruorum ſanat & relaxat.

De Aniſo. Cap. XVII.

ANiſum dulcioris eſt ſaporis quàm anethum, ſed eaſdem habet efficacias & uirtutes. eius ſemen eſt rotundum & minutum magis quàm anethi. Virtutem habet diſſoluendi, uentoſitates conſumendi, digeſtionem confortandi, hepatis & ſplenis oppilationes aperiendi. cõfringendi calculum, & aperiendi omnes meatus interiores & enudandi, unde uſus eius utilis eſt ad ſanitatem tuendam.

De Allio. Cap. XVIII.

ALlium quo cõmuniter homines utuntur, fortiſſimi eſt odoris. ideo per loca fœtida tranſeuntes, & ubi ſunt corruptiones, allio ſe muniunt, quia odor eius omnes odores ſuperat & fœtores. Proprietates quaſdam habet malas, quia inflationem facit, ſtomachum lædit atque ſiccat, ſitim prouocat, carni appoſitum ſeu corpori, ipſum ulcerat & uulnerat. Si mulier pregnans allij odorem noctu non ſentit iuxta lectum poſiti, conceptionis ſignũ eſt ueriſſimum. Si cholerici nimis frequenter allio utantur, totũ corpus inflammat & deſiccat, leprã generat, maniã atq; phreneſim inducit, uiſum lædit & obſtruit, capitis dolorem inducit. Cholerici igitur ſumme cauere debent ne allio utantur, maxime tempore calido, uere ſcilicet & æſtate, quia rubeam choleram cito generat, aduſtam multiplicat & augmentat, plus nocet crudum quàm coctum. hyeme uero phlegmaticis admodum prodeſt ſi ſobrie ſumatur. Habet etiam proprietates quaſdã bonas, quoniam maxime ualet contra omne uenenũ ſi comedatur, uel mixtum cum uino bene tritum bibatur. Conſumit enim & expellit omne uenenum. unde uocatur theriaca ruſticorum. Item accipe allium decorticatum, miſce cum ſale, nucibus tritis, & herba Rutæ, fac unam maſſam ad oui quantitatem uel nucis, & de illa maſſa cum uino diſtempera iſtud enim, ſi frequenter ad bibendum dederis, cõtra rabidi canis morſum ualet, & contra omne uenenum. Si etiam talis maſſa per modum emplaſtri ponatur ſuper morſum rabidi canis, uel ſerpentis aut ſcorpio-

Allij uſus cholericis admodum nocuus.

Allium theriaca ruſticorum.

nis, uel araneæ, uel alterius animalis uenenoſi, uenenum extrahit, et uulnus ſanat, ab omni periculo præſeruat ſicut theriaca. Allium quoq; ſui ex caliditate uirtutem habet aperiendi, humores groſſos incidendi, ac cõſumendi eos, ualet calculoſis, & ſtranguriam, id eſt difficultatem urinãdi pacientibus, uentrem mundat, uiſcerum torſiones ſanat, lumbricos, alioſq; uermes uentris occidit. Allium item cum pipere, ſucco menthæ, & aceto comeſtum dolorem iliacum & lumborum mitigat. ſi bene mũdatum, tritum, cum oleo oliuarum coctum ſuper locum dolors iliaci ad modum emplaſtri ponatur, plurimum iuuat. Valet etiam contra morphæam, id eſt lepram cutis, ſi locus morphææ purgetur, & eo trito confricetur, aut cataplaſmetur. Valet etiam ſpecialiter contra ſerpentum morſus, & eorum uenenum, ſi tritum cum oleo laurino per modũ emplaſtri ſuper morſuræ locum ponatur. Hydropicis etiam eius uſus prodeſt, quando ex cauſſa frigida eſt, quia humorem intercutaneum extrahit, deſiccat & conſumit, tumoremq; reprimit. uulnera cruenta, ſanioſa, ſordida, & fœtida purgat & ſanat, ſi puluis allij combuſti frequenter deſuper ponatur. Allium aqua fontana ſeu pluuiali coctum, dolorem & tumorem ſanat, eius tamen uſus multum nocet oculis, & ſequentia. Allia, uina, uenus, puluis, faba, fumus, & uentus, Hæc nocent oculis, ſed uigilare magis. de allij natura in dict. aranea, canis, lepra.

Iliaci doloris & lumborum remedia.

De Abſynthio. Cap. XIX.

Abſynthium herba eſt calida & ſicca, multum ſtiptica, ſicca et amara nimis. In fine ueris colligi debet, & in umbra deſiccari, per totum annum magnæ eſt efficaciæ. Virtutes habet diuerſis ex naturis contrarias. propter ſuæ enim ſubſtantiæ groſſiciem & ponticitatem conſtringit, ex caliditate etiam & amaritudine laxat. unde ſi cum uino diſtemperetur & bibatur, & inuenerit materiam ſubtilem, habilem ad digerendum, caliditate ſua eam plus ſubtiliat & diſſoluit. Syrupus de abſynthio factus iuuat hepar, ſtomachum confortat, appetitum excitat, ebrietati reſiſtit, Ictericiam curat, malum colorem alterat & immutat. Succus eius cum croci puluere, ſplen deoppilat, ſtomachi dolorem ac inteſtinorum, ſi ex uentoſitate procedat, diſſoluit & mitigat. Succus eius auribus inſtillatus, humiditates ex auribus diſtillantes deſiccat. Abſynthium cum felle tauri tritum, auribus inſtillatum, earundem ſonitum diſſoluit & tinnitum, auditum roborat, capitis dolorem ex fumoſitate ſtomachi procedentem ſanat. Succus eius, ſiue abſynthium ipſum bene tritum & cataplaſmatum appoſitum, ſi admiſceatur ibi puluis cymini & mel, illaq; bene trita per modum emplaſtri ſuper locum percuſſum apponantur, dolorem ex percuſſione procedentem

Abſynthij uirtutes.

cedentem ſanat. Succus eius lumbricos uentris, & uermes aurium, ſi eiſdem inſtilletur necat. Succus eius cum uino potus, uiſum clarificat, & ſi frequenter oculis infundatur, ruborem & pannum ſiue telam oculorum curat. Libros & pannos à uermibus, tineis, & muribus cuſtodit, ſi abſynthium pannis apponatur. Morſus uenenatorum ſanat, ſi ſuper morſuræ locum emplaſtretur, uel bibatur eius ſuccus cum uino. Item ſi in uino uel aqua fortiter decoquitur, & uinum aut aqua bibatur, uentoſitatem & inflationem uentris curat. Abſynthium aut ſuccus eius, febricitanti nullo modo dari debet. Si cum abſynthij ſucco capitis capilli inungantur, ipſorum fluxum prohibet, eosq; denigrat, maxime ſi de eius ſucco cum aqua roſacea & oleo fiat unguentum, & pili unguento illo ungantur. de quo in dict. dolor capitis.

De Apio. Cap. XX.

APium herba eſt communis, cuius radices decoctæ, ſuper locum morſuræ ſerpentis emplaſtratæ, ſeu aqua uel uinum decoctionis eius bibitum, contra uenenum ualet. Eſt & Apium ranarum, quod in locis creſcit aquoſis, ubi ranæ habitant. hoc apium cum uino coctum & oleo, & per modum emplaſtri calidum poſitum ſuper uentrem & renes, eorum dolorem manifeſte ſanat. Eſt & aliud Apium, quod apium riſus uocatur. melancholiam purgat, cuius ex habundãtia fit triſticia. ſi eius decoctio in uino uel aqua bibatur, tantum homo poſſet bibere, ut ridendo moreretur. Contra calculum ualet & ſtranguriam, id eſt difficultatem urinandi, ſi eius decoctio in uino aut aqua bibatur, uel ſuper umbilicum coctum cũ oleo emplaſtretur, uel ſi poſtquam coctum fuerit in uino uel aqua, de illa aquã partes inferiores fomententur. Quoddam etiam apium eſt hæmorrhoidum ita uocatum, quòd puluis eius aut cinis hæmorrhoidibus ſuperpoſitus, earum fluxum reſtringat. Apium autem commune, ſplenis & hepatis oppilationem aperit, calculum frangit, triſticiam fugat, hydropicos ſanat, & phreneticos plurimum iuuat, ſi eius ſucco cum oleo mixto roſaceo & aceto, caput phrenetici ſæpius inungatur. Radix eius & ſemen coctum cum oleo uel uino, morſibus uenenatis & ueneno reſiſtit, ſi morſibus apponatur per modum emplaſtri, uel eius decoctio bibatur. Omne autem apium epilepticis nocet, quoniam diſſoluit, & materiam ad ſuperiora mouet, ideo pueris plurimum nocet. nam ætas illa propter humiditatis habundantiam, & uirtutis debilitatẽ, & membrorum, meatuumq; ſtrictitudinem, ad morbum caducũ diſpoſita eſt. ideo lactantes nutrices ab apio omnino abſtinere debent, ne puer de eius lacte nutritus, efficiatur epilepticus.

Apij diuerſa generá eorumq; uirtutes.

Omne Apium epilepticis nociuum.

De Ariſtolochia herba. Cap. XXI.

ARiſtolochia herba calida eſt & ſicca, cuius radix ſi coquatur in uino, & uinum bibatur, uel ſuper morſum uenenoſi animalis, cocta cum oleo emplaſtretur, uenenum cõſumit, diſſoluit & laxat. Comeſta bonum facit anhelitum, ſplenẽ durum emollit, eius oppilationes aperit, uentris, lateriſq; dolorem & uentoſitatem ſanat. podagricos & caducos iuuat & contractos, contra morſus uenenoſos ualet emplaſtrata, deſuperq; poſita, carnem mortuam in fiſtula et uulneribus leniter corrodit. radix eius ſi cum uino decoquatur & uinum bibatur, fœtum è uentre mortuum expellit.

Fœtus mortuus quo pacto è uentre expellendus.

De Agno caſto. Cap. XXII.

AGnus caſtus herba eſt calida & ſicca, quæ ſi comedatur in ſalſa, uel alio modo, ſeruare dicitur caſtitatem. Agni caſti folia ſi cum apio & ſaluia decoquantur in aqua ſalſa, & cum illa decoctiõe calida & fumoſa emplaſtretur poſterior pars capitis lethargici, multum eum iuuat, etiam ſi cum fumo illius decoctionis poſterior pars capitis lethargici fomentetur.

De Artemiſia. Cap. XXIII.

ARtemiſia herba calida eſt & ſicca, in aqua decocta uel uino, quod uinum ſiue aqua ſi bibatur, capitis dolorem mitigat, aut ſi cum illa fumoſitate caput fumigetur, fœtum de uentre mortuum educit, calculũ renum & ueſicæ frangit.

De Auena. Cap. XXIIII.

AVena in cibum ualet hominibus, quia inde fit auenatum. & equis etiam auena cocta ſuper tumorem apoſtematum ſeu ulcerum poſita, habet uim duriciem relaxandi, emolliendi, maturandi. Sed etiam ſi cum ipſa cocta facies liniatur, eius immundicias mundat, & claritatem faciet.

De Alopecia. Cap. XXV.

ALopecia infirmitas quædam eſt, quum ante ſenectutis tempus pili capitis cadunt uel barbæ, quæ infirmitas accidit ex corruptione humorum, qua ex corruptione capilli cadunt, ut uidere eſt in leproſis, & ita denudata anteriori parte capitis ſuperficies deturpatur. Si autem capitis pili ex defectu humoris & caloris cadunt, ut eſt in ſenibus, non eſt alopecia. Capillorum etiam caſus in

ſus in iuuenibus quandoq; accidit ex nimio calore humorem, qui nutrimentum & materia eſt pilorum, deſiccante. Corruptio autem ſanguinis ex melancholiæ infectione alopeciam cauſat, & eſt quædam ſpecies lepræ, quoniam lepra fit ex ſanguinis corruptione. Vnde iſtam infirmitatem paciens, calefactione et corruptione ſanguinis in hepate, maxime tempore æſtiuo, fluxum patitur capillorum capitis, barbæ & ſuperciliorum. Ad curandam uero iſtam infirmitatem, inſiſtendum eſt purgationi ſanguinis, illisq; uti debet paciens quæ ſanguinem mundant, ut eſt Caſſia fiſtula & ſimilia, fructus & folia Myrti, maxime fructus ſi decoquatur in aqua, cum qua totum caput & facies pacientis alopeciam frequenter lauetur, uel ſi decoquatur in uino, & uinum decoctionis bibatur. de alopecia atq; eius remedijs quære in dict. lepra, capilli, mus, Myrtus, magnes, oleaſter.

Alopecia eſt quædã ſpecies lepræ.

De aſſimilatione filij ad patrem. Cap. XXVI.

ASſimilationis filij ad patrem cauſſa eſt, quòd corpus infantis ex commixtione duorum ſeminum maris ſcilicet & fœminæ, formatur. Nam ex uno ſolo ſemine uirtute naturæ non poſſet formari. Hæc autem commixtio fit in matrice, in qua multæ ſunt cellulæ. & ſi iſta commixtio in dextram partem cadit matricis, generatur maſculus. ſi uero in ſiniſtram cadit, generatur fæmina, iſtaq; diuerſitas accidit propter caloris dominium potius in parte dextra quàm in ſiniſtra. Vnde Conſtãtinus & Ariſtot. de animalibus, Si fuerit uirtus ſeminis in mare uincens, patri fœtus aſſimilabit. Econtrario, ſi uirtus quæ eſt in ſemine fœminæ uincat uirtutẽ ſeminis quod eſt in mare, matri aſſimilabitur. Cuius ratio eſt, quia uirtus deciſa cum ſemine patris & matris plaſmationem operatur corporis fœtus, & uirtus talis agit & format aſſimilando illud quod operatur ſuo principio. Primo autem natura format in fœtu membra principalia, cor ſcilicet, cerebrum, hepar, quæ aliorum membrorum ſunt fundamenta. Poſtquam autem fœtus in uentre matris uiuificatus fuerit, et à deo animam receperit, ſeq; mouere inceperit, ſi eſt fœmina in ſiniſtro latere plus mouetur. ſi uero eſt maſculus plus ſentitur eius motus in dextro latere. Sunt & alia ſigna. nam ſi impregnata fuerit de maſculo, minus grauatur quàm de fœmina, eſt etiam mulier pulchrioris mundiorisq; coloris ſi concepit maſculum, quàm ſi fœminam concepit. eſt præterea motus leuioris impregnata de maſculo q̃ de fœmina. Infans autem cum natus fuerit, propter carnis teneritatem uarijs indiget fomentis, ne à frigido, uel à nimis calido aëre lædatur, teſte Conſtant. Infantes enim ait, matris uterum exeuntes, in roſis cum ſale tritis inuoluantur, ut eorum membra cõfortentur, & à uiſcoſa humi-

Natura in fœtu primum format cor, cerebrum & hepar.

ditate liberentur. deinde palatum & gingiuæ cum digito in melle depurato uncto per nutricem fricentur, ut interiora oris confortentur & mūdificentur, & ut dulcedine & mellis acumine infantuli appetitus prouocetur. Frequenter etiam balneari debent aqua calida, & frequenter inungātur cum oleo Myrtino aut rosaceo, omnia eorum membra suauiter fricentur, masculorum præcipue, quorum membra debēt propter exercitiū duriora esse solidioraqꝫ. Somnus aūt eis in loco obscuro prouocetur, ut lumen oculorum ipsorum coadunetur & fortificetur, quia locus luminosus nimis uisum eorum lædit & dispergit, & tenellos oculos lædit, & interdum luscos & cecutientes facit, ideoqꝫ non sunt aëri nimium lucido exponendi, ne spiritus uisus dispergatur. Cauendum est etiam nutricibus ne noctu lumen teneant ante faciem infantulorū, maxime cum sunt in cunabulis, tanto nanqꝫ amore anima fertur ad lucem, quemadmodum August. refert, ut paruulus ubi lucem uiderit, oculum semper ad lucem conuertat, ideo plerunqꝫ paruuli strabones efficiūtur. Cauendum est etiam ne paruuli malo lacte nutriantur & corrupto, ne nutrix utatur malo nutrimento seu corrupto, nec uino nimis grosso, multum euaporato, quia ex uiscoso lacte nutricis, pueri qui illo nutriūtur, pessimas incurrunt passiones, oris scilicet ulcerationes, uomitum, febrem, spasmum, fluxum uentris & similia. Si uero paruuli ægrotent, non est eis danda medicina, sed nutrix, quæ dum lactat, in bona esse debet dieta, ut eius lac infantulo sit medicina. quoniā ex bona qualitate lactis nutricis, bona fit consistentia prolis. & quia infantulus multū etiā accipit nutrimentū, ideoqꝫ multo somno indiget ad digerendum. igitur per temperatum motum in cunabulis sunt paruuli ad somnum inuitandi. & quoniā paruuli multū etiam cibū appetunt & recipiunt, idqꝫ frequenter, idcirco ob cibi superfluitatē uarias ad infirmitates facile dispōnuntur. Pueri etiam à corruptis geniti parētibus, corporis corruptionem ab ipsis contrahunt, ut patescit in leprosorum filijs & podagrorū, qui ex parentum corrupto humore lepra sæpius inficiuntur. Aduertēdum est, quod in masculis corda sunt ampliora, maiora, & habiliora ad recipiendum maiorem habundantiam spiritus & sanguinis, ideoqꝫ propter spiritus habundantiam & calidi sanguinis, audatior est naturaliter maris animus quàm fœminæ, quoniam in fœmina caussa est contraria. nam propter caloris fortitudinem, et siccæ complexionis uigorem, nulli uiro accidit passio menstrualis. & ex caussa cōtraria accidit mulieribus.

Summe cauendū est, ne infantes malo & corrupto lacte nutriantur.

De alimento. Cap. XXVII.

DE alimento & alito sciendum quòd tam pro sanitate conseruanda, quàm pro infirmitate curanda, plurimum est cibi potusqꝫ qualitas obseruanda.

obſeruanda. Quidam cibi ſubſtantialem habent caliditatem & humiditatem, quæ ſanguinis ſunt qualitates, ideo tales cibi cito in ſanguinem conuertuntur. generaliter enim, niſi cibaria ſua in qualitate ſubſtantiali aſſimilarētur, membrum nunquam in eorum conuerteretur ſubſtantiā, idcirco cibus citius in materiam conuertitur illius membri & humoris, cui ſuis in proprietatibus magis aſſimilatur. Quidam cibi multum nutriunt, quia multū ſanguinem generant. quidam parum nutriunt, quia modicam habent cōformitatem ſuis in qualitatibus cum ſanguine. Igitur omnis cibus ſanguinis generatiuus ſua ex humiditate & caliditate temperata, magis eſt laudabilis, magisq́; nutritiuus. Eis tamen qui corporali exercitio laborant, cibus groſſior magis eſt conueniens, quia difficilioris eſt digeſtionis, ſanguinemq́; generat magis groſſum. Vnde Ariſtot. refert, quod carnes aſſatæ, quoniam difficilioris digeſtionis, laborantibus magis competunt quàm elixæ. Circa cibum & comeſtionem conſideranda ſunt cibi qualitas, ſubtilitas, quantitas, comedendi neceſſitas, temporis congruitas, tam pro ſanitate conſeruanda, quàm pro infirmitate curanda. Quidam enim cibus tam ſecundum ſubſtantiā, ꝙ ſecundum qualitatem eſt ſubtilis, talisq́; cibus facile digeritur, & eius magna quantitas parum nutrit. de cibo nutritiuo Raſis ſic inquit. Tria ſunt quæ bene ac cito nutriunt, & deperditum reſtaurant, ſcilicet oua ſorbilia, bonum uinum, ius bonarum carnium, ſcilicet uituli, hædi, caponum, gallinarumq́;. Quidam eſt cibus groſſus qui tardius digeritur, & talis cibi modica quantitas multum nutrit, quia ex eo ſanguis groſſus generatur, qui tardius reſoluitur ab ipſis membris. Quidam eſt cibus in ſubſtantia & qualitate temperatus, talisq́; cibus eſt laudabilis & bene nutrit. unde Auicenna, herbæ crudæ, & fructus nimis recentes, maxime poma & pyra minus ſunt bona quo ad cibum, propter humiditatis exceſſum, quia ſanguinē replent aquoſitate, & ideo diſponunt ipſum ſanguinem ad putrefactionem & febres. ideo dicit, illos fructus non comedi, & non febricitaui. Item ſciendum eſt, quod una in menſa cibus eſſe debet uniformis & unius ſpeciei, ne ſcilicet una in menſa uel prandio fercula diuerſarum ſpecierum comedantur, quia ut dicit Auicen. dum unus cibus digeritur, uel eſt digeſtus, alius cibus qui alterius eſt naturæ & difficilioris digeſtionis manet indigeſtus & corruptus, corrumpitur quoq; ſtomachus & grauatur. Et tamen qui caſum appetitus patitur, ad excitandum appetitū, diuerſa ſunt ei cibaria offerenda, ut de quolibet parum ſumat. Conſideratur in cibo quantitas, ut nec ſuperfluus, aut nimis modicus cibus ſit, ſed ſobrie, & ſecundum quod expedit aſſumatur. Cibi enim & potus ſuperfluitas naturam grauat, ſtomachum uiolenter diſtendit & inflat, rugitum & torſiones uentris generat, malos humores

Quæ circa cibum et comeſtionem ſunt conſideranda.

augmentat,& putridos generat,nauſeam & uomitum prouocat, naturalem calorem ſuffocat, quemadmodum olei ſuperfluitas lampadẽ extinguit.ſpaſmum et neruorum contractionem generat, quia iſtarum infirmitatum cauſſa & repletio, ulcera, ſcabiem, apoſtemata, eructationes, corruptionem anhelitus generat, ſenium & mortem accelerat. Quando uero cibus eſt nimis paucus, & non ſufficit ſuſtentationi naturæ,naturam debilitat,uiſum & omnes ſenſus hebetat,capillorũ fluxũ & caluiciem generat,ethicã accelerat,corpus extenuat & debilitat. ideo ſicut cauendum eſt ab exceſſu in cibo,ita & à defectu. Cum uero cibus ſobrie & temperate ſumitur,penſata cibi qualitate,comedentis ætate,labore et quiete,ſanitate uel infirmitate,deperdita reſtaurat,uirtutem cõſeruat,ſenſus facit uiuaces,ſanguinem augmẽtat,calorem temperat, ingenium acuit,laborandi uires tribuit,corporis ſanitatem cuſtodit,ſuauẽ ſomnum inducit. Quædam etiam cibaria uni ſana ſunt, quæ alteri ſunt nociua.nam allia,piper,ſalſa & acuta, quæ cholericis ſunt multum contraria & nociua,interdum phlegmaticis competunt. Amygdala etiam ſunt uulpi mortifera, ſed hominibus proſunt. Iuſquiamus qui homini eſt mortiferus,paſſeribus & cornicibus eſt cibus teſte Galeno. Cibaria etiam ſecundum diuerſitatem temporum ſunt uarianda. Nam hyeme utendum eſt calidis & groſſioribus,in æſtate autem frigidis, & illis quæ facilius digeruntur,quoniam in uere & hyeme uentres ſunt calidiſſimi, & ſomni longiſſimi. Alius etiam cibus & potus dandus eſt infirmo ſecundum infirmitatum diuerſitatem, quia in quartana non eſt utendũ aqua,ſed in acuta & tertiana. Alius item cibus conuenit quartario,alius pacienti acutam uel tertianam. Alius etiam cibus dandus eſt ei qui patitur acutam in principio infirmitatis, alius quando infirmitas eſt in ſummo, ſcilicet quinta, ſexta, ſeptimaue die, quia dum infirmitas eſt in ſummo,cibus dari debet multum digeſtibilis,nullam habens pinguedinem, & modica quantitate, quia tunc natura circa morbi digeſtionem tota occupata eſt.ideo effectus eius impediretur ſi circa groſſum cibum & multum occuparetur. In malo etiã chronico ſiue prolixo (quia uirtus confortanda eſt, ne infirmitatis prolixitate deficiat) maior eſt ei cibus miniſtrandus.In malo autem non chronico,uel in terciana uel acuta timetur infirmitatis augmentum, ideo modicus in principio cibus dari debet.In cibatione etiam attendenda eſt infirmi uirtus, qualitas, complexio, & modus ſecundum quem uixit, quibus conſueuerit ueſci, & qualitas cibi. Iuuenes etiam propter fortiorem calorem minus quàm ſenes ieiunare poſſunt,ſenes uero facilius & minore cum periculo. eadem ratione maiori ac groſſiori cibo laborantes indigent quàm quieſcentes & ſe non exercitantes. Sciendum præterea eſt quod poſt famem atq; inediam

Moderata cibi ſumptio humanis corporibus maximas adfert commoditates.

inediam qua nimis diu quiſpiam abſtinuit, ſicut eſt infirmis conualeſcẽtibus, ad ſaturitatem comedere non licet, quia natura tunc plus appetit, quàm poſſit digerere. Vnde poſt famem ſuperueniens habundantia (quia propter præcedentem famem homines tunc nimium comedunt) communiter ſequitur Epidimia. de qua in dict. abſtinentia, prandium. Item ſani & quàmmaxime infirmi, præcipue à febre, non debent comedere unctuoſa ſeu pinguia, quia talia appetitus ſunt debilitatiua, faſtidij inductiua, in ſtomacho ſupernatant, ideo minus digerũtur, ac digeſtionem totam impediunt. Item parum ſunt nutritiua, quia uenarum orificia replent, citoq; in fumoſitatem conuertuntur & conſumuntur. Item ſunt inflammatiua, ut patet in oleo aut pinguedine proiecta in igne, quæ ſtatim inflammatur, quia pinguia & unctuoſa caloris ſunt febrilis nutritiua & augmentatiua. ideo carnes prohibentur in acutis & tertianis, (niſi ſit periculũ de debilitate & caſu uirtutis) quia timetur quod ex uẽtoſitate carnium calor febrilis irritetur et augeatur. Sunt item ſplenis oppilatiua. Item dolorum capitis ſunt excitatiua, quia fumoſa ſunt & euaporatiua, & nimis replẽt caput, & miringas, hoc eſt pelliculas quibus cerebrum inuoluitur, uiolenter diſtendunt. Item membrorũ ſpiritualium ſunt leuitiua, ut patet in butyro, eorumq; moderata ſumptio pectus iuuat, & ſi unctuoſa pectori ſint nociua, ut nucum oleum propter ſiccitatem. Item unctuoſa & pinguia emplaſtra tumoribus ſuperpoſita, doloris ſunt mitigatiua maturatiuaq;, & duriciei remollificatiua, apoſtematum maturatiua, quia tumori adpoſita, humores coagulatos cito cõuertunt in ſaniem propter ſuam humiditatem. Ex calore enim debili & multa humiditate, multa fit ſanies & putrefactio. Item calida & humida, ut carnes uitulinæ, pullorum altilium, gallinarum, quia conformitatem habent in qualitatibus cum ſanguine, bonum ſanguinem generant. Et quia qualitas cauſſa eſt effectiua nutrimenti, humiditas uero eſt cauſa eius materialis, ideo ex talibus ſpecialiter ſanguis generatur, qui inter omnia magis eſt neceſſarius corporis nutrimento. quære in dict. nutrimentum, reſumptiua, ordeum, phthiſis, lepra.

Vnctuoſa et pinguia febricitantibus ſunt nociua, quoniam febrilem calorem nutriunt & augmẽtãt.

De Aſpide. Cap. XXVIII.

ASpis ſerpens eſt, cuius lingua dum uiuit, plena eſt ueneno mortifero, ſeparata tamen à corpore & deſiccata, uenenum perdit, & uenenum ſi præſens fuerit prodit. vnde in ueneni præſentia in ſudorem prorumpere conſueuit, & ideo talis lingua illis qui uenenum timent, ſuper menſam poni conſueuit, ut eius ſudore ueneni præſentia cognoſcatur.

De quatuor anni temporibus. Cap. XXIX.

Quatuor sunt anni tempora, quorum ex qualitate & conditione si bonæ fuerint, sanitas in humanis corporibus conseruatur. Si uero innaturales et inordinatæ fuerint, infirmitates uariæ generantur. de quibus aliqua uidenda sunt. Cũ itaq; annus quatuor in tempora diuidatur, uer, æstatem, autumnum, & hyemem, igitur primo de uere. Ver est tempus calidum & humidum, anniq; principiũ. & incipit uer. xviij. Marcij, duratq; usq; ad. xvij. Iulij. Et quamuis sit calidum & humidum, est tamen inter utrunq;, & inter æstatem & hyemem, & maxime temperatum participans tanquam medium quoddam, qualitatem æstatis quantum ad caliditatem, hyemis quantũ ad frigiditatẽ. Et quia suis in qualitatibus concordat cum sanguine qui calidus est et humidus, et cũ aëre qui etiam calidus et humidus ideo in uere sanguis incipit multiplicari animalium in corporibus. Eodẽ modo humores in herbis & arboribus, quæ hyeme propter frigiditatẽ constricti fuerant & compacti, à calore ueris incipiunt dissolui & moueri. Inter omnia autem anni tempora ipsum Ver magis sanum est, quandoquidem uita est animalibus & plantis per calidum & humidum, quia illo tempore habundant. Quando uero tempus uernale naturam suam exit, signum est quod sequenti æstate erunt infirmitates multæ, idcirco in Aphorismis dicitur. Si hyems fuerit sicca & borealis, uer autem pluuiosum & austrinum, necesse est sequenti æstate febres acutas fieri, opthalmias & dysenterias, maxime in corporibus hominum natura humidis. Si uero hyems calida fuerit & humida, uer autem fuerit frigidum & siccum, necesse est homines in æstate ægrotari, & mulieres prægnantes leui occasione obortire. ratio est secundum Gal. quia prægnantium corpora hyeme sunt calida & tenera, humida et rara unde aëris frigiditas subito penetrantis ad interiora uentris lædit fœtũ. per frigiditatem enim & humiditatem quæ qualitates sunt mortificatiuæ, mortificatur fœtus, qui mortificatus aggrauat retinacula & corrũpit, sicq; mulier necessario habet abortire. Aquæ etiam uernali tempore non sunt sanæ ad bibendum. causam quære in dict. aqua. Aestas tempus est calidum & siccum, et incipit. xvij. die mensis Iunij, & durat usq; ad. xviij. diem mensis Septembris. Et quia æstas calida est & sicca, ideo tunc maxime generatur humor ei consimilis, scilicet cholera, quæ calida est & sicca. Si autem æstas suam qualitatem exierit, ita quod non sit tũc tempus temporaneum, infirmitates inducit calidas & siccas, teste Constant. Et quia illo tempore pori ratione caloris extrinseci aperiuntur, illisq;

Ver.

Aestas.

illisq; apertis calor per eos subintrat, & humorem subtercutaneum dissoluendo sudorem prouocat,perq; poros expellit,et sic quod est superfluum consumit,euacuatq;.Per pororum etiam apertionem fit spirituũ exhalatio,& substãtiæ uel humiditatis euaporatio,ideoq; in æstate corporis uires debilitantur, & digestiuam ex dispersione caloris naturalis per poros apertos debilitat. ex utraq; caliditate sua choleram excitat & inflammat,& ideo febrilem calorem generat,excitat, ad febrem disponit, & calorem augmentat. De utilitate uitæ actiuæ, quære in dict. exercitium.

De Autumno. Cap. XXX.

AVtumnus est tempus frigidum & siccum, & conuenit suis in qualitatibus cum melancholia, quæ frigida est & sicca; atq; in autumno maxime generatur. Autumnus incipit xviij.die mensis Septembris, & durat usq; ad.xviij.Decembris teste Constant. Autumnus suis in qualitatibus ueri est contrarius; quia tempus est frigidum & siccum,ideoq; multæ infirmitates pessimæ & prolixæ in autumno generantur. unde refert Hippocrates. In autumno acutæ accidunt ægritudines et mortiferæ.igitur Gal.teste, cæteris temporibus pestilentior, idq; multis de caussis. quarum una temporis mutatio, quia nunc calor, nunc frigus. alia,cum sit post æstatem, inuenit multos humores incensos ex calore præcedente,quos frigus repercutit autumnale ad interiora,& non permittit eos exire, qui putrescẽtes malas passiones, prolixas et quartanas generãt. Phthisicis aũt autũnus maxime nocet,quia frigiditate et siccitate sua pulmonẽ desiccat et rũpit & ideo eos ualde lædit,illoq; tempore maiori indigent regimine q̃ alio. *Phthisicis cur autumnus uehementer nociuus.*

De Hyeme. Cap. XXXI.

HYems est tempus æstati in qualitatibus congruum, quia est tempus frigidum & humidum, ideo hyeme phlegma, quod est frigidum & humidum maxime generatur. Incipit autẽ hyems.xviij.die mensis Decembris, & finitur.xviij.mensis Marcij. Cur autem aquæ fontium & puteorum calidæ sint in hyeme, quære in dict.aqua. Quando autem in hyeme non est tempus temporaneum,sed hyems exit à natura suarum qualitatum, generantur in humanis corporibus uariæ infirmitates, quoniam poris corporis clausis, multi humores ratione frigiditatis aëris in concauitatibus corporis aggregantur,qui uiam euaporationis non inuenientes, calescunt & putrescunt,ex quo necessario pessimæ infirmitates generantur. de quibus in dict.apoplexia.

De Anhelitu. Cap. XXXII.

Circa curam mali seu corrupti anhelitus sciendum est, quod corruptus anhelitus quandoq; procedit ab interioribus, ex corruptione interiorum, et tunc insistendum est purgationi hepatis uel pulmonis, uel sanguinis, secundum quod corruptio ab istis uel ab alijs procedit. Interdum aliquis malum habet anhelitum & foetidum, cuius foetor procedit à naribus, talisq; infirmitas uocatur Polypus. Causatur enim talis infirmitas ex superflua carne, ex naribus excrescente, & ex superfluis humoribus à cerebro ad nares descendentibus, quia humores illi grossi, uiscosi ad nares descendentes, non potentes libere exire propter clausionem narium, ibi putrescunt & foetorē pessimū faciunt, & tamen à Polyposo non sentitur ille foetor propter oppilationē nerui odorabilis. propter quod etiā polyposus nō discernit inter odores & foetores. Tales humores ad nares fluentes, quia non possunt libere exire, ibidē putrescūt. unde tā ex corruptione & putrefactione humorum congregatorum & putrefactorum, quàm ex corruptione & corrosione carnis (cum cerebrum non possit depurari, seu per illam partem humores qui ex ipso fluunt, emittere) foetor pessimus generatur. Est autem remedium contra istam passionem. Sternutationes non tamen immoderate prouocentur. deinde paciens aquam calidam naribus attrahit & fugat, ad dissoluēdum illos humores uiscosos putrefactos, ibi congregatos, & ad educendum eos, & sic nares purgentur. Valent autem pillulæ diacastoreæ cum succo rutæ, & in uino tepido resolute si naribus immittantur. Si uero Polypus fuerit nimis constrictus dentur medicinæ capitis purgatiuæ, et apponātur super polypum, id est super illam carnem quæ claudit nares, pulueres corrosiuæ illius carnis. & si ista non proficiant, per chirurgicum fiat incisio in illa carne caute. Si uero fluxus per nares fit immoderatus, accipiatur allium et pulueris etur, et naribus apponatur, quia multum restringit sanguinis fluxum. Est autem sciendum, quando sanguis fluit à naribus, iste fluxus quandoq; est à cerebro, et tunc fit cum sternutatione, et cum dolore frontis et quadam punctione. Quandoq; est ab hepate, et tunc dolor in sinistro latere, & fluit sanguis per dextram narem. Quandoq; est à splene, & tunc sentitur dolor in sinistro latere, & fluit sanguis per sinistram narem Item sanguinis fluxus per nares quandoq; est utilis, ac bonum signum, quandoq; est malus, malumq; signum. In febribus enim acutis & in die cretico, & in phrenesi solet talis fluxus accidere ex motu & uictoria naturæ expellentis materiam, & tunc bonum est signum, quoniā signum curationis. Non autem bonus talis fluxus quando in acutis in principio infirmitatis,

Polypus morbus unde causetur.

infirmitatis,uel ante diē creticum fit ex nimia ſanguinis interioris ebullitione & feruore,unde ſuo acumine uenas aperit & fluxū facit, & interdum eſt ſignum defectus & caſus uirtutis naturæ. Talis fluxus ſiue creticus ſiue non, ſed ſynchromaticus ſanguis in naribus reſtrictus fluat ad partes alias interiores, periculum infert, nocumentum uel ſuffocationem. Si autem talis fluxus per nares nimis augeatur, ſi paciens ſit fortis,etiam in parte pacienti,ſeu in parte per quam fluit,ſanguis minuendus ſatis in bona quātitate,ut ſic ſanguis à naribus deuietur, & ad uenas attrahatur.Brachiorum etiam extremitates circa manus,et tibiarum circa cauillas pedum fortiter ſunt ligandæ & conſtringendæ, medicinæ itē reſtrictiuæ,puta de albugine oui diſtemperato cum aqua roſacea, papaueris,aut mandragoræ ſuccus ſuper frontem atq; tempora infundendæ.Aqua etiam roſacea uel alia quædam aqua ſimplex frigida cum forti aceto frequenter ſuper faciem fundenda. Vbi uero iſta non prodeſſent,eius teſticuli ſunt in forti aceto mora quadam tenendi.Si fluxus fiat ab hepate,uel à ſplene,ponatur uentoſa ſuper regionem hepatis uel ſplenis. Eſt etiam ſciendum quod fœtor oris quandoq; cauſatur ex dentiū uel gingiuarum corruptione, quandoq; ex oris & palati ulceratione, quandoq; ex putrefactione humorum ſtomachi, quandoq; ex uili corporis corruptione ſeu infectione, ut in leproſis, quorum anhelitus eſt fœtidus & infectiuus. Quandoq; ex fœtidorum & corruptorum comeſtione,ut pateſcit in illis qui nimium frequenter comedunt allium, cepas & porrica. Quando autem talis fœtor oris ſeu anhelitus procedit ex corruptione membrorum ſpiritualium,et ex corruptione humorum infectorum. palliari poteſt,ſed curari minime.talis autem fœtor anhelitus eſt continuus ſiue interpolatione. Ille autem qui eſt ex ſtomachi uitio,interpolatur.quoniam ante prandium eſt maior, & poſt prandium minor. Talisq; fœtor bene curatur,ſi ſtomachus emundetur, extergatur,& frequenter cinnamomum,zinziber,gariophyli, aliaq; aromatica in ſalſis,alioúe modo comedātur. Vſus etiam menthæ, & interdum rutæ utilis eſt ad iſtam curam. Ab omni cibo corrupto caueatur, materia putrida quæ eſt in ſtomacho, digeratur, diuidatur, & expellatur, & ab omni crapula ac cæna abſtineatur.Mane ante prandium uel noctu pro potatione ſit aqua calida cum admixtione agreſtæ. uomitus prouocetur maxime in æſtate,ut ſic ſtomachus frequenter ab humoribus putridis mundificetur. Vino aromatico,bono ſcilicet nectare,alijsq; aromaticis confortatiuis utatur. Si uero fœtor cauſatur ex corruptione dentium & gingiuarum,ſanentur gingiuæ, & mundificētur dentes cum decoctione roſarum in uino uel in aceto tepido, & tolerabiliter calido, & cum iſto frequenter abluātur.cum puluere thuris,maſticis,& malæ gin-

Oris fœtor uarijs ex cauſsis contingit.

giuæ,ac dentium radices fricentur,frequenter abluantur & mundificentur. Est autem sciendum quod frigidi uel calidi excessiue rheumatisantes,dentium neruos inficiunt,& dolorem inferunt. Quando talis dolor fit ex uitio stomachi,fit ex humoribus calidis in ipso existentibus, à quibus resoluitur fumositas,quæ ascendit,neruosq; dentiũ & radices mortificando uel aggrauando dolorem infert dentibus & fœtorem. Si talis odor ex acutis est & calidis humoribus, dolor est acutus & pungitiuus cum rubore faciei,cum asperitate & siccitate gutturis,cũ siti et oris amaritudine. Si uero talis humor ex frigidis est humoribus,dolor est minor cum grauamine capitis, & quodam tumore faciei & pallore, cum acetosa eructuatione & oris insipiditate. Dolor autem dentium ueniens ex cerebro,diu durat sine aliqua interpolatione,quia aliquando decem horis uel amplius. qui uero procedit ex stomacho, quatuor uel tribus horis affligit & postea quiescit. Cum itaq; dolores dentium causentur ex putridis & fœtidis humoribus, ex eisdẽ aliquando dentes rumpuntur, corroduntur, perforantur. aliquando mutantur in colorem citrinum, uiridem uel nigrum, quæ omnia ex humore putrido proueniunt, quia talis humor à stomacho ad ligamenta dentium defluit et ascendit,et dentium radices ipsosq; dentes inficit & corrumpit. Eadem etiam caussa relaxationis & motus dentium eorumq; casus. Nam acuti humores in radicibus dentium dentes perforant,corrodunt & relaxant,ideoq; tales humores caussa sunt casus dentium, cum radices ex corrosione & corruptione eis deficiunt aut putrescunt. Vermes etiam fiunt in dentibus & concauitatibus maxillarum ex humoribus putrefactis. Tales uermes & radicum putrefactio cognoscuntur ex pruritu gingiuarum,titillatione dentium et continua perforatione,consumptione ac corrosione dentis, & fœtoris emissione. Caussa itaq; doloris dentium sunt humores descendentes à capite,uel à stomacho mediante fumositate ascendentes, uel humores acuti in gingiuis existentes, tuncq; nimius dolor cum saltu & pulsu sentitur propter maliciam & acumen pungitiuum illorum humorum Si uero dolor est ex dolore descendente à capite ad radices dẽtium ex humore & cholera,uel sanguine ad radicem dentis descendente tunc sentitur grauitas capitis,& facies rubescit. Si uero dolor dentis procedit ex humore corrupto ascendente de stomacho,dolor sentitur in stomacho, & fiunt frequentes eructuationes, dentes perforantur, corroduntur,coloremq; mutant ut retulimus. Quod si uermes in dente uel in radice fuerint,ibi dolor est maximus,eo quod ad neruũ sensibilem corrodendo attingunt. Est etiam sciendum quod dentes obtusescunt & læduntur ex humore acuto seu nimis acerbo, ut patet quando quis comedit agrestã uiridem in gramine,quia uiriditas seu acerbitas neruum sensibilem

Dentium dolores ex putridis & fœtidis humoribus causantur.

ſibilem lædit. Dentes etiam quaſi dormitant & ſtupeſcunt ex tactu alicuius nimis frigidi, ut ex niue uel glacie neruos dentium conſtringente. Item dentes quandoq; cadunt ex ſuperflua humiditate, neruos & ligaturas dentium relaxante. Quandoq; ex nimia ſiccitate, ut patet in ſenibus, quorum dentes propter ſubtractionem humiditatis nutribilis dilabuntur. Item radix ✠ quæ eſt frutex radicis, ſuper dentem pacientẽ poſita, dolorem tollit. Item puluis Balauſtiæ, id eſt, flores Maligranati, uel corticis maligranati mixtus cum melle & aceto, ſi dentes frequenter fricentur gingiuas conſolidat, paſſionesq; dentium ſanat. Item Maſtix quod eſt gummi ad modum incenſi ſeu thuris, ſi fuerit album et lucidũ, & inter dentes pacientes diu & frequenter teneatur, multum iuuat, dentes & gingiuas à putridis humoribus præſeruat, dentes mobiles confirmat & conſolidat, dealbat, & radices dentium roborat, malum anhelitũ amputat & emundat. Item radix Lapatij, quæ herba eſt communis, ſi in uino decoquatur, & cocta tepida inter dentes teneatur, dentes confirmat ac roborat. Item Mori arboris folia bene trita, & in aqua pluuiali cocta, ſuperq; dentes poſita, eorum dolorem ſanant. Myrrha arbor creſcens in Arabia, cuius gutta uiridis ac multũ amara, & gutta citrina atq; rufa interius, melior eſt illa quæ lucida. & quia peruia, calida eſt & ſicca, uirtutem habet confortandi, mortuorum corpora conſeruat, ſi cum myrrha mixta inungantur, ualet contra omnes cauſſas rheumaticas, ſi eius fumo cerebrum fumigetur, & inter dentes maſticetur, inordinatos fluxus reſtringit, digeſtionem confortat, uiſcoſos humores purgat, maxime in membris ſpiritualibus, fœtorem dentium & gingiuarum, ſi maſticetur, emundat & ſanat, uulnera quoq; gingiuarum ſanat & deſiccat, putrida labiorum ulcera, aliaq; uulnera ſanat & conſolidat, corruptionem conſumit, cerebrum confortat ſi fumus eius per nares accipiatur ſicut lignum Aloe, uel etiam ſi inter dentes maſticetur. et breuiter omnem humiditatem ſuperfluam deſiccat & emundat. Vermes aurium, ſi fumus accipiatur per nares necat, carnem ſuperfluam ſi pulueriſetur et ſuperponatur, corrodit, et bonam ſanamq; generat. Et aduerte quod myrrha de qua loquimur, eſt gummi ſtillans ab arbore myrrha. Item Mentha hortenſis in aceto decocta, ſi tepida ponatur ſuper gingiuas, dentes corruptos & putridos, gingiuas corruptas putridasq; purgat & mundat. Chelidonia herba cõmunis flores habens croceos, cuius ſucco (nam huius eſt uirtutis) hyrundinum oculi eruti ſeu læſi, priſtinum ad ſtatum reducuntur. Virtutem quoq; habet diſſoluendi, attrahendi, conſumendi. Dentium dolorem mitigat, caput purgat, oris fiſtulam & cancrum, eius ſuccus ſi frequenter ſuperponatur ſanat. Chelidonia item calido in uino poſita, & ſuper doloris locum in iuncturis, aut quando dolor ex

Virtutes guttæ [seu] gummi ſtillan[tis ab] arbore Myrrha.

Chelidonia.

uiolenta procedit laxatione ſeu torſione neruorum, emplaſtrata dolorẽ curat. Si autem doloris locus calido Chelidoniæ oleo frequenter inungatur, idem affert remedium & citius. habet enim oleum iſtud uim molliendi. Item ſi ſuper locum doloris in iuncturis ex laxatione uel torſione neruorum prouenientis, ponatur mica panis poſita in uino calido, & per emplaſtri modum ſuperpoſita, talem dolorem curat. Item ſi iſto modo ſuper locum doloroſum ex laxatione ſeu torſione neruorum, ponatur lana ſuccida ſeu ſucculenta, talem dolorem multum mitigat. Contra dolorem item dentium recipe roſarum rubearum .℥.j. conquaſſentur in mortario, fiant ſacculi parui, & roſis illis conquaſſatis impleantur, in uino ſtiptico rubeo bulliantur, poſtea compreſſi educto uino competenter tepidi, loco doloroſo ſuper maxillam inflatam ponantur exterius uel interius ſuperq; gingiuas, & teneant̃ ibi aliquandiu, & iteretur, & calefiant in eodem uino, hoc inflationem curat & dolorẽ.

Varia contra dentiũ dolorem remedia.

Pro dentibus itẽ recipe Tormentillæ radices, & radices Pentafolij ana. cõquaſſentur, et in bono uino mixta medietate boni aceti fortis bulliantur, deinde accipiatur mel per decoctionem mundatum, & miſceatur prædictis duobus liquoribus iam bullitis cum prænominatis radicibus, tandem calefac donec fiat tepidum, quo liquore ſic mixto tepido, fiat frequens intra os ablutio, gingiuarum & dentium confricatio, & in parte doloroſa ſuper locum tepidum quàmdiu poterit fieri intra os teneatur. & hoc frequenter fiat ante prandium, uel poſt, & curabitur dentium & gingiuarum dolor. Vel bulliatur cum prædictis radicibus uinum & acetum mixta medietate modo prædicto, & poſtea in colatorio miſceatur mel per decoctionem depuratum, & ſimul colentur, & cum illa colatura modo prædicto fiant ablutiones intra os frequenter, & teneatur ille liquor calidus ſuper locum doloroſum modo prædicto. Item contra inflationem gingiuarum & maxillæ prouenientem ex dolore dentium, recipe Iacræ albæ .ʒ.j. ponatur in ſacculo lineo, uinoq; rubeo ſtiptico ſiue groſſo & reſtrictiuo, ſimul fortiter decoquantur, poſtea ille ſacculus expreſſo aliquantulum uino ſupponatur maxillæ inflatæ. Contra eandem inflationem ex dolore dentium prouenientem, recipe roſas rubeas uncias duas. ana .℥.j. conquaſſentur ſimul in mortario, & fiant inde duo ſacculi, & bulliantur ſimul in optimo uino rubeo, poſtea calidi competenter ponantur alternatim ſuper maxillam inflatam. Item contra excoriationem oris ex rheumate prouenientem, uel ex alia quacunq; cauſſa, recipe radices Pentafolij bene mundatas .℥.ij. radices Tormentillæ .ʒ.j. bene mundatas, miſceantur ſimul in mortario, & ponãtur in ſacco lineo, bulliantur in bono uino rubeo cum aceto bono uſq; ad conſumptionem tertiæ ferè partis, utriuſq; autẽ tam uini quàm aceti

ſit unus

sit unus tantum iustus cyathus, tandem ab igne amoueatur, & in uinum ponatur cocleare boni mellis ad ignem depurati, deq; illo liquore calido fiat gargarizatio & ablutio frequenter, et teneatur in ore ad partem dolorosam quàmdiu teneri poterit, idq; frequenter fiat. Item contra inflationes quæ circa fauces & guttur proueniunt. Recipe foliorū lactræ albæ, conquassentur bene, et bulliantur in optimo uino rubeo donec bene sint cocta, postea folia ista cocta expandantur super pannum lineum, et ita competenter calida per emplastri modum ponantur supra locum inflatum. Item de radicibus dictæ herbæ bene mundatis, fiat decoctio cum bono uino & aceto de Pentafolio, de Tormentilla, et postquā fuerint simul cocta, misceatur mel despumatū, et de illo liquore calido temperato in ore frequenter fiat gargarizatio. Item recipe aquam ardentem in parua quadam phiala uitrea, & pone intus quatuor uel quinq; grana Stafisagriæ per diem unum, quo facto ista aqua fiat dentium & gingiuarum confricatio, diuq; in ore teneatur, et clausis labijs moueatur cum lingua per gingiuas, istud dolorem curat dentium. Item ad extrahendum dentem, recipe radicem Fabælupinæ, & tāge dentem quem extrahere uolueris, & cadet. Ista herba uulgariter uocat Martiale seu Marsenx. Item si dentes mouentur, & gingiuæ fuerint corrosæ, accipe acetum in olla bonū et forte, in quo pone Balaustias, id est flores Maligranati, & de corticibus fructus siue pomi maligranati, & ossa oliuarum, hæc omnia simul bene decoquantur. deinde ubi ista decoctio per colū linteū bene colata fuerit, accipe mel bene depuratum, misce cum illa decoctione colata, & facta bene mixtione frequenter laua, confricando cū illo liquore calido tolerabiliter gingiuas & dentes. facta autem ablutione imprimatur cum digito gingiuis pacientibus alumen zaccarinum, & ne illud zaccarinum, quod corrodit ut sal, labia offendat, pone super illud inter labium & gingiuam in qua alumen istud est impressum, breuē quendam et strictum panniculum lineum, sicq; stare permittas. id ipsum bis in die facies, et curaberis. Item puluis multum ualens ad confortandum, consolidandumq; dentes, ad reparādum gingiuas comestas, & ad bonum odorem oris, bonumq; anhelitum, quod ita fit. Recipe capita cācrorum fluuiatilium ℥.ß. Cinnamomi, gariophyli, galangæ, zinziberis, masticis, rosarum rubearū, aluminis plumæ, Aristolochiæ rotundę, Balaustiæ, cortices maligranati, ossiū dactylorū et oliuarū alibona, sanguinis draconis, salis Armoniaci, ana. ℥.j. quæ oīa in mortario terātur inq; puluerem subtilissimū redigant, et cū opus fuerit ille puluis gingiuis et dentibus imprimatur. Antequam autem iste puluis dentibus imprimatur, lauetur os & gingiuæ aceto forti tepido melle despumato mixto. Rorismarini lignū si cōburatur, et de eodem unus carbo in panno lineo

Fabalupina.

mundo inuoluatur, atq; dens in quo dolor eſt, carbone illo ſic inuolutø fricatus fuerit, & ſuper dentem illum conſtringendo ne cadat, aliquandiu teneatur, uermis ſi in dente quiſpiam fuerit, morietur. Dentes quo pacto ab omni corruptione præſeruentur, quære in dict. anhelitus, dentes, auripigmentum, febris cotidiana, maſtix, morus.

De amaro ſapore. Cap. XXXIII.

QVæ amarum habent ſaporem, calida ſunt et ſicca, laxant & diſſoluunt. Sunt etiã choleræ penetratiua, propterea quod uel choleræ in complexione ſimilia, uel quia ratione caliditatis & ſiccitatis amara. Et quia cholera eſt poroſa, ideo amarum poros eius ſubintrando, partes eius diuidit, ſicq; eam diuidendo liquefacit, fluidam facit & emittit. unde amara ponuntur in medicinis choleræ expulſiuis, ut Reubarbarum. Item amara ſunt appetitus excitatiua, quia choleram educunt, quæ circa ſtomachi orificium tanquam res uilis colligi ſolet, atq; ita appetitus debilitatur. unde uſus dulcium nõ competit cholericis, quoniam facile in choleram conuertuntur. Item amara ſunt ſplenis et hepatis exoppilãtia, quia calore ſuo poros aperiũt, & humores diſſoluunt et educunt. Item amara uermibus ſunt contraria, lumbricos etiam, id eſt uermes in uentre interficiunt, quia illi uermes ex corrupto generantur phlegmate, cui cholera eſt contraria. Item amara ſpiritualibus membris ſunt nociua, cum propter incenſam ſiccitatem tum propter ſuæ ſubſtantiæ aſperitatem, propter quam ſunt dictorum membrorum exaſperatiua. Item amara ſunt rerum conſeruatiua, ut patet per myrrham, qua corpora conſeruantur mortuorum. Si enim diſtemperentur cum aliquo liquore, maxime cum aqua ardenti, multum conſeruant corpora linita, ut carnes coctas uel crudas, quia tantum conſumunt quantum diſſoluunt, et ſubintrant in profundum rei ratione ſui acuminis et caloris. Item amara ſi per modum emplaſtri apponantur, paralyſin curant et artheticam ex cauſſa frigida procedentem diſſoluendo materias, eaſq; conſumendo. Item frigidæ ſcabiei ſiue ex cauſſa frigida prouenientis, ſunt curatiua. item meatuum renum et ueſicæ ſunt apertiua, calculi diſſolutiua, unde illis ualent qui difficultatem paciuntur urinandi. de amaris uide in dict. medicina.

Natura atque uires eorum quæ amari ſunt ſaporis.

De ſapore acuto. Cap. XXXIIII.

QVæ acutum habent ſaporem calida ſunt et ſicca, ideo ratione utriuſq; qualitatis magnam habẽt ſubtilitatem, et per hoc ſunt apertiua, penetratiua & ſubintratiua, partiumq; materiæ ſegregatiua. Sunt autem acuta corroſiua, inciſiua, diſſo-

lutiua,

lutiua, & penetratiua usq; ad rei intimum. Item sunt uirtutis aperitiuæ confortatiua, quia membrorum superfluitatem consumunt, neruos sensibiles mordificant, eosq; pungunt, et pungendo excitant, excitando appetitum prouocant. Item parum nutriunt, quia propter siccitatem et caliditatem statim aduruntur. Nutrimentum autem fit per humidum & calidum. unde sanguis magis est nutritiuus quàm alius humor, quia calidus est & humidus, ideo acuta naturæ sunt contraria.

De Appetitu Cap. XXXV.

Stomachi passiones.

PAssiones & inordinationes stomachi appetitum aliquãdo impediunt. Patitur autem stomachus fastidium, Bolismũ, uomitum, dolores & torsiones. Fastidium autem est abominatio cibi et potus de se nutritiui, et ex hoc incurrit homo casum appetitus. Fit autem fastidium & casus appetitus tribus de caussis. Quãdoq; ex spirituum defectu. signa autẽ quando deficit et cadit appetitus ista sunt. corporis macilentia ex febre procedente, uel ex nimio ieiunio, uel nimia uigĩlia, uel ex fluxu uentris. Aliquando fit ex neruorum oppilatione, & tunc paciens in oblatis cibis uel assumptis nullam inuenit dulcedinem, imò comedere est ei pœna, tuncq; stomachus maximam patitur indigestionem, stomacho propter spirituum absentiam infrigidato, & cibus in transitu sentitur frigidus. Interdum fit ex humorum calidorum, frigidorumúe nimia repletione, & istam esse caussam sentimus ex oris amaritudine, ex siccitate linguæ cum siti, & ex calidis fumositatibus palatum excoriantibus. quandoq; etiam habent uomitum croceum. Frigidos humores cognoscimus esse caussam casus appetitus ex eructuationibus acidis, insipidis seu fœtidis, ex indigestione, stomachiq; grauedine. Quando igitur defectus spirituum caussa est casus appetitus, contra illam caussam, propter quam spirituum defectus causatur, agendum est, quoniam si spirituum defectus procedit ex febre, danda sunt remedia contra febrem. de quo in dict. Febris. Si uero spirituum defectus procedit ex ieiunio, ex corporis consumptione, ac deperditione, bonis & delicatis, ac bene paratis cibis, electuarijs, & confortatiuis restaurandus, carnibus quoq; hœdinis, caponibus, gallinis, perdicibus & ouis mollibus, bonis brodijs, alijsq; bene nutritiuis. uide in dict. nutritiua. Talibus etiam fiant salsamenta spirituum reparatiua, & orificij stomachi confortatiua, ex ✠ Mentha, cinnamomo & similibus. Aromatica etiam sæpe ad nares applicentur, ut pomum Ambræ, rosæ, maiorana. lauetur caput cũ aqua in qua rosæ rubeæ sint bullitæ, pedes lauentur cum folijs uitis in aqua coctis, & plantæ pedũ confricatione mundentur. Si uero oppilatio caussa fuerit casus appetitus,

paciens minutionem faciat in brachio dextro, dentur ei ad comedēdum calida diuisiua & cōfortatiua, ut diacartamū, & similia, nisi caliditas nimia sit in caussa, quia tunc syropo acetoso utendum est, & materia per congruam medicinam uacuanda. Si uero humores frigidi sint caussa talis casus appetitus, purgetur stomachus cum cōgrua medicina, in qua ponantur calida. dentur illi cibaria calida, & diuersa ei offerantur, etiam si illa aliquantulum sint nociua, modo illa pacienti aliquo modo placeāt utq; per talia saltem complacentia consopitus excitetur. Sic enim dicit Hippoc. Parum deterior cibus & potus delectabilior uero, melioribus quidē indelectabilibus magis appetēdus. Stomachus q̄q; aliam quandā patitur infirmitatem, quæ dicitur Bolismus, qui nil aliud est, quàm immoderatus appetitus, qui ferè nunquam saturatur, esto etiam quod quis sit omnino plenus. Ista interdum procedunt ex frigiditate stomachi in eo dominante, quia in talibus qui frigidum habent stomachum, male celebratur digestio. Et quoniam cibus non defertur ad membra nisi digestus, isti autem etsi multum comedūt, parum tamen digerunt, ideo in eis cibus non defertur sufficiens ad membrorum nutrimentum, & membra exinanita semper appetunt, quantumcunq; stomachus sit plenus. Vnde communiter qui frigidum habent stomachum, propter caussam prædictam plus comedunt, amplius appetunt, & tamen minus nutriuntur, quia sunt communiter macilenti. Quandoq; autē generatur Bolismus, ut refert Gal. ex nimio calore membrorum, quorum uenæ trahunt ab hepate sanguinem, qui est corporis nutrimentum. Hepar uero per uenas mesaraicas extrahit à stomacho, ex quo subito exinanitur stomachus, sequiturq; appetitus quasi continuus & immoderatus. Quando autē Bolismus generatur ex tali caussa calida, cognoscitur per incensionem urinæ, quodq; talibus subito fames & appetitus aduenit, nec tamen in eis uirtus deficit. Istis conuenit purgatio per frigidam medicinā debet etiā uti frigidis, ut lactucis, cucumeribus, & similibus. uide in dict. frigida. Debet etiam uti grossis cibarijs quæ sunt difficilioris digestionis. Bolismi autem ista sunt signa. cum scilicet plus debito appetit, & plus solito comedit in quantitate, & cum ex assumptis uel comestis non fortificatur, nec impinguatur, & efficitur macilentus. talis etiam interdū patitur fluxum uentris. In talibus autem immutatur appetitus, quia frequenter appetunt nociua, & uilia ut carbones, terram, sal, & talia, & hoc fit in eis ex humore melancholico uel cholerico inficiente os stomachi, & quasi quandam salsedinem inducente. Vnde stomachus infectus ratione cōformitatis humoris existētis in eo talia appetit, ut patet in mulieribus prægnantibus, et in illis qui paciuntur fluxum hæmorrhoidum. Vnde uidemus quod cholerici qui sunt adusti appetunt comedere salsa

Bolisinus ægritudo stomachi immoderati appetitus.

quia cho-

quia cholera eſt aduſta,& ſalſedo cauſatur ex aduſtione. Remedia cõtra Boliſmum ſunt, ut dentur calida ſtomachum confortantia, bonum ſanguinem generantia. dentur ei cibaria pinguia,unctuoſa, & pulmenta multa pinguedine condita; & interdum quædam nauſeam & faſtidium generantia,quia unctuoſa & pinguia faſtidium generant,appetitumq; hebetant. Et ſi humor frigidus aut phlegmaticus fuerit cauſſa talis infirmitatis,quod frequenter accidit, ſtomachus per medicinam à tali humore purgetur,& poſtea dentur ei cibaria calida,& electuaria ad comedendum,& unguentis calidis exterius inungantur. Stomachus etiã quandoq; patitur dolorem,qui procedit nonnunquam ex calore diſſoluente,interdum ex frigore conſtringente, uel ex humore calido ſtomachi uires uiuificante. Signa autem quod calor ſit cauſſa, quia tunc dolor eſt pungitiuus, eructuatio calida,urina crocea. groſſa cibaria bene digeruntur,ſubtilia aduruntur,amaritudo oris,egeſtio cholerica. Quãdo uero frigiditas cũ humore calido eſt in cauſſa,grauia, dura, male digeruntur,leuia & ſubtilia melius digeruntur. adeſt uomitus phlegmaticus & crudus,uentris conſtipatio,eructuationes acetoſæ. Quandoq; in cauſſa eſt uentoſitas,hocq; cognoſcitur ex rugitu,& gurgulatione uẽtris,ex eructuationibus inſipidis,quorum ex emiſſione paciens alleuiatur. Quandoq; cauſſa iſtius doloris eſt apoſtema,quod eſt in ſtomacho & hoc cognoſcitur ex febre comitante ex punctura, ex ardore, & indigeſtione,ex orificij ſtomachi diſtenſione. Si igitur calor cum humore ſit cauſſa iſtius doloris, humor cum ſyropo digeratur, & per medicinam congruam ſtomachus purgetur. Confortetur ſtomachus cum electuarijs frigidis,& cum unguentis locus ſtomachi ſiue orificium exterius inungatur. Si autem frigiditas ſit in cauſſa cum humore,per cõtraria cũretur. Si uero uentoſitas ſit in cauſſa,curetur cum illis quæ extenuant et euacuant uentoſitatem,cum Aniſo,Anetho,& ſimilibus. quære in dict. uentoſitas. taliq; pacienti detur Diamaratrum,Diacyminum quæ ualẽt contra uentoſitatem. Caueat à fabis & cibis uentoſis, quia uentoſitas multas generat infirmitates,ut patet in hydropicis. Et ſi uentoſitas per electuaria non poſſit diſſolui,circundetur umbilicus cum uentoſa, ut uẽtoſitas extrahatur ab interioribus ad exteriora. Quicunq; itaq; uult ſanitatem corporis cuſtodire,cuſtodiat ſtomachum, ne ſuperfluũ ſumat cibum,quia ſumma medicina tam obſeruatiua ſanitatis, quàm curatiua infirmitatis eſt abſtinentia,ut dicit Conſtant. Eſt alia paſſio à ſtomacho procedens,quæ uocatur Singultus,qui eſt ſonus uiolentiæ cõmotionis ſtomachi ex ſpaſmoſa eius diſpoſitione proueniens. Fit autem interdũ ex nimia repletione,interdum ex inanitione,interdum ex frigore. Si autem fiat ex repletione, ſequitur uomitus; humorum & ciborum fiunt

Boliſmi remedia.

Singultus ſtomachi paſſio unde generetur.

eructuationes diuersi saporis secundum humorum habundantiam & diuersitates. talibus magna competit abstinētia, cibaria leuia, facilisq; digestionis. Si accidit ex inanitione, cognoscitur per febrem uel fluxum uentris, uel sanguinis et alia quæ corpus extenuant. tales cōfortandi sunt bono uino, bonis brodijs hœdorum, caponum, gallinarum, ouis mollibus & recentibus. Quando uero accidit ex frigiditate, cognoscitur relatione pacientis, si dicat se passum fuisse magnum frigus, uel frigida cōmedisse. Contra singultum prouenientem ex repletione, utendum est uomitu, et ieiuno stomacho bibatur aqua calida cum agresta, quia lauat stomachum. danda sunt etiam alia euacuatiua calida. Contra singultum prouenientem ex inanitione, si fuerit cum febre, utendum est restauratiuis, & humectatiuis. Caueant tamen ab illis quæ febrem nutriunt, nam talibus debet dari pullus, eiusq; brodiū cum agresta, sicq; ex ista caussa tamen sine febre dentur restauratiua, modo superius dicto. Si fiat ex frigiditate, dentur ad comedendum actualiter & uirtualiter, siue effectiue calida. Tali etiam in caussa ualet sternutatio si prouocetur. ualet etiam timor subitus, si ex improuiso inferatur. Vt si aliquod uertendum & confusibile pacienti obijciatur, uel si ad irā prouocetur, uel si ambo brachia prope manus fortiter ligentur & constringantur. Calor enim naturalis ad interiora reuocatus, per uerecundiam uel timorem fumū dissoluit, qui est materia singultus. de appetitu quære in dict. carnes, mentha, nectar, Rosmarinus, bolismus, casus appetitus, alimentum, comestio, potus.

Singultus remedia.

De auro & argento. Cap. XXXVI.

Sciendum quod falsarij argentum & aurum ponunt in loco frigido & humido, quia humorem attrahunt, tuncq; plus ponderant. Cum autem ab humore fuerint desiccata, suum ad pondus redeunt. Item si auro liquefacto gallorum offa uel caponum seu gallinarum apponantur seu misceantur, aurum consumunt. unde offa gallinacea uenenum auri sunt. Item aurum in fornace positum non euaporat, nec in pōdere minoratur, sed si quam habet admixtam impuritatem et scoriam, illam in igne deponit, magis atq; magis depuratur. Item aurum puluerisatum siue auri limatura, uirtutem habet confortatiuam, & superfluitatum adunatarum in capite extersiuam ideo contra lepram ualet & elephantiæ passionem. nam si sumatur cum cibo uel potu, licet enim non digeratur, nec in nutrimentum cedat, ualet ad proseruationem à lepra, uel impedit eius augmentum. Item limatura auri cum succo Boraginis, et pulueribus de osse quod est in corde cerui contra Syncopin & cardiacam passionem ualet. Item lamina auri prius

Offa gallinacea auri sunt uenenum.

inigne

in igne ignita,si extinguatur in uino,illud uinum,si potetur,ualet contrà splenis uitia,contraq; passiones melancholicas. Vstura item seu adustio facta cum instrumento ex auro,melior est quàm si fiat cum instrumento ferreo,seu de alio quopiam metallo,quoniam adustionis locum à putredine & foetore præseruat. Auri item puluis oculis impositus, oculorum maculas tingit. Aurum quoq; calefactum pilos tollit à membris,si cum illo fuerint adusta uel confricata, iterumq; crescere non permittit; quære in dict.gallus.

De argento & metallo. Cap. XXXVII.

SI argentum aut aliud metallum splendens ponatur aliquo in loco subobscuro,ita quod in aëre uideri non possit,uidebitur aqua lympida superfusa. Si Crystallũ quis ponat super argentum uiuum, & aspiciat motum argenti uiui sub crystallo, uel infra crystallum,multum in oculis lædetur,& forte excæcabitur. Similiter si inspiciat aurum politũ uel aliud metallũ fulgens quod sit ignitum,poterit excæcari, quia humor glacialis in pupilla dissoluitur & fluit.Item ut cuprum,æs, lacon, uel aurichalcum appareat argentum, accipe pulueres tegulæ coctæ, argentum uiuum, sanguinem porci, ista misceantur,qua mixtura frica laconem, uel cuprum uel aurichalcum, & colorem habebit argenti.Si consimili modo argentum fricetur cum sulphure apparet cuprum. Item argentum uiuum non coagulatur sine admixtione sulphuris,& cum plumbo,tanta est eius cohærentia & fortitudo,quia nulli rei potest permisceri,nisi prius extinguatur. Extinguitur autem cum saluia ubi eadem fricatur,maxime uero si cinis saluiæ additur, & quàmmaxime quando puluis ossis Sepiæ sociatur. Argentum istud uiuum facile in fumum resoluitur,eiusq; fumus multum nocet, nã inducit Paralysin,tremorem capitis & membrorum. Contra hoc autẽ periculum multum ualet lac caprinum bibitum in magna quantitate,ita quod post potum paciens se moueat. Ad idem etiã ualet decoctio uini cum Absynthio et Hyssopo.istud argentum melius seruatur in uase uitreo. Item argentum commune non uiuum, multum conseruat balsamum. Si Iaspis in argento ponatur, Iaspidis uirtus plurimum iuuatur, quoniam maiorem uirtutem habet Iaspis in argento quàm in auro.Item argenti limatura siue spuma uulnera sanat & replet,carnesq; superfluas in eis crescere non permittit, cicatricem claudit, cauterium à foetore custodit. Item accipe argentum & include in penna, & claude cum gummi aromatico,uel cum pasta siliginis,ita ut non possit exire, postmodũ illam pennam in qua est argentum, pone sub pelle colli pulli, uel gallinæ assandæ in ueru, & cum aliquanto tempore ad ignem in ueru steterit,

Argentum uiuum sine sulphuris plumbiq; admixtione nõ coagulatur.

perinde clamabit ac ſi pullus cantaret, ſeq; in ueru uertet. Magnes lapis allio unctus ferrum non trahit.

De Magnete & Adamante. Cap. XXXVIII.

PAruus Adamas uirtutem ligat magni Magnetis. Fertur autem à pleriſq́ue quod Magnes capiti mulieris dormientis ſuppoſitus, ſi caſta et uiro fidelis, ſtatim mouet eã ad mariti amplexum. Si autem eſt adultera, præ timore phantaſmatum dicitur cadere de lecto. per hunc modum uiri cognoſcũt utrum uxores eis fideles ſint necne. Adamas uero (ut dicitur) ſiniſtro in latere ſi portetur, ualet contra hoſtes, contra inſaniam, rixas, iurgia, contra ſucubos, phantaſmata, et uana ſomnia, cõtra uenena & timorem, & obuiat maleficis artibus. Quidam etiam dicunt quod fures domos intrãtes, poſitis carbonibus in quatuor angulis domus Magnetem ſuper carbones ponunt, tuncq; dormientes in domo, phantaſmatibus ita terrentur, ut è domo ſubito fugiant, tuncq; fures id quod uolunt rapiunt.

De Ambra Balenæ. Cap. XXXIX.

BAlena in ſpermate habundat, & poſt eius coitum cum fœmina, illud quod eius de ſemine ſuperfluit & in aquã cadit, ſupernatat. quod collectum & deſiccatum, in Ambræ ſubſtantiam commutatur. Ex quo cum aliorum aromaticorũ commixtione fit pomum Ambræ magni odoris & aromatici. Et ſi ad nares frequenter applicetur, cerebrum multum confortat, ualetq; contra rheuma.

De Aceto & acetoſis. Cap. XL.

SI lapides igniti in uino extinguantur, iſtud uinum ſtatim acetum fit. Item ſi ſuſpenderis plumbum ſuper acetum, corrumpit plumbum. nam acetum eius ſubſtantiam penetrat et in puluerem conuertit, inq; colorem album ceruſæ ipſum tranſſmittit. Sed ſi ſuper plumbum acetum infundas, albeſcit, uimq; aceti deſtruit. *Aceti uires* Eſt autem acetum ſtomachi confortatiuum, appetitus excitatiuum, augmentatiuum, malorumq; humorum ad ſtomachum deſcendentium potenter repreſſiuum. Eſt etiam contra uenenũ, & uenenoſa mortẽ inferentia, ut eſt Apium, Iuſquiamum, Euforbium & ſimilia iuuatiuum. Acetum item infrigidat & deſiccat, quia ex corruptione caloris naturalis uini, conuertitur ſubſtantia aceti in frigiditatem, igitur in primo grad. frigidum eſt moderate, cæterum in tertio fortiter deſiccat, unde non competit phthiſicis nec conſumptis, niſi modicum ad

excitandum appetitū,quoniā propter ſubtilitatem ſuæ materiæ,eſt ualde penetratiuum, & penetrat uſq; ad intima membrorum. idcirco qui ſtomachi calorem uult infrigidare, aut alias partes ſtomacho uicinas, is commodius & utilius utitur Malisgranatis acetoſis,quàm ſi acetum potauerit, quia humor maligranati nō ita penetrat ad intima ſicut purum acetum. Quare ad ſtomachum infrigidandū,uel partes ſibi propinquas utilius eſt uti malisgranatis acetoſis in æſtate,quàm aceto puro. Sed ad partes remotas à ſtomacho infrigidandas utilius eſt uti aceto quàm ſucco Malorumgranatorū, quoniam eſt diſſolutiuum, extenuatiuum,inciſiuum,ideoq; ſanguinem & lac coagulat, calefactum diſſoluit ut bibatur. Ad tales etiam partes infrigidandas, & ad ſtomachum infrigidandum plus ualet agreſta.illa enim uim habet uiuacem ad partes uſq; à ſtomacho remotas.Item acetum forte poſitum ſuper ferrum uel ſuper corram frigidam,ipſum acetum ſtatim bullit.Acetum quoq; uentris fluxū reprimit,eodemq; modo fluxum reprimit ſanguinis, narium uel aliarū partium.Item ſi plenū inuenerit uentrem, + ſi uacuum,ſtringit. lethargicis & phreneticis ſubuenit, ſi eorum capita, pedes atq; manus aceto abluantur.ulcera recentia mundificat & abluit,ipſaq; tumeſcere non permittit. oris fœtorem & gingiuarum abluit & mundat, dentium neruos percutit,ipſosq; hebetes & ſtupidos cito facit, uomitum & nauſeam reprimit gargarizatum. auribus ſurdis ſubuenit, & auditus uias aperit, oculorum aciem exacuit,metalla corrodit. mediante etiam aceto diuerſis ex metallis diuerſi colores generantur,ut ceruſa ex plumbo,ex ære uiridis, ex cupro laſurium, ex argento lithargyrium. Ouum ſi forti in aceto ponitur, & per plures dies ita demerſum teneatur, ad modum ceræ calidæ cum teſta mollificatur ita, ut ſub manu in plana tabula rotatum et deductum abſq; fractura poſſit oblongari. Acetū oppilationes ſplenis hepatisq; aperit. Aceti uero feces ualent contra ſerpentis morſum, qui dicitur Ceraſtes, item contra morſum rabidi canis & Crocodili. in partibus exterioribus poſitæ,calidos humores repercutiūt, igitur tibiæ inflatæ ex retentione ſeu ceſſatione hæmorrhoidarum calido in aceto lotæ facile detumeſcunt. Quod autem dictum eſt de aceto,idem operantur acetoſa,nam choleræ acumen extinguunt & reprimunt, ſicut dulcia ei quaſi contraria choleram excitant & nutriunt. De aceti natura uide in dict.hæmorrhoides,æs,fructus,roſmarinus,dulcia,zaccarum.

Varijs ex metallis mediāte aceto uarij generantur colores.

De Agreſta. Cap. XLI.

AGreſta frigida eſt & ſicca,ſua acerbitate ſeu frigiditate neruos percutit,dentiumq; radices in tantū quod obſtupeſcūt, & uidentur quodammodo congelari. Virtutem habet reſtringendi humorem cholericum & reprimendi eius motū,

uomitũ reprimit,caloremq́; hepatis reſtringit,ſitim aufert,acumen choleræ reprimit,humores groſſos in palpebris,in oculis deſiccat,pruritum oculorum & aſperitatem abſtergit. uſus eius tempore æſtiuo multum ualet cholericis. Aeſtiuo igitur tempore fiat agreſta de uua immatura & ponatur in ſcutella, dimittatur quieſcere donec feces deſcendant ad fundum,& quod clarum ſupernatauerit,modica admixtione aquæ calidæ,circiter mediam tertiam ieiuno ſtomacho bibatur, id choleræ motum mire reprimit. Qui tali medicina ſemel uel bis in æſtate utitur,tertianam uix patietur, quia choleræ motum reprimit, eiusq́; acumen extinguit.uide in dict.acetum.

De Animalibus. Cap. XLII.

Quorum animalium carnes ad comedēdum magis ſint utiles, plurimum conſiderandum eſt. bonitas enim carnium animalium eſibilium ex multis diſcernitur. Inter animalia quæ ad cibum competunt humanæ complexioni, quædam ſunt domeſtica,ut agni,hœdi,oues,porci,boues et ſimilia.quædam ſunt ſylueſtria,ut cerui,capreoli & ſimilia. Cæterum quædam animalia cōplexioni humanæ naturæ omnino contrariantur, uel ex nimio calore ut ſerpentes,uel ex nimia frigiditate, ut araneæ, ſcorpiones & ſimilia. Quædam uero humanæ complexioni non ſunt omnino contraria, ſed multum cōuenientia,ut hericij,lepores, uulpes, cæteraq́; animalia quorũ carnes grauis ſunt odoris,talium enim carnes malum præſtant corpori nutrimentum. Sylueſtria animalia ſunt magis cholerica, & ſicciora q̃ domeſtica,igitur auiculæ quæ ab incautis ſæpe dantur pacientibus & cō ualeſcentibus ſunt ualde choleric æ,ſiccæ,ac duræ digeſtionis. ideo non competunt niſi ad excitandum appetitum illis qui alia comedere non poſſunt. Quod autē ſylueſtriũ carnes ſunt duriores & indigeſtibiliores, q̃ domeſticorũ,ſignum eſt, quia poſt occiſionē non tam cito putreſcũt q̃ domeſticæ, idcirco omnia ſylueſtria minus nutriunt & difficilius digeruntur quàm domeſtica, exceptis capreolis ſyluaticis, qui ſapidiores ſunt & laudabiliores alijs carnibus ſylueſtribus,quia ex motu eorũ carnes rarificantur,humores ſubtiliantur,pori aperiuntur,& humores qui cauſſa ſunt grauis odoris, diſſoluuntur, & accidentaliter ſcilicet ratione motus & laboris per accidens laudabiliores efficiuntur. Vnde urſi & cerui,aliaq́; animalia ſylueſtria,antequam ad eſum interficiuntur,diu cã nibus ad uelociſſimum curſum agũtur,uenanturq́;, quia per talem curſum naturalis eorum frigiditas ſeparatur,et per pororum apertiones ex calore carnes eorum efficiuntur teneriores,adq́; comedendum laudabiliores,ex hoc etiam facilius digeruntur. Idem eſt de lepore alijsq́; ſylueſtribus.

Sylueſtria animalia magis ſunt cholerica & ſicciora quàm domeſtica,ideo corũ carnes durioris digeſtionis.

ſtribus. cito enim in alimentum cedunt. Quædam animalia paſcuntur in locis ſiccis & montoſis, taliumq́ carnes ſunt laudabiliores pro cōſeruanda ſanitate, & fortiora reddunt membra. Illa autem quæ domeſticantur & in domibus paſcuntur, quia non currunt nec laborant, carnes habent magis uiſcoſas & groſſiores propter comeſtionis exceſſum, & ideo minus ſunt laudabiles. quare carnes cerui nutriti et capti in nemore meliores ſunt quàm in domo nutriti. Alia uero animalia domeſtica ex natura ſua maiorem habent humiditatem & calorem magis temperatū, proinde magis competūt humanæ complexioni, quia meliorē generant ſanguinem propter maiorē conformitatē, quia ſanguis eſt calidus & humidus. Sanguis autem plus nutrit corpus quàm alius humor, & carnes domeſticorum digeſtibiliores ſunt quàm ſylueſtrium. Carnes tamen ſylueſtres, & ſi non ſint ita faciles ad digerendum, nec facilius tamen ſeparantur à membris quàm domeſticæ. In omni genere animalium maſculina calidiora ſunt fœmininis, & minoris humiditatis, ideoq́ laudabiliores ſunt carnes maſculorum quàm fœminarū, exceptis carnibus hœdinis, quandoquidē carnes hœdinæ laudabiliores ſunt in fœmina q̄ in mare, quoniā magis eſt tēporata, & à ſiccitatis exceſſu elongata, maximè quando lacti eſt uicina. In animalibus uero caſtratis, ut ſunt arietes, qui cotidie comeduntur, diuerſificantur. Nam caſtratorum carnes minoris ſunt caloris in maſculis, maioris in fœminis. maſculinæ tardius, fœmininæ uero digeruntur citius, ideo minoris deterioriſq́ue nutrimenti maſculis. proinde etiam maſculinæ maioris bonitatis. Generaliter autem inter animalia naturaliter humida, meliora cenſentur quæ in perfecta ſunt ætate. At inter animalia naturaliter ſicca, meliores ſunt fœminę maſculis in ætate perfecta quàm imperfecta. Carnes autem arietinæ ſunt meliores, teneriores, magisq́ nutriunt, & facilius digeruntur in iuuentute quàm in perfecta ætate, quia magis ſunt humidæ, magisq́ temperatæ in caliditate. Animalia item lacti ualde uicina magnæ ſunt humiditatis, uiſcoſitatis, lubricitatis, ideoq́ eorum carnes generant phlegmaticas ſuperfluitates. Si tamen illa animalia naturaliter fuerint ſicca, ut boues & hœdi, talium carnes lacti uicinæ laudabiliores quàm ſi à lacte dudum ſeparatæ, quia ſunt ſapidiores, humidiores, & temperate calidæ. Vnde hœdus de lacte melior eſt quàm ſeparatus à lacte, & carnes uituli qui de lacte nutritur, multo meliores ſunt quàm bouis à lacte ſeparati.
Carnes uero animalium naturaliter humidorum meliores ſunt à lacte ſeparatæ, quàm quando actu lacte nutriuntur, quia non habent humiditatem ſuperfluam, & minorem tunc habēt uiſcoſitatem, & ſolito magis temperatæ propter prædicta. Cuniculi ſunt calidi, ſicci et melancholici, ideo eorum carnes in iuuentute laudabiliores quàm ſi ætatis fuerint

perfectæ.tunc enim eorum carnes, quãdo ſcilicet in ætate perfecta, ſunt calidæ,ſiccæ, melancholicæ, durioris digeſtionis quàm quando ſunt iuuenes. In ætate uero decrepita minus ſunt laudabilia, comeſtioni etiam minus utilia,minus digeſtibilia & cõuertibilia, quia illa ætate in eis calor naturalis eſt quaſi extinctus,et naturale humidum eſt conſumptũ,iſtaq; regula generalis eſt de omnibus animalibus. Proinde generaliter inter animalia tam terreſtria quàm uolatilia, meliora laudabilioraq;, quæ in actu ſunt creſcendi quàm quæ in declinatione ad ſenium,totumq; ſuum augmentum compleuerunt. Item carnes animalium quæ paſcuntur in montibus ſunt melioris & ſubtilioris ſanguinis propter ſubtilitatem & cibi paucitatem. Quæ uero in paludibus paſcuntur,et locis aquoſis,ſunt groſſioris ſanguinis,ſed maioris pinguedinis,& ex hoc ſunt maioris oppilationis. Item carnes bouinæ macriores ſunt in hyeme,quia paſtus recens & conueniens eis deficit. Poſt medium autem ueris & antea,quia inueniunt paſtum conuenientem incraſſantur et impinguantur,ideoq; illo tempore bouinæ carnes ſapidiores ſunt laudabilioresq;, facilius nutriunt,& leuius digeruntur. Idẽ eſt de omnibus animalibus, quod eorũ carnes ſunt laudabiliores tẽpore quo inueniunt & accipiunt cõueniens alimẽtum,q̃ tempore quo eis deficit,ſicut patet in omnibus animalibus quæ paſcuntur herbis uirentibus. Item omnia animalia quæ nimiæ ſunt pinguedinis,peſſima ſunt quo ad eſum,ſicut omnis pinguedo ſuperflua eſt nociua. Talia enim nimis pinguia,digeſtioni multum nocent, quia in ſtomacho ſupernatant,& ſtomachum faciunt lubricum,nauſeam prouocant,appetitum hebetant,uillos ſtomachi lubricãt,ideo nimia pinguedo ſtomachum humidum diſſoluit,ſtomachũ uero calidum periculoſe inflãmat, quaſiq; ignit. Sicut uidemus quod pinguedo proiecta in igne magis inflammat ignẽ, & ſtatim facit flammã. ideo antiqui medici præceperunt ut de animalibus ualde pinguibus ſola caro rubea pinguedine denudata comedatur. Animalia uero nimis macra ſunt neruoſa & dura,parum humiditatis habentia,duræ digeſtionis,& modici nutrimenti. Animalia uero quæ nec nimis pinguia,nec nimis ſunt macra,carnes habent laudabiliores ad comedendum,quia non habent tantam pinguedinem ut ſtomachum inflamment,aut uillas ſtomachi lubricẽt.nec ita ſunt macra,ut naturam infrigident, & à ſanguine eam depauperent ſeu priuent. Eſt etiam ſciendum animalia quædam uno tempore eſſe meliora quàm alio,quia uno tempore menſis à medulla & ſanguine depauperãtur,aliaq; parte menſis eiuſdem plena inueniuntur,quod patet in cõchylibus maris,& communiter in piſcibus qui ſunt in conchis, quia in plenilunio ſunt pleniora medullis quàm in defectu Lunæ. hoc etiã pateſcit in hominis cerebro,idemq; eſt in aliorum animalium cerebris,quoniam

Animalia nimiæ pinguedinis ad eſum peſſima,et omnis ſuperflua pinguedo nociua.

creſcente

crescente luna, humidum cerebri crescit, deficiente deficit, ut patet in lunaticis, Maniacis, caducis, et phreneticis: uide in dict. lunatici. Simile refert Auicenna de Simia, quia secundum diminutionem & augmentum lunæ lætatur uel tristatur. Quædam etiam animalia uno tempore macra efficiuntur, quantumcunque habeant uictum copiosum, eadem animalia tempore opposito etiam dormiendo impinguantur. Sic quædam animalia, & quædam aues hyemali tempore quasi mortuæ iacent in truncis arborum, & in æstate quasi fortes surgunt, quasique dormiendo fortificatæ sint. Similiter Vrsa post conceptum multo tempore in locis abditis se abscondit, illoque tempore nullum cibum sumit. Pinguedo autem ursi ualet contra fluxum capillorum. Item carnes animalium in quibus dominatur siccitas & caliditas, in æstate non sunt bonæ, hyeme autem laudabiles. Quæ uero calidæ sunt & humidæ ut pecorinæ, arietinæ, in uere sunt bonæ, in autumno autem contemnendæ. Quæ autem frigidæ sunt & siccæ, hyeme nō sunt laudabiles, ut caprinæ, hœdinæ. Quæ uero sunt frigidæ & humidæ, ut porcinæ, à medio æstatis usque ad finem sunt optimæ, in hyeme pessimæ. in Vere autem & autumno sunt mediocres, sic enim refert Hippocrates, Caro porcina in uere est bona, in autumno minus bona, hyeme uero maxime laudabilis. Caro caprina seu hœdina in æstate est bona. porcina siue arietina, & bouina in fine ueris, & in principio æstatis est laudabilis. Carnes uero quæ comeduntur interdum assantur, aliquando cum sale & aqua elixantur. assatæ grossiores sunt & sicciores in nutriendo, durioresque ad digerendum, ideo non competunt quiescentibus, siue illis qui non sunt in exercitio corporali, sed competunt laborantibus & itinerantibus. Econtra carnes elixæ facilius digeruntur & quiescentibus competunt. Carnes multum pingues non sunt dandæ infirmis nisi assatæ, ut superflua humiditas in assando ab earum substantia extrahatur. Expedit itaque carnes animalium macrorū lixari, seu in aqua coqui, quia tunc sunt humidiores, & ad digerendum faciliores, quoniam aqua earum siccitatem humectat & temperat. Carnes animalium pinguium expedit assari, macres uero modo magis grato præparari, sed lixæ semper sunt facilioris digestionis. Quædam etiam carnes siue sint pingues, siue macræ, laudabiliores sunt lixæ quàm assatæ, ut caro bouina, caprina siue hædina. Porcina & pecorina melior est assata quàm elixa. nam per elixationē siccæ carnes humectantur, efficiunturque magis idoneæ ad nutriendum, & faciliores ad digerendum, per assationem uero carnes nimis humidæ modo debito desiccātur. Proinde carnes porcinæ quia sunt humidæ, comedi debent assæ. Caprinæ uero & bouinæ, quia sunt siccæ in excessu meliores sunt elixatæ. Eiusdem etiam animalis carnes secundum quod uariantur in humiditate & siccitate, in-

Quæ animaliū carnes esibilium sint ad hominis usum sanæ, & quo pacto easdē coqui conueniat.

terdum meliores ſunt ad aſſandum, puta ſi fuerint pingues. ſi uero macres, debent elixari. Porcinæ etiã per aſſationem meliorantur, per lixationem deteriorantur. Quorundam etiam animalium carnes ſunt medicinales, ut uiperæ, ualentq; ad theriacam. Fel autem tauri, aliorumq; animalium, maxime accipitris, ualet ad oculorum caliginem amouendã ſi inde fiat collyrium. Pellis ſerpentis decocta oleo, aurium dolorem mitigat, ſi illud oleum tepidum auribus inſtilletur. Item ſi ille qui immoderatum patitur fluxum hæmorrhoidum, ſederit ſuper pellem leonis, reſtringitur fluxus. Si uero quis unctus fuerit fimo leonis, fugiunt ab eo lupi. Leonis adeps ualet contra uenenum. nam ſi quis perunctus fuerit pinguedine leonis, durante pinguedine, morſus reptilium ſerpentum aliorumq; animalium non timebit. Pinguedo etiã eius mixta cum oleo roſaceo, cutem cuſtodit faciei à uitijs, candorẽ in ea ſeruat, adusta ſanat, oculorum tumores ſedat. Fel eius diſtemperatum uel collyriatum cum aqua, uiſum acuit. idem fel ualet contra morbum caducũ. cor eius ſumptum, à febre ſanat quartana. Lupi cauda ſi ad uaccarum præſepe ſuſpenſa fuerit, eidem lupi non appropinquabũt. Item oculi urſi eruti ſup dextrũ brachiũ quartanarij ligati, quartanã mitigãt. Dẽtes itẽ canini lupi ſi ligenẽ ſup caput lunatici, curãt eũ. Itẽ ſi quadrupedia uiderint oculũ lupi erutũ, fugiunt & timent. Item ſi dentes canis omnino albi nullã maculam nigredinis in ſe habentis ſuſpendantur ad locum epileptici, iuuãt eum, eiuſq; caſum prohibent. Si quiſpiã taurino felle ſub umbilico inunctus fuerit, uentrem ſoluit. Dens è ſerpentis maxilla eradicatus dum uiuit, & ad collum quartanarij ſuſpenſus, ipſum curat. Item ſi cum pulmone aſini poſito ſuper prunas, ſubfumigaueris domum, ab ea omnia fugabis reptilia & ſerpentes.

Leonis adeps, fel, atq; cor medicinalia.

De Ariete & eius cornu. Cap. XLIII.

SI cornu arietis iuxta eius auriculam perforetur, eius ferocitas domatur & impetus. Item ſi dexter eius teſticulus ligatus fuerit antequam coeat, generabit fœminas. Si ſiniſter ſtrictus uel ligatus fuerit & non dexter, generabit mares. Si flante Auſtro coierit, generabit fœminas. Si uero flante Aquilone coierit, generabit mares. Item qualis coloris uenæ fuerint ſub lingua ouis, talis color erit fœtus in ſuo uellere. Nam ſi nigras habet uenas, fœtus in ſuo uellere erit niger. ſi albas, fœtus in uellere albus erit. ſi uarias, uarius erit in uellere. Item Iſaac inquit, quod arietes in ætate iuuenili minoris ſunt humiditatis & uiſcoſitatis quàm agni lactantes, & hoc propter eorum ætatem & complexionem dominantem. ideo carnes caſtratorũ iuuenum meliores ſunt, & meliorem generant ſanguinem q̃ carnes agnorum lactentium, hoc dico ſi fuerint caſtrati, quia eorum humiditas & caliditas

caliditas eſt temperata. Quando uero caſtrati ſunt nimis ſenes, caliditate & humiditate temporata duabus de cauſſis deſtituuntur. una eſt amiſſio teſticulorum, altera ætas in qua omnibus animalibus deficit calor. ideo carnes caſtratæ antiquæ non ſunt bonæ, quia ſunt frigidæ & ſiccæ ſine humore, parum nutrientes, difficiles ad digerendum. Carnes autem bouinæ antiquæ ætatis, aliorumq; animalium, ſunt malæ ad comedendum propter frigiditatem & ſiccitatem, & defectum humoris & caliditatis. Arietes ſenes quando tempore ad coitum determinato citius mouentur ad coitum ꝙ iuuenes, ſignum eſt bonitatis & fertilitatis temporis illo anno, eritq; bonum tempus & fertile pro ouibus. Si uero tempore determinato ad coitum citius excitātur iuuenes arietes ꝙ ſenes, ſignum eſt quod illo anno peſtis eſt futura ſuper oues. uide in dictione animalia. *De arietibus ſenibus & iuuenibus memoratu dignum.*

De Aranea. Cap. XLIIII.

ARaneārum multitudo ſignum eſt inundationis aquarum pluuiarumq;. Quædam ſunt araneæ, quæ morſum habent uenenoſum & mortiferum, niſi citò ſuccurratur. Curatur autem talis morſus & uenenum, ſi ſuccus Plantaginis ſuper morſuræ locum apponatur, & plantago trita ibi deſuper apponatur. Aranearū autem tela quæ de earum uiſceribus naturæ artificio generatur, quamuis aranea ſit uenenoſa, tamen utilis eſt ad medicamentum. Nam tela aranearum alba & munda pulueribus non admiſta, uim habet reſtringendi, conglutinandi, refrigerandi. unde ſi in uulneribus ponatur, ſanguinis fluxum ab eis reſtringit & prohibet ne in eis ſanies generetur. Plagam recentem ſanat, ibiq; inflaturam fieri prohibet ſanitatem uulneris retardantem. Eſt autem Aranea quædam magna, quæ caput habet rufum, corpus reſperſum albis guttulis, cuius morſus eſt periculoſus, moratur circa furnos & molendina. Remedium autem contra eius morſum eſt, aliam araneam eiuſdem ſpeciei oſtendere percuſſo uel contritam ponere ſuper uulnus, ſicut fit de ſcorpione. Vnde quādo tales araneæ poſſunt capi, uel inueniuntur mortuæ, conſeruātur pro remedio ſupradicto. quarum cortices contriti & potati, medentur morſuræ Muſtelæ. Cōtra eius morſum etiam ualet allium bene tritum, emplaſtratum ſuper morſuram, & ablutio cum uino calido. Remedium contra morſum omnium aranearum, eſt cerebrum gallinaceum, modice mixtum cum uino dulci atq; bibitum. Coagulum quoque agni in uino potatum aranearum morſum ſanat. Idem facit cinis ungulæ arietinæ cum melle poſitus ſuper locum morſuræ ſeu puncturæ. Item muſcæ coctæ, & per emplaſtri modū ſuper morſum aranearum poſitæ, uene-

num extrahunt & dolorem mitigant. Item eſt quædam aranea longa & candida, tenues habens pedes, quæ ſi contrita fuerit in ueteri oliuarum oleo, albuginem ſoluit oculorum. uide in dict. crocus, plantago, ſapphirus.

De Agni fimo. Cap. XLV.

Sacer ignis agni fimo curatur.

AGnus, ut fertur, fimum habet nigrum, qui ſi cum aceto cataplaſmetur, nigras emundat maculas, flauos facit capillos, ignem ſacrū curat, oliuarum oleo mixtus, loca combuſta ſanat.

De Apro. Cap. XLVI.

APri urina, ut dicitur, aurium uitijs medetur, ſi cum oleo roſaceo miſceatur, & auribus inſtilletur. Fel etiam apri contra calculum ualet, ſi cum uino potetur. Eſt autem caro apri, ut dicit Iſaac, magis ſicca & minus frigida quàm caro porci domeſtici, & hoc eſt propter motus ſui continuitatem, et uirtutis ſiccitatem, aërisq; cui continue exponitur, caliditatem. Ideoq; eius pinguedo durior eſt quàm pinguedo porci domeſtici, & caro laudabilior ad edēdum. Et propter hoc porci domeſtici qui dicunt uerres uehementer agitantur, uerberanturq;, & cū canibus uenantur antequā occidantur, ut ex motus uiolentia eorum carnes ſint teneriores & ſapidiores. Fimus apri deſiccatus, & cum uino & aqua bibitus ſanguinem eijcientibus propter dyſenteriam, uel alia ex cauſſa, ſingulare remediū eſt. Fimus eius cum aceto diſtemperatus, ſi per modum emplaſtri apponatur, lateris dolorem curat, fractaq; oſſa conſolidat.

De Aſino & aſina. Cap. XLVII.

VNgulæ aſini fumigatæ, prægnantem mulierem adiuuāt ut fœtus in uentre mortuus eijciatur. nec alias debet prægnans fumigari, quia ſi partus ſit in utero uiuus, illo fumo extinguitur. Aſini fimus recens fluxum ſanguinis per nares reſtringit, ſi cum aceto per modum emplaſtri apponatur. & ſi omnino recens, idem efficit ſine aceto. Iecur aſini ſi coctum comedatur, contra caducos ualet morbos paruulorum. Lac aſinæ & eius ſanguis cōtra morſum ualet ſcorpionis. Itē ſi pulmo aſini ſubfumigetur in domo uel alio in loco, omnia inde fugiunt uenenoſa. Lac etiam aſininum ualet contra gypſum uenenoſum, contra ceruſam, contra argentū uiuum. Item oſſa aſini contrita & decocta in uino, contra uenenum ualent, ſi illa decoctio bibatur. Item urina aſini maris cū Nardo mixta, capillos multiplicat & conſeruat. Aſinus libentius bibit aquam turbidam, quàm ſanam ſeu

claram,

claram.uacca econtra. Item soleæ sotularium si de asini corio (illius partis in qua diutius gestauit onera) fiant, non rumpuntur, etiam si super lapides continue quis uadat, sed tandem tantum indurantur ut pedibus portari non possint, hocq; expertum.

De Aperitiuis. Cap. XLVIII.

OMnia amara, calida et sicca sunt aperitiua meatuum corporis. Virtus enim aperitiua operatur per calidum & siccum cum substantia subtili, ut patet in cepis, alliјs, in succo porri, in alumine, in Aniso, Anetho, inq; omnibus aromaticis, ex quorum confricatione uenarum ora aperiuntur. Hæmorrhoides etiã aperiuntur & prouocantur, unde ad hæmorrhoides aperiendas multũ ualet succus porri, uel cepæ, uel confricatio cum folio fici. Virtus autem rarefactiua operatur per calidum & humidum sibi obediens, aperit & dilatat, ut patet in Malua, & in mediano cortice Sãbuci, quia illa bullita cum oleo, cutem rarefaciunt & extendunt. Vnde si quis urinandi paciatur difficultatem, & Malua uel Petroselinũ super eius umbilicum ponatur per modum emplastri, difficultatem illam tollit. Inspissatiua uirtus operatur per frigidũ & humidũ cum obtusa substantia, ut patet in +Diadragaganto, albugine oui & Psillio. ista enim uiscositate & obtusitate substantiæ suæ poros replent, & frigiditate cõstringunt. Quod etiã inspissatiua uirtus operet per frigidum & humidum, patet in Mandragora, quę super temporũ cutem posita, uapores inspissat, somnumq; prouocat. Idem de syropo Nenufarino (qui fit de flore illo albo qui in aqua nascitur ex herba quæ uocatur Nenufar, habens figuram pedis Caballi, nec radicem in terra) quia sua frigiditate infrigidat, infrigidando inspissat. frigiditate enim sua liquidiores partes humiditatis constringit, unde humiditas centrum petens, substantiam reddit compactiorem & per consequens spissiorem. Aliquando uirtus inspissatiua operatur per calidum & humidum, quia calor cõsumit partes liquidiores, quibus consumptis, partes terrestres redduntur spissiores. Induratiua uirtus operatur per frigiditatem & siccitatem, quandoq; operatur per frigidũ & humidum, frigiditate partes liquidas constringente, ut patet in glacie Quandoq; operatur per calidum & siccum, partes terrestres compingendo, & per consequens indurando, ut patet in latere, & in uasis terreis coctis. Asperitiua uirtus operatur per calidum & siccũ cum grossa substantia, nam calor illud quod est subtilius eleuat ad circumferentiam, illudq; in conum acuit. quod uero grossius et magis siccum tendit ad cẽtrum, & sic fit tota substantia inæqualis, quæ inæqualitas caussa est asperitatis. Mollificatiua uirtus operatur per calidum & humidum, quia

Virtus aperitiua.
Virtus rarefactiua.
Virtus inspissatiua.
alias. Diagrediatõ.
Virtus induratiua.
Virtus asperitiua.
Virtus mollificatiua

calor partes humidas dilatat & rarefacit, sicq; partes à partibus disgregat, ut patet in Dialthea, quæ humida est & parū calida, suo tamē calore mediocriter aperit, & superhabundantiam humiditatis siue humores congregatos fluxibiles facit, & sic per consequens maturat, mollificat, et remollit. Sensus enim probat, quod in calore dominante super partes aqueas & terrestres, easq; resoluente in partes aëreas & cælestes, fit mollificatio & fluxus, ut patet in uaporibus terrestribus & aqueis attractis ad intersticia aëris, quæ ui caloris in guttas resoluuntur pluuiæ.

Virtus maturatiua.
Virtus retentiua.

Maturatiua uirtus sicut per calidum et humidum operatur, sic retentiua per frigidum & siccum. Et sicut expulsiua per frigidum & humidum, ita aperitiua per calidum & siccum principaliter operatur.

Virtus attractiua.

Attractiua uirtus operatur per calidū & siccum ut patet in Diacanno, Serapino, stercoribus colūbinis & similibus.

Virtus laxatiua.

Laxatiua operatur consimiliter per calidum & siccū sed uehementius, proinde quæ uehementer attrahunt, laxatiua sunt, ut patet in Scamonea. Quandoq; etiam operatur per frigiditatem comprimendo, & per humiditatem leuificando, lubrificando ut patet in prunellis et Tamarindis.

Virtus putrefactiua

Putrefactiua uirtus interdum operatur p calida & humida. De aperitiuis quære in dict. phrenesis, caput, acutus sapor, medicina, salix, sambucus sinapis, cardus, dulcia, hœmorrhoides, Centaurea, amara, color, anethum, canis, mel, nardus, hœdus, oleum, cæra, petroselinum, salsedo, amomum.

De Atriplici herba. Cap. XLIX.

ATriplex herba est quæ alio nomine uocatur Andrafasis siue Adlatana, cuius folia sunt lata, & uidētur esse farina respersa. Eius folia si sub olla noua sub terra ponantur, ita quod orificium ollæ sit immediate uersus terram, et subtus ponantur folia illa, ita quod dum folia corrumpentur, non possint euaporare (quoniam olla undiq; terra bene cooperta esse debet) illa folia conuertunt̄ in ranas. quære in dict. medicina, salix, sambucus, sinapis.

De Allectorio. Cap. L.

ALlectorius lapis est seu gemma quæ uocatur lapis galli, & est albus, nitēs, Crystallo obscuro similis. extrahitur de uentriculo galli gallinacei siue caponis antiqui & decrepiti, fabæ quantitatem non excedens. qui sub lingua positus miro modo sitim extinguit, idq; expertum est. Veteres etiam medici dicunt, quod iste lapis homines in bello reddat insuperabiles & inuictos, excitat uenerem, gratumq; facit hominem cunctis & constantem, disertum oratorem, amicitiasq; conciliat.

De Aëre

De Aëre. Cap. LI.

QVod aër sit grauis & ponderosus sic probatur. Comprime utrem uel uesicam fortiter plicando, postea extendatur, impleaturq; uento, et ponatur in statera, uideaturq; quantum ponderet, inuenietur quod plus ponderat uacuus uter uel uesica, quàm spiritu seu flatu hominis plenus. quia aër ille quo uter est plenus, calidus est, quoniã ex hominis ore inspiratus. calor autem aërem eleuat, ideo per consequens utrem reddit leuiorem. nam calor aërem eleuans, utrem uideri facit leuiorem. Eadem est caussa quare homo mortuus plus ponderat quàm uiuus, & homo ieiunus plus quàm pransus. Idem facit si impleatur uento calido seu aëre calido, unde plus ponderat uter plenus aëre in hyeme quàm æstate. Aër item in nocte plus põderat quàm in die, quia in nocte inspissatur, die uero attenuatur. quod experimento probatur, quia amphora uitrea si impleatur aqua, talis amphora si nocte in peluim ponatur, plena stabit & quiescet. si autem in die ponatur in pelui, ampullas faciet. & si in die ad solem ponatur, subuertetur, nec quiescet, quod fit propter aquæ subtiliationem. uide in dict. lepra.

De Annulo saltante. Cap. LII.

VT annulus per se saltet, pone in eo argentum uiuum, ut exire non possit, si aliquantulum ad ignem calefacias, uel prope ignem dimittas, statim incipit per se saltare. oportet autem ut annuli rotũditas sit cõcaua, quo argentum uiuum imponi possit.

De Argilla terra. Cap. LIII.

ARgilla est terra unctuosa, ex qua figuli uasa sua faciunt, quæ dum recens est, si in forti aceto bene fuerit inbibita, mollificataq;, & per emplastri modum supra frontem ponatur atq; tempora, sanguinis fluxum restringit per nares. uide in dict. emplastrum.

De Aurora. Cap. LIIII.

SI aurora diei nimia sit serenitas cum radijs solaribus directis contra Austrum, signum est pluuiæ futuræ & tempestatis. Et si circulus colorem habens iridis, qui generatur circa lunã, paulatim incipit inspissari, signum est futuræ pluuiæ. si uero incipit rarefieri, signũ est serenitatis.

De Auena. Cap. LV.

AVena & auenatum uirtutem habet leuiter relaxandi, si emplastretur. cocta super tumore posita, tumorẽ reprimit. proficit fastidiosis, pectus lenit si cum zaccaro comedatur, maculas faciei mundat.

De Auellana. Cap. LVI.

AVellana fructus eſt calidus, uentrem prouocat. arbor de quo naſcitur, uocatur Corylus. Auellanæ duræ ſunt ad digerendum, ſed corporis multum nutritiuæ. Si comedãtur cum interiori tunica alba ſeu pellicula, multum inflãt, ideo utile eſt ut in aqua calida, uel uino calido ab illis pelliculis denudentur, ſicq́ mundatæ comedantur. Earũ cutis melli admixta ualet contra Alopetiam, id eſt fluxum capillorum, pilos in capite uel corpore germinare facit, ſi locus inungatur. de auellana in dict. canis.

Alopetiæ remedium

De Boragine. Cap. LVII.

BOraginis uſus frequens eſt in potagijs, aut alio modo, maxime ubi flores eius uirides uel ſicci commiſceantur pulmentis. Borrago ſanguinem groſſum & corruptum mundat & purificat, uentrem laxat, contra choleræ acumen multum iuuat. Idem facit electuarium de floribus Boraginis cum zaccaro confectum, quod uocatur Diaborraginatum.

De Brodio. Cap. LVIII.

BRodium bonarum carnium maxime bene coctarum, puta hœdorum, gallinarum, caponum, pullorum, bene citoq́ nutrit, & deperditum cito reſtaurat. hoc idem faciunt oua recentia, mollia, maxime ſi teſta in aqua decoquantur. uide in dict. complexio.

De Baſiliſco. Cap. LIX.

BAſiliſcus idem eſt quod regulus, quia ſerpẽtum rex, omnes enim ſerpentes eum timent & fugiunt, quia flatu ſuo eos necat, flatu quoq́ & aſpectu interficit omne uiuens. Et quamuis omnes aues interficiat aduretq́, à Muſtela tamen uincitur. nam baſiliſcus uiſa Muſtela ſtatim fugit. Muſtela autẽ quando ſibi cũ Baſiliſco pugnandum eſt, Rutam comedit, quã munita contra Baſiliſcũ fortiter pugnãs uictor euadit. & ſi à Baſiliſco tacta fuerit, ſtatim ad Rutam feſtinat. Baſiliſci puluis poſtquàm fuerit combuſtus, ualet contra uenenum, ſi ſuper locum morſuræ ponatur. Fertur autem à pleriſq́ue gallum in decrepita ſiue ultima ætate oua quædam admodum parua, rotunda, liuida ac crocea ponere, quæ ſi uerme quopiam uenenoſo, Bufone ſcilicet aut Colubro diebus canicularibus foueantur, Baſiliſcum inde generari. de cuius ueneno in dict. uenenum.

Baſiliſci puluis ualet contra uenenum.

De butyro

De Butyro eiusq; natura. Cap. LX.

BVtyrum naturaliter calidum est & humidum cum dominio caliditatis uiscosum & unctuosum. Idem sæpe comestū stomachi est humectatiuum, uentris solutiuum, pectoris leuitiuum, ulcera pectoris & intestinorum sanat, maxime ualet quando recens humanæ complexioni est uicinum. Valet etiam ad leuificandum pectus & pulmonē, curandumq; maxime si ibi fuerit apostema, quia proprie ibi est maturatiuum, humorum & superfluitatum omnium pectoris dissolutiuum & mundificatiuum, maxime si cū melle uel zaccaro comedatur. Butyrum repugnat uenenis, membra humectat asperitatem oculorum eius litura mollificat & emundat, apostema dissoluit & maturat, uulnera pectoris, pulmonis, intestinorum & gutturis mire sanat, intestinorū morsuras mitigat, neruos indignatos, contractos seu spasmatos mollificat atq; laxat. Contra uenena interius sumpta uel bibita, singulare est remedium, si intoxicatus butyrum in lacte calido resolutum bibat in magna quātitate. nā sua unctuositate meatus oppilat ne uenenum subito ad cor ascendat. Butyrum aūt recens est laudabile, antiquum uero minus. Item bouinum butyrum, ut ait Constāt. multum ualet contra ictum scorpionis, nam butyrū sua unctuositate oppilat ne uenenū diffundere fumum suū possit, neue talis fumus ad cor ascendat. Caliditate sua butyrum soluit & consumit, uiscositate & humiditate sua mundificat & abstergit. Butyrum tamen si in magna quantitate comedatur, stomacho nocet, digestionem impedit, quia stomachū lubrificat, & supernatat, unde male digeritur, uide in dict. canis, gentiana.

Butyrum multis rebus medetur.

De Balsamo. Cap. LXI.

DE Balsamo illud repertum. si parum fuerit & in manu ponatur, inq; feruore solis manus cum balsamo soli exponatur, manum sine læsione penetrabit, quia super liquores uirtutem habet ualde penetratiuam. Si una gutta Balsami ponatur in palato, cerebrum ita calefacit, ut uideatur succendi. unde ualet cōtra rheuma ex caussa frigida, & contra Paralysin. habet autem uirtutem dissoluendi, consumendi, corpora mortua incorrupta cōseruandi, quia quantum dissoluit, tantum consumit. Fœtum mortuum educit, & molā de mulieris uentre educit & expellit, lapidem in renibus & uesica frangit, Iliacam passionē sanat. omnesq; inueteratas passiones capitis sanat, si modo debito assumatur.

Balsami uires.

De cornu bouis uel tauri. Cap. LXII.

SI cornu tauri uel bouis findatur & insufflet, posteaq; cibetur, citius impinguabitur. Item fimus bouis cum aceto ualet cōtra dolorem ar-

ticulorum. Eſt & hydropicis remedinm ſingulare, ſi cum eorũ fimo ad ſolem perungatur. intercutaneum enim humorẽ cõſumit, ſedat, inflaturãq; hydropicã reprimit & tumorẽ. uide in dict. animalia, dolor anchæ.

De Barba. Cap. LXIII.

BArba uigoris eſt & caloris naturalis inditium, hocq; cauſſa eſt quare uiri & non mulieres, quia uiri mulieribus cõmuniter ſunt calidiores, ideoq; in maribus fumus qui eſt pilorum materia magis augmentatur. Cum igitur natura non ſatis potens ſit ut huiuſmodi fumum per poros alioſq; meatus expellat, eundem per caput in quo capilli, & per barbam aliaſq; corporis partes in quibus ſunt pili, expellit. Proinde mulieres quæ calidæ ſunt & humidæ complexionis, nonnunquam barbam habent, maxime quando non concipiunt, & econtra. Aliqui uiri frigidi ſunt, parum aut nihil de barba habent. unde in eunuchis non creſcit barba, quia perdiderunt illa mẽbra calida, quæ calidi humoris, & illius fumi qui barbæ eſt materia, ſunt generatiua, ex quo patet quod ſpiſſitudo barbæ caloris naturalis, uigoris ac humoris ſubſtantialis eſt inditium. In pueris autem quamuis ſint calidi & humidi, non creſcit barba, quia materia pilorum tota tranſit in nutrimentum puerorũ. quære in dict. capilli, pili, alopetia, roſmarinus. Qui incantationibus ſtudẽt, aiunt herbam quæ Barba Iouis appellatur, fulgura fugare & tonitrua, ideo plantatur in tectis domorum in quibus homines habitant uel morantur.

Viris natura frigidis parum aut nihil barbæ creſcit.

De Beryllo & Cryſtallo. Cap. LXIIII.

BEryllus lapis eſt coloris pallidi, lucidi, tranſparenter ad modum aquæ. Is ſi inuoluãt in panno lineo, et ponatur in aqua uel etiam ſine panno, uidetur aqua moueri. Si undiq; eſt rotundus, oculoq; ſolis opponatur, manũ tenentis ipſum exurit. illudq; expertum eſt. Radio quoq; ſolis ſi opponatur, accendit ignem Cryſtallus etiã frigida ubi radio ſolis directe opponitur, maxime quando ſol eſt in Virgine, ignis inde generatur. Si autẽ cryſtallus calida ſoli opponatur, non generabitur inde ignis. Cryſtallus poſita ſub lingua, ſitim reſtringit. Cryſtallus bene trita, cumq; melle bene depurato mixta, & ad bibendum data mulieribus lactantibus, eorum ubera replet. Inter Beryllos qui magis pallet melior eſt. eundemq; ferunt cõtra pericula hoſtium ualere. in litibus hominem reddit inuictum, bonum ingenium facit. ualet contra uitia hepatis, contra ſuſpiria, & eructuationes, oculos humidos ſanat, hominem magnificat, & amorem diligit coniugalem.

De Balauſtia.

De Balauſtia. Cap. LXV.

BAlauſtia eſt flos rubeus cadēs de Malogranato. Frigida eſt & ſicca, habetq; uirtutem conſtringendi & deſiccandi humorem. ideo ualet contra Dyſenteriam & contra fluxum ſanguinis uentris, ſi teratur & decoquatur, eiuſq; decoctio in uino bibatur. Habet item uirtutem reſtringendi uomitum cholericū, ſi decocta in aceto cum ſpongia ſuper pectoris furculam per modū emplaſtri apponatur. Item ſi pulueriſetur, talis puluis uulnera conſolidat, gingiuas ſanat, eorumq; putredinem amputat, maxime quando cocta eſt in aceto, poſtea eius pulueres miſceantur cū melle deſpumato & gingiuæ inungantur. Radices etiam dentium ſicut & gingiuas conſolidat & confirmat. ulcera etiam labiorū ſanat & claudit. Iſta omnia facit cortex, fructus ſcilicet maligranati maturi ſeu antiqui.

De Bdellio arbore. Cap. LXVI.

BDellium arbor eſt, uel gummi illius arboris cuius gutta lucida eſt, guſtui amara, boni odoris, ſed magis eſt aromatica, quando uino calido eſt infuſa. Subſtantiam habet glutinoſam, reſtrictiuam, atq; etiam attractiuam. Si teratur et pulueriſetur, et in uino calido miſceatur, ita quod liqueſcat & bibatur, ualebit contra Dyſenteriam, quæ ex acuta eſt materia. Idem ſed non tantum facit incenſum uel maſtix conſimili modo bibitum. Valet etiam pacientibus fluxum ex medicina nimis forti, nimiſq; laxatiua accepta. Bdelliū quoq; ualet contra apoſtema, ſi cum illo gummi diſtēperato inungatur. Si prædicto modo bibatur, calculum rumpit, Tuſſim compeſcit. morſibus reptilium uenenatorum, ſi ſuper morſuræ locum calida ponatur, & ueneno occurrit, inteſtinorū dolorem lenit. Hernioſis & ruptis inferioribus in partibus, ſi prædicto modo bibatur, ad interiorum ruptorum prodeſt conſolidationem. Quod facit Bdellium, idem facit Bernix gūmi. Virtutem etiam habet conglutinandi, clarificandi, cōſeruandi, ideo pictores eo maxime utuntur liniendo picturas, multum enim ſtringit & conſolidat ſicut Bdellium, & eſt alterius naturæ, quia frigidum eſt & ſiccum, Bdellium calidum eſt & humidum. *Bdellij uires & medicinæ.*

De Buxo. Cap. LXVII.

BVxus lignum eſt ualde ſolidum, quod aquæ non ſupernatat. Iſtius ligni raſura ſubtilis (cum ſit frigida & ſicca) in aqua puteali cocta atq; bibita, uentris fluxum reſtringit. Eadem etiam raſura ſi in lixiuio decoquatur uel aqua, & caput lauetur, tergit capillos, crineſq; facit coloris aurei, ſi tali cum decoctione caput frequenter lauetur.

De Beta. Cap. LXVIII.

Beta uel bleta herba est hortulana cõmunis, ex qua frequenter facimus potagia. Succus eius naribus instillatus caput purgat, aurium quoq; dolorem sanat, si auribus instilletur, lendes aliasq; immunditias capitis & faciei maculas emundat. capillos reparat & conseruat. Folium eius tritum, atq; ita suo cum succo super ignem saluaticum positum, ipsum extinguit, nascentia uulnera compescit. non tamen frequenter pulmentum de ista herba comedi debet, quoniam malos humores nutrit si frequenter comedatur.

De Capitis passionibus. Cap. LXIX.

Circa passiones quas ex diuersis caussis caput incurrit, & circa remedia illarũ passionũ sciẽdũ est quod bona dispositio capitis ex tribus cognoscit, uidelicet ex quantitate, figura, & ex capillis. Quantitate, quia nõ debet esse nimis magnũ, nec nimis paruũ, sed mediate secundũ proportionẽ ad corpus. Si em̃ est nimis paruũ, defectũ significat materiæ, debilitatemq; uirtutis formatiuæ Similiter ex figura debet esse rotundũ & oblongũ. Ex capillis cognoscit quia si capilli fuerint multi, spissi, crispi, citoq; crescũt, calorem significat capitis & humorem, & econuerso. quære in dict. capillus. Et quoniam omnes fumositates ad caput ascendunt, ideo caput est porosum ut uapores exeant, qui si manerent, cerebrum læderent, & per consequens omnes sensus. cæterum apertis poris illæ fumositates exeunt. Ideo ad corporis sanitatem, bonumq; statum cerebri, & uiuacitatem sensuũ ualet pectinatio, quia pectinando pori aperiuntur, fumi exhalãtur, bonaq; ex dispositione corporis, bonus dependet status omnium sensuum & membrorum. Caput autem aliquando patitur ab interiori, ut patet in passionibus ex læsione cerebri procedentibus, sicut patet in lunaticis, phreneticis, epilepticis & huiusmodi. Aliquando ab extrinseco, ut uulnere uel percussione, uel aëre nimis calido,, aut nimis frigido, uel alio modo distemperato. Aliquando ex aliorum membrorum passionibus, ut ex stomacho repleto, corruptis & malis humoribus ascendunt fumositates corrupte & malæ, quæ cerebrum turbant, replent et pungunt, atq; ultra modum debitum pelliculas cerebi distendunt, sicq; lædunt, & dolorem generant. Accidit item ex nimia exinanitione, ut patet in nimis abstinentibus nimisq; uigilantibus, quia ut refert Galenus, longa uigilia capitis dolorem generat. Eodem modo accidit ex nimia repletione, ut patet in ebrijs, quia ex nimio & superfluo fumo à superfluo uino generato ascendente ad cerebrum, & pungente pelliculas, distendente &

Corpore bene disposito, omnes sensus, membraq; omnia bono in statu cõsistũt.

inflante ultra modum debitum, causatur dolor maximus. Idem facit uinum nimis acutum aut nimis forte, quia fumus acutus ad cerebrũ ascẽdens, cerebri pelliculas pungit. Alleuiatur autem talis dolor ex uomitu & stomachi euacuatione, quære in dict. abstinentia. Item caput aliquando dolorẽ patitur interiorem, qui uocatur Emigranea, tuncq; paciẽs in capite sentit & in cerebro quasi malleationẽ quandã & percussionem, & pati non potest sonum, nec uocem, nec lumen, nec splendorem. et iste dolor ex fumo causatur cholerico cum uentositate, ideo sentit puncturã arsuram & tinnitum. Tunc enim danda sunt remedia contra choleram acutam, scilicet medicina infrigitatiua, & illa quæ sanguinem purgant & caput. Caput item aliquando patitur dolorem ex caussa interiori existẽte in capite. aliquando ex caussa proueniente ex stomacho. Ex caussa interiori existente in capite, quando ex uitio est alicuius humoris peccantis in sola qualitate, ut ex intemperato frigore, uel calore, uel ex uitio sanguinis, phlegmatis, sicq; alijs de humoribus. Si autem capitis dolor est interpolatus, modo ueniens, modo recedens, signum est quod à stomacho procedit. Si uero dolor continuatur sine intermissione, signum est quod ex humoribus causatur. Si causatur ex sanguine, paciens calorem patitur in capite, grauitatem in fronte, quia interior pars capitis sedes est sanguinis. oculi rubescunt, faciei uenæ sunt plenæ. Si uero causatur ex fumis cholericis, calor causatur in naribus, siccitas in lingua, uigiliæ, & sitis non desinũt. maior sentitur dolor in dextra parte capitis quàm in sinistra, quia choleræ sedes est in dextra parte. facies cum oculis est citrina amaritudo sentitur in ore. Quando uerò capitis dolor causatur ex melãcholia, in sinistra parte capitis dolor erit incensior cum frigore, uigilijs, grauitate. facies erit liuida, quia terrei coloris, oculi concaui, solitudo, oris acetositas. Si uero causatur ex phlegmate, sequitur dolor grauatiuus, per os & nares superfluitates exeunt, et quandoq; cum tussi, grauiq; spiritus retractione & querela. facies pallida & subtumida, oculorum lippitudines, oris insipiditas, dolor à posteriori parte capitis erit maior, quoniam illa in parte sedes est phlegmatis. unde Gal. ait, Caput in quatuor partes diuiditur; quia in fronte dominatur sanguis, in dextra cholera, melancholia in sinistra, phlegma autẽ in parte posteriori. Præter prædicta caput patitur in cute pustulas & scabiem, saniem ad modum mellis emanantem, quæ prouenit ex humore uitioso & uiscoso capitis. Caput item scabiem quandam patitur, quam uocamus Tineam, quæ maxime inest pueris, quia sicut tinea uermis pannos corrodit, sic tinea ista puerorum capita in cute corrodit. Talis autem passio in cute magnum pruritum generat, & frequenter accidit pueris propter sanguinis habũdantiam, ipsiusq; cutis molliciem, & superfluitatẽ cibi, unde Tineosis di-

Emigranea capitis dolor interior.

Capitis dolor interpolatus à stomacho procedit.

Tinea capitis scabies.

bus ſubtrahi debet temperate,quia ſubtracto humore ſuperfluo,incipit illa paſſio deſiccari,tuncq; unguenta acuta adhibenda, & cum aceto uel urina propria calida locus tineoſus fortiſſime cõfricetur uſq; ad aliquã-tam ſanguinis effuſionem. Summum autem remedium contra Tineam curandam in pueris lactentibus eſt,ut Conſtãt.ait, quod apertis retrorſum uenis in anis eorum extrahatur ſanguis, & extractus totus calidus ponatur inungendo ſuper tineam, quia caliditate & ſubtilitate ſua poros aperit,& ſubintrando materiam tineæ diuidit & conſumit. Et quia capillorum radicibus uſq; in profundum teſtę ſiue oſſis capitis illa tinea inhæret,ſanari uix poteſt,niſi pili radicitus euellentur & extrahantur de capite.Iſta autem paſſio ſi inueterata fuerit,et in humore adulto,uix unquam ſanatur. Et ſi aliquando quis apparet curatus, ſi caput madefiat cum aqua,paſſio iterum reuertitur.Dimittit etiam ut frequentius in capite ueſtigium,locum ſcilicet capitis denudatũ niſi bene curetur. Et quia non poteſt curari iſta infirmitas quin reuertatur, niſi pili radicitus ſint euulſi,ideo nihil eſt perfectius quod haberi poſſit & adhiberi ad curam tineæ,maxime in adultis qui poſſunt ſuſtinere, quàm ut caput tondatur non nimis prope cutem capitis, ſed capillorum modica longitudo dimittatur,& poſtea tineæ locus melle inungatur, inq; continenti pannus accipiatur lineus groſſus, de quo fiunt ſacci, & ponatur ibidem extendaturq; pix bene puluerifata, quæ igni appoſita donec liquefiat, tota calida cum illo panno per modum emplaſtri ponatur ſuper tineã.& manibus comprimatur, ut antequam infrigidetur, loco tineæ bene adhæreat.poſtea ſtet ita in caputio induto per ſex uel octo dies,& poſtmodũ non paulatim,ſed quaſi ſubito & uiolenter pãnus ille de capite amoueatur. Et quia pix eſt adhærens,carnem mollificauit et cutem capitis,cum illo panno,quando ſic extrahitur, multi pili eradicantur. Per eundem modum ponatur ſecundo,tertio,quarto,& pluries ſi neceſſe fuerit,pannus cum melle & pice,donec omnes pili loci tineoſi radicitus ſint extracti. Et ſi poſt amotionem dicti panni & maturationem pili remanent, illi unguibus, alioúe inſtrumento radicitus euellendi ſunt. Hoc autem non debet fieri niſi poſt longam maturationem, quoniam ſi antequam ſint bene maturati,cum pice eodem modo eradicãtur, pili frangerentur, radixq; corrupta intus remaneret. Si autem quando ille pannus qui ratione picis fortiter adhæret amouetur,uel quando pili eradicantur ſanguis emanat de capite,illud bonum eſt. quia talis ſanguis exiens eſt materia tineæ. Qualibet autem uice,quando iſte pannus de capite erit amotus,lauetur caput tineoſi forti cum aceto, uel cum urina propria calida. Poſtquã autem temporis proceſſu omnes pili fuerint eradicati, caputq; pilis denudatum,in loco ubi fuerat tinea,ſingulis diebus ſemel uel bis lauetur

Tineæ remedium præcipuum.

uetur

uetur caput cum forti aceto, uel cum urina propria calida, sicq; per duos menses fiat uel amplius, donec pili aliquantum creuerint. Caueat autē tineosus, postquam curatus fuerit, ut nulla cum aqua caput madefaciat nisi cum aceto uel urina calida, quia aqua multum nocet. Patitur etiam caput infirmitatem, quando scilicet pili capitis defluunt, uel quando caput efficitur caluum, de his, eorumq; remedijs quære in dict. capilli, caluicies. Item caput quandoq; suis in capillis patitur corrosionem, quæ uocatur Furfurisca. quia scabies quędam oritur in capite, cuius squamæ sunt ad modum furfuris iuxta radices pilorum ex fumo corrupto euaporante, quæ materia esse deberēt bonorum capillorum. In tali infirmitate caput frequenter est pectinandum, frequenter abluendū cum aqua calida in qua sint decocta folia Lauri, nardi, fœniculus, cinnamomum, aliæq; herbæ aromaticæ & aperitiuæ, sicut sunt herbæ calidæ & siccæ. Ista omnia bulliantur in lixiuio de cineribus uitium, & cum illo lixiuio caput frequenter lauet donec sit mundatum, quia ex apertione pororū fumus ille putrefactus exit, qui istius passionis est materia. Consimili ex caussa quandoq; oriūtur quasi infiniti pediculi, parui & immundi, quæ passio curāda est sicut capillorum corrosio scilicet Furfurisca. Remedia autē contra dolorem capitis sunt ista. Si dolor accidit ex uitio sanguinis aut alterius humoris, maxime si causatē ex sanguine, minutio fiat de uena cephalica, & corpus mundetē debitis & congruis medicinis. dentē ei frigida & sicca, ut non multum de sanguine generetur, quia sanguis calidus est & humidus. aqua hordeacea ad bibendum siue ptisanam, nulla ei pinguedo ministretur. Comedat auenatum, Lactucam cum aceto, cucumeres aliaq; frigida. sanguinis fluxum per nares prouocare debemus. Et si fuerit humor calidus & cholericus, frigidis medicinis cibisq; frigidis uti debet, cucurbitis scilicet alijsq; frigidis, ut prædictum est. Tempora, nares, uenas pulsatiles, aqua rosacea mixta cum lacte mulieris lactantis masculum, inungere debemus, & ad somnum quantum possumus, prouocare. uide in dict. somnus. Si uero posterior pars capitis dolet, uenam latam in fronte per minutorem aperire debemus, et sanguinem extrahere, illud iuuat. Debemus etiā (nisi istud sufficiat) tibias inferius scarificare, & cum uentosa inde sanguinem extrahere, quia tunc fumi & spiritus ascendentes ad caput, causantes dolorem, ad partes reuocantur inferiores. Consimili modo curari debet dolor si sit in parte sinistra uel dextra capitis. Si uero dolor procedat a stomacho, quod modo prædicto cognoscitur, uomitus prouocari debet bibendo aquā calidam in bona quātitate, & postquam aliquantulū steterit in stomacho, uomitus paulatim cum digito in ore immisso prouocari debet, stomachus quoq; mundificari debet per sumptionem mundificatiuorū. quære in dict. stomachus;

Furfurisca capillorum corrosio.

Medelæ contra capitis dolorem.

mundificatiuum. Facto autem uomitu,& mundificatiuis receptis, nõ ſtatim ſed poſt horam manus,brachia, pedes, cũ aqua calida in qua ponantur aromatica & aperitiua fortiter abluere debemus,ut pori aperiantur,& fumus euaporet,& cum tali aqua pedum plantæ confricari debent. Si uero materia doloris ſit frigida & uiſcoſa , & ſic in orificio ſtomachi danda ſit colatura uel quid aliud quod uomitum prouocet,quædam aromatica,calida & diuiſiua ſunt miniſtranda. Si talis materia ſit in fundo ſtomachi,expelli debet per conuenientem medicinam. danda ſunt in cibum & potũ mediocriter calida, & ſi neceſſe fuerit, exterius ſuper ſtomachũ ſunt unguenta calida apponenda.quo in his & in omnibus regulam ueram teneamus & generalem,quod remedijs contrarijs qualitatibus materiæ ex qua procedit infirmitas, ipſam infirmitatem curemus, ut uiſcoſa diuiſiuis, calida frigidis, & ecõtrario nimiã repletionem euacuatione,exinanitionem refocillatione,& ſic de alijs. Si uero dolor capitis fit ex uitio humoris peccantis,non in quantitate ſed in qualitate, tunc infirmus non indiget euacuatione, ſed potius alteratione, ita quod qualitati in qua peccat humor,contraria adhiberi debet qualitas, ut ſi in nimia caliditate peccat , dentur frigida, & ediuerſo . Si dolor ex nimio cibo & potu procedit,ut in crapuloſis aut ebrioſis,tunc iſtis optimum eſt aquam calidam magna in quantitate bibere, & interpoſita mora uomitum prouocare,& aliquibus diebus magnam facere abſtinentiam,ut ſuperfluitas digeratur,& quod interdum non bibãt uinũ acutum nec forte,& dentur leuiter digeſtiua . Caput interdũ patitur ex fluxu Rheumatis à capite ad interiora defluentis. quod quidem rheuma quandoq; caufatur ex nimio æſtu uel calore humores à capite diſſoluente & fluere faciente,talis fluxus dicitur Catarrhus. Fit autem catarrhus in capite multis de cauſſis.quandoq; ex nimia caliditate aëris, humores fluxibiles diſſoluente. Quãdoq; ex nimia frigitate cerebrum conſtringente,& partes liquidiores educente. Quandoq; ex ſuperflua humorum habundantia per incontinentiam defluentium ex interiori calore diſſoluẽte,uel ex frigiditate cõprimente. Quandoq; ex humiditate lubrificante. Quandoq; ex humorum liquiditate & fluxibilitate ſe diffundente.quandoq; ex debilitate uirtutis retentiuæ. Fluxus autem rheumatis qui ex nimia humorum habũdantia prouenit, iſta habet ſigna. quia corporis habitudo tũc eſt plectorica & repleta, facies eſt ſubtumida,oculorum eminentia, oris ſuperfluitas nariumq; habundantia cum ponderoſitate et grauitate corporis. Fluxus autem rheumatis proueniens ex uiolentia caloris diſſoluentis hæc habet ſigna. faciei color eſt rubeus cũ rubore uenarum maxime in oculis,fluunt & pungentes lachrymæ oculos mordificantes & calefacientes cutem ſuper quam defluũt.calor ſentitur in profundo capitis.

Rheuma.

Catarrhus multis de caußis fit.

pitis. Quando autem frigiditas cerebrum constringens est caussa, ista habet signa. color faciei est pallidus, lachrymæ frigidæ de oculis fluunt, frigus sentitur in profundo capitis. Quando autem fit rheuma ex liquiditate humorum, hoc cognoscitur per multitudinem superfluitatum ab ore defluentium & à naribus, eorumq; frigida dissolutione. Si itaq; humorum superfluitas caussa sit rheumatis, tunc curatur per eductionem illius superfluitatis, ad quod, & omne rheuma curandum præcipue ualet abstinentia à cibo & potu, uigiliaq;. Versus. Esuriant, sitiant, uigilent, ne rheumata fiant. Humor etiam iste superhabundans constringi debet & restringi per restrictiua, uide in dict. restrictiua. Quando autẽ fluxus rheumatis frigidus est & humidus, apponi debẽt ad nares calida & sicca strictiua humorum, & eorundem consumptiua scilicet aromatica boni odoris, & omnia quæ cerebrum confortant, ipsumq; calefaciũt, & fumus eorum applicari debet naribus. qualia sunt Laudanum, thus, Storax, Costum, Bdellium, aliaq; aromatica, ut pomum Ambræ. Si autem fluxus rheumatis fuerit calidus & humidus, restringi debet per frigidorum fomentationem & fumigationem ad nares, ut per fumũ aquæ in qua coctæ sint rosæ, semen lactucæ, cucurbitæ, cucumeres, aliorumq; frigidorum. de his quære in dict. calefactiua, frigida. Est autem sciendũ quàm diu rheuma uel catarrhus sua est in uehementia, nullum remediũ est adhibendũ, sed à contrarijs scilicet à calidis, si fit ex caussa calida, à frigidis, si fit à frigida, est abstinendum. Sed quando fluxus uehemẽtia cessare incipit, prædicta tunc sunt remedia, & alia quæ cerebrum confortant adhibenda, tuncq; caput nulla alia lauandum est aqua quàm rosacea si fit ex caussa calida. Caput item aliam quandam patitur infirmitatem, quæ uocatur Phrenesis. Causatur autem Phrenesis ex apostemate calido in quibusdam existente pelliculis cerebri. Illud autem apostema aliquando causatur ex cholera rubea, quæ tam ex proprio calore, quàm ex calore febrili fit leuis & fumosa, postq; uehementem calefactionem & leuigationẽ ad cerebrũ rapitur per uenas, neruos & arterias ibiq; in pelliculis quibus cerebrum inuoluitur, putrescit & fit apostema ex quo imaginatio turbatur, totumq; cerebrum læditur. Quandoq; fit ex fumo à stomacho & corpore ad cerebrum ascendente, et ipsum turbante, fitq; non uera phrenesis sed paraphrenesis. Phreneticus cerebri ex turbatione, motuq; phantasmatũ terribilia patitur accidentia, scilicet sitim, nimiam siccitatem, nigredinem & asperitatẽ linguæ, molestationes et angustiam nimiam, Syncopim propter defectũ spirituum, mutationem caloris naturalis in non naturalem. rubeus fit in facie, si cholera uel sanguis citrinus sit in caussa. Ista autẽ passio accidit calidis & siccis, quales sunt cholerici, tempore æstiuo, calido & sicco, quia tunc cholera ma-

Præcipua aduersus omnem rheumatismum remedia.

Phrenesis unde causetur.

gis inflammatur. Sicut autẽ Phrenesis uera causatur ex apostemate existente in cerebro, sic Paraphrenesis causatur ex apostemate existente in stomacho uel in matrice mulieris. & curato stomacho uel matrice, curatur paraphrenesis. Signa uero Phrenesis uera sunt ista. urinę discoloratio, manente febre, insania, continua oculorum uigilia, manuum, tibiarũ brachiorum extensio & protensio deordinata, capitis cõmotio, stridor dentium, & collisio eorum ad inuicem, semper uult surgere de lecto. modo cantat, modo ridet, modo plorat. Custodem et medicantem suum libenter mordet & lacerat, uel interficit si potest. quasi continue loquitur, multum clamat, nescit nec sentit se ægrotare, cum tamen sit in periculo mortis. Ideo talibus sine mora sunt medicinalia adhibenda & remedia, tam in cibo & potu quàm etiam in medicinalibus. dieta sit tenuissima, & plurimum mica panis fermentati in aqua frigida pluries lota & confricata, ita quod in qualibet ablutione micæ panis mutetur aqua. In loco obscuro teneatur, omnes fenestræ claudentur. Medicinaliter sic fiat. Statim si fieri potest caput eius radatur, & cum aqua rosacea caput rasum madefiat & lauetur, uel cum aceto tepido, teneatur fortiter, & si necesse fuerit ligetur ne locum possit exire. Diuersi uultus, uel picturæ uel colores nullo modo ei ostendantur, quia ex talibus insania irritatur. Nullus prope eum aliquid quod audire possit loquatur, nec ad aliquid sibi respondeatur. De mediana uena frontis minuatur & extrahatur sanguis quantum una in testa oui capi possit. Item si uirtus & ætas hoc patitur, statim in principio infirmitatis de uena cephalica minuatur, nisi forte sit nimis ex febre debilis. dentur remedia contra Choleram, scilicet infrigidatiua, Lactucæ, cucurbitæ, cucumeres & talia. quære in dict. frigida. Modis omnibns quibus poterit fieri tam unguentis quàm alijs modis prouocetur somnus, caput radatur si fieri potest sine periculo, ut fiat euaporatio. Caput rasum aqua rosacea uel aceto frequenter lauet, tempora & frons cum succo lactucæ & papaueris liniatur, & panniculi in prædictis succis madefacti super tempora cataplasmẽtur, uel etiam super totũ caput ponãtur. etiã succus Mandragoræ in temporibus modo prædicto, omniaq; somnũ prouocantia adhibeantur. quære in dict. Somnus. Si uero adhibitis remedijs istis per tres dies ultra durat insania et uigilia, soli deo est possibilis cura. Alia est infirmitas capitis quæ uocatur Amẽtia uel Mania, quæ est læsio interioris partis cerebri quæ priuat imaginationem. Cæterum Amentia interiorem partem cerebri lædit, Mania autem mediam cellulam offendit, priuatq; rationem sicut amentia imaginationem. Mania frequenter causatur ex nimio timore uel nimia tristicia. Quandoq; autem generantur istæ passiones ex cibis melancholicis. quandoq; ex nimia potatioue, uel ex potatione uini nimis fortis &

Paraphrenesis unde causetur.

Phreneticis quomodo & quibus medicamentis succurrendum.

Amentia. Mania.

acuti

acuti exurentis & incinerantis humores. Quandoq; ex animæ passionibus, scilicet ex nimia solicitudine, nimio timore, nimia tristicia, nimio studio. Quandoq; ex morsu rabidi canis uel alterius animalis uenenosi. Aliquando ex corruptione pestiferi aëris & infecti. quãdoq; ex malitia humoris corrupti dominantis in corpore hominis dispositi ad istam infirmitatẽ. Diuersæ autẽ caussæ diuersa habent signa, ita quòd per signa cognosci potest caussa. Quidã em̃ clamant, saltant, seipsos & alios uulnerant, & in latebris se abscondunt. quære in dict. Cerebrum. Tales debent fortiter ligari, ut nec se nec alios lædere possint. Tales sunt bonis & debilitatis cibis nutriendi. Ab omni timore, solicitudine, & caussa & occasione amouendi. cantilenis, instrumentis musicis lætificandi. Ostendenda sunt eis ea quæ ingerunt gaudium. sunt & aliquantulum exercitandi, purgationes etiam sunt dandæ, si caussa infirmitatis hoc requirat. Aliquando arte chiurgica testa capitis aperitur, ut fumositatum fiat euaporatio. Quandam aliam infirmitatem patitur caput, quæ uocatur Lethargia, quæ est apostema in posteriori parte capitis generatum, quod inducit omnium obliuionem. Ista infirmitas quandoq; fit in senibus ex phlegmate, & tempore hyemali, semperq; fit ex aliqua præcedenti ægritudine. In quibusdam enim ægritudinibus post longam afflictionem phlegma actione febrilis incipit bullire, & rapitur ad cerebrum, & in posteriori parte quæ sedes est phlegmatis recolligitur ratione conformitatis, ibiq; generatur. Cuius signa sunt febris continua, quia sine illa nõ fit communiter aliquis Lethargicus. urina discolorata & spissa, oculorum oppressio, continuus somnus, æger uocatus uix respondet, & si contingat respondere, loquetur aliena. supinus iacet, et si super latus ad horam uertatur, impetu proprio iterum supinatur. extrema corporis habet notabiliter frigida. Remedium est ut Lethargicus ponatur in loco luminoso, multi loquentes, clamantes, contendentes sint propè, percutiãtur pelues de cupro & ære tinnientes. Circa eũ fiant strepitus, per barbæ pilos & per capillos capitis frequenter fortiterq; trahatur. synapium eius naribus fortissimum infundatur, facies eius aqua frigida cum impetu perfundatur, fumus fœtidus, pungitiuus & penetrans, ut de cornu capræ adusto eius naribus apponatur, super omnia modis omnibus sternutatio prouocetur. de prouocatiuis in dict. sternutatio. Si autem sequatur sternutatio, optimum signum est. Si uero dormitatio & somnus perseuerauerit, & tremor cum motu brachij, stridorq; dentium superuenerit, mortale signum est. Cæterum si de phrenetico fiat lethargicus, pessimũ signum est. sed de lethargico si fiat phreneticus, bonum signum est. Est et alia infirmitas capitis quæ uocatur Vertigo, quæ est infirmitas, per quã subito uidetur pacienti quod omnia moueãtur uoluanturq;, & obscura

Lethargia est apostema in posteriori parte capitis omniũ rerum obliuionem inducens.

Lethargici curatio.

Vertigo morbus capitis.

efficiantur, & uidetur homini, quod ad terram caderet, nisi rei se alicui appodiaret. Caussa huius passionis est nimia habundantia humorũ cũ uentositate mixta. siquidẽ tales humores superflui, uentositate de stomacho ad cerebrum ascendunt. Si autem ista passio sit in solo cerebro, paciens grauitatem sentit in capite, sonitum in auditu, corruptionẽ in odoratu, talisq; uertigo difficulter curatur. Si uero ex stomacho procedit, ubi fit, non in cerebro, paciens sentit abominationem stomachi & dolorem. sed talis uertigo recipit interpolationem, quoniã ascendente fumo uertigo incipit. quando uero non ascendit, cessat. Contra istam passionem remedium est medicina purgatiua, ut Cassia fistula & similia, flebotomia. utat̃ Cinnamomo, Aniso, & omnibus diuisiuis, quæq; uentositatem expellunt. quære in dict. diuisiua, uentositas. Pedes infirmi in aqua calida seu tepida sunt ponendi, plantæ pedum debent lauari, mundari, fricari, à uino & omni cibo grosso et inflatiuo, qualia sunt legumina, abstineat. leuis uomitus prouocetur. Est alia capitis infirmitas, quæ uocat̃ Vigilia siue insomneitas, quę est passio cerebri, opposita Lethargiæ. hęc passio prouenit ex nimio motu cerebri, ex siccitate & caliditate cholerae rubeæ uel nigræ, ex intemperato calore, ex humoribus nimis salsis. Ex istis omnibus nascunt̃ uigiliæ inordinatæ, siue priuatio somni. Sequuntur angustiæ, mutatur color, incenduntur solicitationes melancholiæ, mentis alienationes, irrationabiles suspitiones. corpus desiccatur et marcescit, uirtus digestiua corrumpitur, tota hominis complexio in deterius mutatur, palpebræ & facies intumescunt, pluresq; aliæ passiones pessimæ generantur. talibus debent cito adhiberi remedia. Istorum tempora cum somniferis inungant̃, uidelicet cum succo Lactucæ, Papaueris, & omnium aliorum frigidorum. detur eis syrupus qui dicitur Nenufarinus, inungantur tempora succo Mandragoræ, bonis & delicatis cibarijs & resumptiuis reficiãtur. lacte mulieris eorum tempora inungãtur. Huius itaq; passionis pessimæ caussa est caliditas & siccitas cõplexionis. quandoq; ex malo humore ascendente ad cerebrum ipsum perturbante. quãdoq; ex indigestione & nimia repletione, ut patet in ebriosis, in quibus uini fumus acutus cerebrũ pungens & neruos sensibiles, eosq; lædens, non permittit quiescere spiritum animalem. & tales sæpe ad furorem ac mortem disponuntur, uixq; per aliquam artem ad somnum prouocentur. quære in dict. somnus. Vnde in talibus totum corpus incipit immoderate calefieri, oculi et palpebræ grauantur, totumq; corpus & omnes uires eneruantur. quære in dict. abstinentia. De alijs passionibus capitis et remedijs, ut de tremore capitis, de Epilepsia, de sternutatione quære proprijs in dict. Item in dict. capilli, caluitium, cerebrum, tremor capitis, Aloe lignum, Hedera, Hyssopus, Aloe herba, dolor capitis,

Vigilia capitis infirmitas Lethargiæ opposita.

Nenufarinus syrupus.

pitis,

pitis, allium, Artemisia, Cypressus, Cyminum, Chelidonia, Ruta, canis, rosmarinus, amygdalus, Chamomilla, nitrum, nux, odor, pediculi, pectinatio, sinapis, zizania, terebinthus.

De Centaurea. Cap. LXX.

CEntaurea herba est amarissima, cuius succus melli mixtus uisum clarificat, inflationes sedat, morsus uenenosos curat, & contra Anthracem apostema mortiferum iuuat, eiusq; uentositatem & furiam, ne se ad meliora mēbra diffundat, refrænat. Est enim calida & sicca in secundo gradu, & uim habet diureticam, aperitiuā & diuisiuam, uim cōglutinandi. Dolorem uentris sedat uisum clarificat, renes et splenē deoppilat, Paralysin curat, uermes uētris potata cum melle mixta necat. radix eius uulnera consolidat. Plus ualent flores & folia eius ad medicinam, quàm residuum ex ea. quære in dict. apostema.

De Coruscatione. Cap. LXXI.

COruscatio si pluuiam habuerit concomitantem, utilis est pro terræ fructibus. Si uero pluuia caruerit, tenellis floribus atq; fructibus est nociua.

De Cerebri passionibus & remedijs. Cap. LXXII.

CIrca passiones cerebri & remedia, omnia quæ de capite dicta, deq; eius remedijs, hic consideranda, hucq; etiam transferenda sunt, quoniā capitis cerebriq; passio ferè idem sunt eademq; habent remedia. Cerebrum quando nimis infrigidatur uel humectatur, uel desiccatur, ualde læditur, & admodum facile, ipsoq; & de ipso læso, totum corpus offenditur, amittitur intellectus sequitur mors. Item homines qui modicum de cerebro habent, modici sunt somni. Cerebrum item hominis naturaliter est frigidum & humidum, & in diuersis hominibus secundum maius & minus. Quare si quis cito recipiat disciplinas, clareq; retineat & facile, signum est quod habet cerebrum molle, clarum & peruium. Si uero tardæ fuerit receptionis, bene tamen diuq; retinet, ac diu memoratur, signum est quod eius cerebrum non sit molle, nec clarum nec peruium, nec multum humidum sed siccum, & sic de alijs qualitatibus. uerbi gratia. Si aliquis fuerit solicitus, mobilis, instabilis, audax, iracundus, signum est quod habet cerebrum calidum. Vbi uero contra se quis habeat, signum est quod habet humidum. Quādo aūt aliquis fuerit piger, obliuiosus, somnolentus, signum est quod eius cerebrum nimis sit humidum. At si fuerit uelox,

Homo eiusq; actiones ex cerebri qualitatibus iudicantur

memoratiuus,ſiue tenacis memoriæ,uigil & modici ſomni, ſignum eſt quod habet cerebrum ſiccum.Si uero cerebrum excedens in humiditate & caliditate, multæ fiunt & fluunt ſuperfluitates, inq; talibus multæ generantur infirmitates. Talibus nocent calida & humida, frigida autẽ & ſicca proſunt. talibus etiam nocet aër Meridionalis, quia calidus eſt. ſeptentrionalis uero competit,quia eſt frigidus. Qui habent cerebrum exceſſiuæ humiditatis cum caliditate,ſunt ſomnolenti,nec multum uigilare poſſunt.tales habent uiſum curtum,nec ſenſus habẽt claros ſeu acutos & uiuaces. Quando uero cum talibus cum caliditate excreſcit ſiccitas,tales ſenſus habent ſatis claros, ſatisq; uigilant, nec tot ſuperfluitates de capite ſeu cerebro emittunt,ſed plus uigilant quàm alij homines.Sũt autem animoſi,uaniloqui,inſtabiles. talibus cito accidit caluitium poſt adoleſcentiã, q̃uis primo pilos habuerint multos. Quando uero cerebrum alicuius excedit in frigiditate cum ſiccitate,tales ſenſus habent claros,& meatus narium mundos à ſuperfluis in iuuentute, tuncq; uix infirmantur.ſed quando ætas protenditur,leui cauſſa debilitantur,& uelociter feſtinat ſenectus in eis. Et hoc cito apparet in capite, quia pili in talibus cito efficiuntur cani. Et ſi fortior fuerit ſiccitas quàm frigiditas, cum canitie cito defluunt & fit caluitium. unde in temporibus citius calueſcunt homines propter humoris paucitatem & ſiccitatem quæ in eis dominãtur,propterq; facilem conuertibilitatem ad naturam frigiditatis Vbi uero fortior fuerit frigiditas, caluities non cito accidit.Quãdo uero excedit frigiditas cum humiditate,profunditas ſomni,& ſenſus eius nõ ſunt clari,multæq; fluunt de naribus ſuperfluitates. & ſi in talibus incendatur frigiditas aut humiditas,paciens incidit in Apoplexiam uel Paralyſin.Contra nimiam infrigidationem cerebri,contraq; rheuma ex cauſa frigida,accipe mane octo uel decem grana de bonis Cubebis, & maſtica inter dentes, ibiq; tene,ut clauſo ore & naribus fumus aſcendat ad cerebrum.Ad idem ualet ſi fruſtum nucis muſcatę teneatur inter dentes & maſticetur.Cerebrum item hoc habet proprium, quod ſequitur motum Lunæ,quia creſcente Luna,cerebri medulla creſcit.deficiente autẽ, in ſubſtantia & uirtute diminuitur. Nam in ſeipſo tunc ſe contrahit et reſtringit,tuncq; ſpiritui animali non ita libere obedit. quod patet in Lunaticis & epilepticis, qui in plenilunio præcipue & amplius paciuntur.

Cerebrum lunæ motum imitatur.

De cerebri paſſionibus uide in dict. abſtinentia, uſq; ad finem. caput, Aloe lignum,myrrha,calamentum,faba,gariophyli, Ruta,carnes, Caſſia, Cardamomum, phlegma,febris cotidiana,roſa, ſternutatio, odor, piper,nardus,ſinapis,uiola,uitis,mentha,apoplexia. De calore & calefactiuis quære in dict.cera, puluis, ſalſedo, ſinapis, pluuia,complexio, febris cotidiana, quartana. De canitie uide in dict.phlegma, oleaſter,ca-

ſter,ca-

ster, caput, capilli, cerebrum.

De Complexione corporis humani. Cap. LXXIIII.

Circa complexionem corporis humani multa sunt consideranda. Frigiditas autem caussa est albedinis, sicut caliditas nigredinis & ruboris, ideo calidis in regionibus homines nascuntur nigri, ut in Mauritania & in Aethiopia. In frigidis uero regionibus homines nascuntur albi, ut in Anglia. huiusq; caussa est, quia ex dominio in frigidis regionibus matrices mulierum prægnantium ad fœtum album procreandum disponuntur, unde secundum cutē albos procreant filios et longos, flauos ac molles carne, laxosq; prolixos habentes crines. In illis ergo hominibus quorum in complexione frigiditas dominatur, est color albus, capilli molles & laxi, intellectus durus, appetitus paruus, somnus multus, incessus grauis & tardus. Non autem sunt illa intelligenda inesse omni frigido, sed in comparatione ad complexionem in qua dominatur in proportione regionis calidæ ad regionem frigidam. Corpora item in quibus prædominatur calor & humor temperatus, & generaliter, sunt altiora & longiora, etiam graciliora quàm illa in quibus existente humiditate multa, & dominante calore paruo, & remissius operante, caussa contraria inuenitur. Et ideo homines cholerici qui calidi sunt, obediente humore substantiali actioni caloris, sunt alijs scilicet phlegmaticis leuiores, & in omnibus corporis extremitatibus alijsq; partibus, concurrentibus alijs circunstantijs hinc inde æqualiter in gracilitate & longitudine aptiores. Superciliorum quoq; uarietas diuersos hominum mores, cōplexionesq; designat & significat Quando enim supercilia alicui recta sicut lineæ, fœmineam prætendunt molliciem, ac animi leuitatem. Supercilia autem demissa & nimis compressa uel depressa, inuidiā significāt. Supercilia eleuata & in pilis spissa, animositatem, depauperata uero pilis & oblonga, timiditatem significāt Item si fuerint spissa, & pili longi, quasi uisum quodammodo obumbrātia, caloris excessum signant. Si uero multæ fuerint carnes, & paucæ pilositatis, sensum significant durum & obtusum, & frigiditatem in membris principalibus dominantem. Vbi uero pilis fuerint spoliata, interiorem significat corruptionem, ut patet in leprosis. uel naturalis humoris innuit consumptionem, ut liquet in hecticis & similibus. significat etiam meatuum & uiarum humorum oppilationem, ut patet in crassatis. Item in nimis frequentantibus coitum, superciliorum cadunt capilli uel albescunt, quod propter humiditatis augmentationem accidit. Nam nimia siccitas caluiciem generat, superhabundans humiditas caniciem. Diuersitas etiam frontis capitis, diuersitatem morum hominum significat. Si

enim frons fuerit magna, animum significat ponderosum, declinantem ad stulticiam. Si uero non fuerit nimis magna, nec nimis parua, sed inter magnum & paruum media, uirtutis bonitatem significat. Sed quando nimis eleuatur, quasiq; in superficie rotundatur, excessum significat cholerae & furoris, talesq; frequenter ad Colicas dispositi sunt passiones, ut ad phrenesim & furorem. Nimia autem in fronte carnositas quadam cum elucentia & cutis extensione, signum est interioris corruptionis, ut patet in leprosis. Item frontis attenuatio, frontisq; superficialis corrugatio, interiorem designat cerebri defectum, & humoris substantialis finalem corruptionem & consumptionem, ut patet in antiquis senibus, hecticis, uel morbo longissimo tempore consumptis. ideo consumptis carnibus manuum pellis rugatur, quod in senibus patet hecticis. Item quando homo aures habet nimis magnas, signū est stoliditatis & tarditatis intellectus teste Aristot. Ex dispositione item narium, morum cognoscitur diuersitas. nam si nares nimium fuerint tenues uel multum latae, multi aëris attractiuae, sicut communiter in illis apparet, qui nasum habent curtum & obtusum, animi ferocitatem significat, mentem indignantem, & iracundiam. Ex dispositionibus enim membrorum corporis prognostica sumuntur inditia de mentis affectionibus, ut refert Aristoteles in principio physionomiae. Nam accidentia mentis saepe immutantur secundum accidentia corporis, sicut uinum album ex uitro rubeo cui infunditur, colorem attrahit & ruborem. & uinum recipit saporem uasis in quo ponitur. Ideo dispositionis mediocritas in membris, bonitatis designat mediocritatem. Nares sua in dispositione immutātur propter uehementiam immoderati caloris humiditatem naturalem consumentis. ex tali enim excessiuo immoderatoq; calore nares acuuntur, & profundantur oculi in febribus acutis, quod signum est mortis. Idem in naribus accidit quādo calor naturalis est ita debilis, quod se ad extrema expandere non potest. tunc extrema consumuntur, quia spiritus & sanguis ad extrema tunc non cōcurrunt, ideo propter frigiditatem mortificantē constringuntur membra suis in extremitatibus & coartantur, & inde narium acumen accidit, quod in acutis febribus pessimū signum est, atq; adeo mortis. Idem exemplum patet in hecticis, in quibus quando nares acuuntur, signum est quod in illis calor sit debilis, & humidum consumēs, tuncq; signū est quod infirmitas sit incurabilis. Est etiā sciendū quod quamuis interdum paciantur ex superhabundanti sanguinis acumine ora uenarū nariū aperientur, ex quo sanguis interdū de naribus fluit. Tamen fluxus sanguinis per nares in multis aegritudinibus caussa est dissolutionis et curationis morbi, certumq; inditiū cōualescētię et salutis

ut in

ut in acutis patet febribus, quæ per fluxum sanguinis narium, etiã absq; alio sudore curantur. Ex genis etiam diuersæ hominum complexiones perpendi possunt. quia si fuerint rubicundæ, mixtæ cum temperata albedine, & in substantia nõ nimis crassæ, sed mediocriter carnosæ, calidam & humidam, siue sanguineam significant complexionem, & ipsius complexionis temperamentum. Si uero in colore fuerint albidæ sine alicuius rubedinis admixtione, & in substantia pingues, molles & fluidæ, frigiditatis & humiditatis designant excessum, ut patet in phlegmaticis. Si autẽ in colore fuerint fuscæ aut citrinæ, in substantia uero tenues & macilentæ, dominium designãt nimiæ siccitatis & caloris, ut patet in Cholericis. Si uero in colore fuerint quasi liuidæ, & in substãtia à carnibus depauperatæ, siccitatis & frigiditatis significant excessum. quod manifestum fit in Melãcholicis. Et non solum genæ complexionum diuersitatem significant et indicant, uerum etiam affectionum animi uarietatem. Nam animi affectiones subito ex timore aut uerecundia pallescunt & rubescunt. Quia etiam ut uisum est, naturaliter alias habent animi affectiones sanguinei, qui hylares sunt & iocundi. alias cholerici, qui sunt iracũdi. alias phlegmatici. alias melancholici, ut patuit & adhuc patebit proprijs in uocabulis & capitulis. ita per genas etiam habemus iuditium de affectionum diuersitate. Item si capitis forma tẽperate fuerit magna, cer uix aliquantulum grossa, bonitatem significat complexionis & dispositionis, teste Constant. Si uero caput fuerit paruum, & collum magnum quantitati capitis non proportionatum, habundantiam materiæ superfluam designat, & uirtutis informatiuæ defectum, taleq; caput aurium dolore aliquantulum infirmatur. Ex collo etiam diuersis in animalibus cordis dispositio accipitur, maxime in equo, qui magna ex parte secundum colli erectionem & spissitudinem, eiusq; extensionem pulcher æstimatur & animosus. Homines item qui pectus habent latum, aliquantulum à dextris & sinistris eleuatum respectu medij, hoc signum est animositatis et uirtutis. Sciendũ est item quod uirtus et cõplexio cordis per hæc signa ostenditur. per magnitudinem scilicet respirationis, per pulsus uelocitatem & frequentiam, per uirilitatem & festinantiam in actionibus, per iram, audatiam & furorem, per pectoris amplitudinem & pilositatem, hæc enim omnia calorem in corde significant dominantem. Communia uero signa prædictis contraria, cordis contrariã designant dispositionem, & defectum dominantis caloris. quære in dict. pulsus. Item si cor fuerit nimis frigidum & humidum, pulsus erit mollis, eritq; homo sua priuatus uirilitate & audatia, timidusq; atq; piger, & non habebit pilos in pectore, propter paucitatem fumosi uaporis de quo pili generantur. Si uero cor fuerit nimis frigidum et siccum, pulsum faciet

Hominum complexiones ex genis cõgnoscuntur.

Complexionum uariæ affectiones.

Signa uirtutis ipsius cordis.

aſperũ,durũ,atq; paruũ, reſpiratio quoq; aëris in eo erit tarda & rara, maxime ſi pectus paruum fuerit atq; ſtrictum. Itẽ quando cor eſt forte,habetq; mẽbra ſibi obedientia,bene dilatando & cõſtringendo ſe habentia,fortis à corde procedit reſpiratio,fortis pulſus, fortis euaporatio ſecundum bonitatem organi & uirtutis. Quando uero uirtus eſt debilis & remiſſa,non poteſt extendere arterias in omnes dimenſiones,quare minor ſequitur reſpiratio,minorq; pulſus. Cor autem habet unum caput magis acutum quàm aliud. Pars acuta ſiue caput acutum eſt uerſus ſiniſtram partem,ut ipſius calore frigiditas ſiniſtræ partis temperetur.Et quia in hac parte cordis acuta plus uigent, & inhabitat ſpiritus uitalis,ideo in ſiniſtro brachio pulſus inuenitur fortiſſimus. Item quando locus circa oculos eſt multæ carnis, & ſupercilia aliaq; loca circa oculos, malitiam deſignat diſpoſitionis,aſtutiam quoq; & malitiam mentis,informatiuæq; uirtutis defectũ.Proinde ſi ſit caro uel maſſa carnea multa nimis,& uirtus informatiua debilis, monſtruoſas in corde generat paſſiones.quare Ariſtot.exemplum ponit de muliere quę ſe credidit concepiſſe fœtum,& tandem peperit maſſam carnis quæ mola nuncupatur. Eſt autem ſciendum quod pinguedo aliquando in corporibus generatur ex ſanguine indigeſto,maxime propter motus paruitatem & exercitij, quantoq; plus augmentatur pinguedo, tanto amplius diminuitur ſanguis. unde in hominibus ualde craſſis ſiue pinguibus, parum eſt de ſanguine.Pinguia nanq; corpora,et nimio adipe repleta,ut ait Conſtãt. peſſima ſunt, peſſimis etiam infirmitatibus propinqua, quia in talibus naturalis calor ſæpius ſuffocatur, & uia ſpirituum oppilatione pinguedinis intercluditur ad regimen neruorum, & ſpirituum influentia denegatur membris. Hinc eſt quod corpora pinguia propter humorum habundantiam in eis adunatam, prolixiorem incurrũt infirmitatem ac curam tardiorem.Nam pinguedinis pondere preſſa, ad nullum ſe mouent exercitium quo calor naturalis augeatur. unde & naturalis calor deficit,& mors ſubita ſequitur, niſi talibus remedio prouideatur. Idcirco pinguedo ſua unctuoſitate ignis eſt nutritiua, aërea leuitate rei ſuperficiem petens,neruorum & iuncturarum mitigatiua,diſtenſiua & laxatiua,pellis ſiue corij emollitiua,pororum inferiorum oppilatiua,caloris reſeruatiua,uacuitatis & concauitatis corporis repletiua. rugarum cutis extenſiua,uenarum & arteriarum corporis compreſſiua, actionum animæ,ſenſus & rationis impeditiua,cõplementi generationis hominũ retardatiua. unde inquit Hippocrates, quod mulier nimis pinguis non concipit ſi non macreſcat.nec mirum, quia pinguedo quæ eſt in carnibus uiam matricis includit.Pinguedo non ſiccatur,nec facile congelatur unde Ariſt. inquit,brodium animalis habundantis in pinguedine,non

Mola caro informis & inanima in utero mulieris gignitur.

Pinguedinis natura & proprietas.

coagulatur

coagulatur ſicut equi & porci. Sciendũ eſt item quod in terra Aquilonari homines ſunt communiter proceræ ſtaturæ et elegantis formæ. frigiditate enim exterioris aëris pori clauduntur, & calor naturalis retinetur intrinſecus, cuius ex uirtute corporis ſtatura elongatur dilataturq;, & figura corporis decoratur. Ventus Auſtralis quia calidus & humidus, terram quã continue perflat, turbat, calefacit, inſpiſſat & ingroſſat, ideoq; Auſtrinæ regionis homines ſtaturæ & figuræ ſunt contrariæ illis qui in Aquilone habitant. nam Auſtralium regionum homines non ita ſunt animoſi, iracundi, clamoroſi, ſicut Aquilonares ut refert Conſtant. Eſt etiam ſciendum quod in quibuſdam inſulis Hyberniæ, mortuorum corpora non putreſcunt. Ibidem quoq; alia parua inſula, in qua homines quantumcunq; ſenes non moriuntur, ſed ubi nimiũ ſenuerint extra inſulam portantur, ibiq́ue moriuntur. Sunt item homines dicti Pigmei, quorum quantitas uix eſt bicubitalis, equitant arietes, pugnant contra grues. iſti quarto in anno generant, ſeptimo uero ſeneſcunt. Secundum cœli diuerſitatem (ut inquit Iſidorus lib. ix.) facies hominum & colores, quantitates corporum, & animorum diuerſitates exiſtunt. hinc eſt quod Rhomanos graues, Africos uerſipelles, Gallos natura feroces, & ingenio acriores præuidemus, quod utiq; natura climatum uarient naturaliter. Diuina tamen gratia, & modus nutriendi, & ſapientia infuſa uel acqſita tali naturæ præualet, naturaleſq; mores mutat in meliores. ideo Ptolemæus magnus ille aſtrologus dicit, Homo ſapiens dominabitur aſtris. De hominum cõplexionibus quære in dict. cholera, phlegma, febris, dulcia, melancholia, ſanguis uel ſanguinei. De confortatiuis in dict. crocus, ſternutatio, cor, reſumptio, nutritiua, thus. De cõſtrictiuis in dict. conſtipatiua, reſtrictiua, febris cotidiana, roſa, oleaſter, ſternutatio, ſalix, thus, maſtix.

Hybernia.

Pigmei.

De Coriandro. Cap. LXXIIII

Coriandrum in aceto bullitum & exiccatum, ſi cum pulmẽto aut aliјs cibis ſumatur, & poſt comeſtionem, orificium ſtomachi corroborat & moderate claudit, fumos à ſtomacho ad cerebrum aſcendere prohibet, aures à tinnitu, oculos à caligine, palatum à rheumate, gingiuas à putredine, mãdibulam à tumore, guttur ab Angina præſeruat. appetitum uiuificat uſq; ad perfectam digeſtionem, cibum in ſtomacho retinet, intra ſtomachum ipſum putreſcere nõ permittit, lumbricos generari prohibet. uenenis omnibus reſiſtit, à uapore uenenoſo ſpiritualia membra protegit, pungitiuis humoribus fluentibus efficaciter obuiat, corporis pinguedinem nunquã ſinit, tritum in uino dulci datum ad luxuriam commouet. Si nimis iſta

Coriandri uires & iuuamenta.

herba seu istud semen frequentaretur, grauem cerebri passionem induceret. Si semen cum herba de qua nascitur canibus detur, ipsos interficit. Si in cibo assumatur est calefactiuum & constrictiuum. Somnum prouocat, lumbricos in uentre, si cũ uino tritũ bibatur interficit. odor eius tineas à panno fugat. De cõsolidatiuis quære in dict. porrum, thus, salix.

De Chelidonia. Cap. LXXV.

CHelidonia multas habet uirtutes. Si quis pullos excæcauerit hirundinis, uel eorũ oculos læserit, hirundo statim herbam quærit Chelidoniam, eiusq; succo pullorum suorum oculos linit, & sic eorum oculi pristinæ sanitati restituunt. In utero uero hirundinis duo inueniuntur lapilli, quorum unus albus, et dicitur fœmineus. alter rubeus & dicitur masculus, quia maioris uirtutis est quàm albus. Isti lapilli dicuntur Chelidonij, suntq; preciosi maxime quando de hirundinis pullo extrahuntur antequàm terram tangat. Sanguis hirundinis sub dextra ala extractus, oculis medetur sicut sanguis columbæ. Fimus hirundinis ualde calidus est & uritiuus, corrosiuusq;, ideo oculis est nociuus. Vnde Tob. hirundinis fimo est excæcatus. De Chelidonia & hirundine quære in dict. anhelitus, hirundo.

Chelidonij in hirũdinum uentribus reperiuntur.

De Chamomilla herba. Cap. LXXVI.

CHamomilla herba est multas habens hastulas graciles, parum super terram eleuatas, florem habet rotundum, cuius grana in medio sunt coloris aurei, paruis circundata folijs albis in modum coronæ. Herba est boni odoris, uimq; habet confortandi neruos, aperiendi poros si in aqua ponatur calida, et inde fiat balneum. Valde prodest hecticis & cõsumptis si cum tali aqua in qua sunt flores illi positi, pedes, caput, tibiæ lauentur et confricentur. multum confortat caput, neruos & totum corpus. Idem facit Chamomillæ oleum, siquidem neruos contractos, spasmaticos, induratos mollificat & distendit. uide in dict. Febris cotidiana, balneum, ablutio, paralysis, cerebrum.

Chamomillæ eiusq; olei uires & iuuamenta.

De conseruatione carnium crudarum ne putrescant. Cap. LXXVII.

DE conseruatione carnium crudarum uel coctarum, uel defunctorum corporum ne putrescãt, sciendum est quod ad talia à putredine conseruanda ualet Balsamum, Myrrha, si cum istis talia inungantur. Sciendum quoq; est quod frigiditas temperata uitæ est & rei conseruatiua, quia dum per frigiditatem humiditas

humiditas condenſatur, caliditatis intenſio & actio retardatur. Vnde ſicut paulatim humiditas per poros exhalat & reſoluit, ita reſoluta paulatim conſumitur. & ne calor rei diſſoluat ſubſtantiã, impedit; & res ne fœteat, frigiditatis beneficio cuſtodit. proinde frigidis in locis & antroſis cadauera paulatim ſine fœtore frigiditate cõſumuntur. Clauduntur & pori frigiditate conſtringente, unde uapores putredine exhalante exterius ad interiora reprimuntur. Expertum eſt etiam quod ſi pullus coctus uel aliæ carnes, aut piſces inungantur in aqua ardenti, & poſteã inuoluant in aliquo panno lineo in illa aqua bene madefacto, per duos menſes uel amplius absq; putredine cõſeruantur, maxime ſi in loco frigido ponantur. quære in dict. anhelitus, amara, balſamũ, myrrha, aquã ardens.

De Carnibus. Cap. LXXVIII.

SI. carnes uel piſces nimis ſalſæ fuerint, atq; inde nimiam ſalſedinem extrahere uelis, & ad temperantiã reducere, eas in aqua ſalſa pone. nec ſalſedo á carnibus uel piſcibus melius extrahetur, quàm ſi portio carnium uel piſcium in aqua ſalſa, non in illa in qua primo fuit, ſed in alia ponatur, & ibi aliquo tempore temperetur. Et hoc forte accidit ratione ſimilitudinis, qua aqua ſalſa, quæ ratione caloris naturalis & accidentalis in ipſa dominãtis, attrahit ſibi ſimile quod inuenit in ſubſtantia carnis ſalſæ. Ideo ſal in igne induratur, in aqua uero ſoluitur & anihilatur. nec mirum, nam ſi congelatio & induratio facta eſt per ſiccitatem, neceſſe eſt ut talis diſſolutio fiat per humiditatem, ſicut patet in ſepo, in quo congelatio fit & induratio per frigiditatem, & fit reſolutio per caliditatẽ, idcirco candela de ſepo calore conſumitur. Carnes item galli gallinacei ſiue caponis laudabiliores ſunt ad comedendum, & melius generant nutrimentum inter omnia uolatilia, melioremq; ſanguinem. Caponum etiam cerebrum melius eſt ad comedendum & utilius quàm cerebrum cuiuſcunq; auis. Sciendum eſt item quod carnes iuxta oſſa & eis uicinæ ſapidiores ſunt magisq; nutritiuæ, quoniam oſſa plena ſunt medullis, ideo carnes propinquiores illis medullis uberius irrigantur. Quia etiam oſſa ſua de natura melãcholica ſunt, id eſt frigida. caro uero ſui ex natura dulcis eſt & ſanguinea. & ita in illis carnibus uicinis ſapor ponticus, penetratiuus & tẽporatus, quadam ex mixtione dulcedinis & ponticitatis, propter quod eſt ſapor magis delectans guſtũ. Ob id caro etiam ceruina iucundi eſt ſaporis, ſimul & bouina, quia in eo eſt coniunctio ac commixtio ponticitatis ex complexione melancholica animalis, & dulcedo ex parte car-

nis. Cōtrarium fit de Abſinthio & Fumo terræ, quia quando aliquod dulce cum eis aſſociatur, uel Aloe, uel zaccarum, magis guſtū contriſtāt Item ponticus ſapor habet naturam, quia fit ex frigiditate & ſiccitate, quod linguæ appoſitum conſtringit, & ſubintrans poros cōdenſat, unde uim habet reſtrictiuam. Habet autem ſapor ponticus hoc propriū, quia cum alio ſapore coniunctus, uel ſaporoſo delectante, guſtum magis delectat. & potus cum triſtante magis cōtriſtat. Ratio huius eſt, quia ponticitas rei dulci uel unctuoſæ adiuncta, ſi poros ingrediatur, illā dulcedinem ibi diutius facit commorari, & ita firmius imprimitur guſtui, illius rei dulcis guſtus iudicat illud ponticum eſſe dulce. Pontica item appetitum excitant, & quamuis ante prandium reſtringant, poſt prandium tamen laxant, cuius ratio eſt compreſſio cibariorum ad inferiorē partem ſtomachi ad modum torcularis. ante prandium conſtipāt, quia neruos conſtringunt, & meatus oppilant groſſicie ſubſtantiæ, frigiditatis item & ſiccitatis qualitate. ideoq; ſumpta cibaria retinent, & non permittunt exire. unde ſua groſſicie ſplenē & hepar oppilant, calculum generant, Colicam & Iliacam paſſionem excitant, ſpiritualia membra lædunt & grauant, exterius poſita, uomitum & calidos tumores reſtringunt, atq; etiam ſanguinis fluxum, neruos percutiunt, dentes exacerbāt, quod in agreſta patet, & non maturis fructibus. De carnibus item quæ ſint ad comedendum meliores, quære in dict. animalia, aries, ouis, remedia, hœdus, cibus, lepra, conſeruatio, nutrimentum, brodium, alimentū. De corroſiuis in dict. puluis, puer, ſal, urina, oleaſter, myrrha, piſcis, plumbum, acetum. De conſtipatiuis in dict. conſtrictiua, roſa, zaccarum roſaceum, aqua, medicina, minutio, morus, triticum.

De Caluitie. Cap. LXXIX.

NImia ſiccitas, & naturalis humoris defectus, caluiciem generat. Siccitas enim quando debitam in corpore proportionem excedit, peſſimas generat paſſiones, Hecticā & Phthiſin, tales medicinæ beneficio curari uix poſſunt. Per nutrimentalis inſuper conſumptionem corpus exiccat, cutis ſuperficiem contrahit & corrugat, ſenium accelerat, corporis uel uultus ſuperficiem diſcolorat & deformat, ſitim immoderatam prouocat, arterias exaſperat, uocemq; impedit & raucificat, caput capillis ſpoliat ac decaluat, manuum & pedum articulos contrahit & incuruat, ut pateſcit in leproſis. de caluiciei cauſſa in dict. canicies, alopetia, capilli, cerebrum, complexio, pili. De conſumptiuis in dict. ſal, aqua, ſinapis.

De Capillis. Cap. LXXX.

Capilli

CApilli, ut refert Conſtant. ex fumo generantur groſſo & calido, qui ex igneis & inſenſibilibus humoribus per capitis poros egrediuntur, & ab externo aëre deſiccantur, ſicq; in capilli ſubſtantiam conuertuntur. Iſto humore creſcente, creſcunt capilli, quia ab ipſo & ex ipſo generati & nutriti. iſtius fumi materiam qui perdiderit, capillos amittit. Per qualitatem itaq; fumi, & ſecundum eius conditionem, uarius in capillis color cauſſatur. quia ſi fumus eſt niger, capilli nigri erunt. ſic de alijs coloribus. Et ſi fumus paucus, pauci erunt capilli. & ſecundum quod fumus ille deficiet, deficient capilli, fietq; caluus, quando capilli ulterius creſcere non poſſunt. talibus medicina ſubuenire non poteſt. Si tamen caluitium ante ſenectutem nimio ex calore, aliaúe ex cauſſa euenerit, capilli nonnunquam recreſcunt ad iſtud ualet ſi tale caluitium cum pinguedine Taxi decocti inũgatur fortiter & frequenter locus ipſe. Si autem non ex ſenectute ſed ex alia infirmitate capilli defluant, proprie non eſt caluitiũ, ſed infirmitas quædam dicta Alopetia, qua ex infirmitate corrupto capillorum nutrimẽto cadunt pili. de quo in dict. caput, complexio. — *Capillorũ generatio*

De Canitie. Cap. LXXXI.

CAnities ſecundum autores accidit ex humorum nutrimentalium nimia infrigidatione, nam dominium phlegmatis frigidi & humidi, caluicei eſt generatiuum. Ex fumo autẽ albo & frigido, tam pili quàm capilli efficiuntur albi. Temporum uero capilli citius caneſcũt, teſte Ariſtot. quàm alij crines, hocq; propter humorum paucitatem, & oſſium ibi conſiſtentium prædominantem frigiditatem. Canities itaq; ſenibus ineſt propter frigiditatem & caloris defectum. Caluitium autem eſt amiſſio & priuatio capillorum ex defectu fumi humidi in anteriori capitis parte proueniens. Fit autem aliquando propter abſtinentiam cibi & defectum fumi humidi, qui eſt materia capillorum. In illis etiam qui frequenter coeunt, capilli fluunt, & caluitium inducitur. Si autem in iuuentute fluant, iterum oriuntur. Si uero in ſenectute fluant, amplius non creſcunt. idq; aliquando accidere ſolet propter nimiã cutis raritatem, uel propter humoris paucitatem. In poſteriori autem capitis parte capilli non fluunt ſicut in anteriori, propter cutis ſpiſſitudinem; ac pororum diuerſitatem, & propter humoris ibi exiſtentis uiſcoſitatem, humoriſq; habundantiam, ex quo capilli generantur. Vnde Galenus ſuper Aphoriſmos, Pueri & mulieres non calueſcunt propter humiditatis habundantiam in eorum capitibus. ſimiliter nec caſtrati ſiue ſpadones, propter alterationem complexionis eorum, & dominantẽ frigiditatis qualitatem, quæ poros cutis — *Canitiei ortus.*

cutis capitis constringit, & fumum coadunat, nec permittit exire. alij tamen pili in mulieribus & spadonibus defluũt. Item pili barbæ sicut capilli capitis sua ex dispositione uaporis qualitatem repræsentant, uel pinguis humoris ex quo generantur. quoniam si humor fuerit fumosus, calidus & siccus, erunt barbæ pili sicut capilli capitis crispi, in se reflexi & inuoluti, hocq; accidit quod per uias uadunt contrarias. siquidem pars terrestris ad partes mouetur inferiores, & calor mouet partes subtiliores ad partes superiores, sicq; pili inuoluuntur, fiuntq; crispi propter suã debilitatẽ, quod contingit propter humorum debilitatem seu paucitatẽ, multitudinemq; partis terrestris. unde in extenso calore pili corrugantur & inuoluuntur. Si uero uapor fuerit fumosus, multum humidus, erunt pili leues & longi. nam humor lubrificando decurrit donec ad pilos perueniat. Color item pilorum alteratur secundum ætatis uarietatem, ideo barba in senectute canescit propter caloris debilitatem, & humoris augmentationem, ut in spadonibus. Quandoq; ex corrugatione humorum, ut patet in leprosis. nam, ut dicit Aristot. capillorum casus similis est fluxui foliorum arborum, & istius caussa est diminutio humoris calidi & pinguis, ideo arborum folia in quibus humor pinguis est & unctuosus non fluunt. De caussa fluxus capillorum quære in dict. lepra, alopetia. Constantinus item dicit quod sanguis Vespertilionis super palpebras linitus pilos recrescere non sinit, & hoc ideo quia sua frigiditate poros oppilat, quibus oppilatis non crescunt. Item color in pilis seu capillis uariatur, nam secundũ humorum qualitatem à corpore resolutorũ uariatur color capillorum. quippe ex phlegmate sunt albi, ex sanguine rubei, ex naturali melancholia blauei, ex adusta cholera fiunt nigri. ex defectu etiam caloris naturalis fiunt albi seu cani, ut patet in senibus. Et quando canus color incipit in radicibus capillorũ, à phlegmate accidit habundante. Cum uero ab extremis incipit, signum est quod accidit ex defectu caloris naturalis. quære in dict. calx, carduus, castanea, lilium, myrtus, alopetia, absynthium, buxus, caput, complexio, color, phlegma, mus, morus, nux, oleaster, sinapis. De consolidatiuis in dict. salix. De neruorum contractione in dict. nerui, gutta.

Alteratio coloris pilorum accidit secundum ætatis progressum.

De Cholera & cholericis. Cap. LXXXII.

CHolera unus est de quattuor principalibus corporis humoribus, correspondens æstati. Est enim calida & sicca sicut æstas. unde tẽpore æstiuo propter calorem & siccitatem temporis æstiualis nimis intenditur, cuius ex intensione ultra debitum multæ generantur infirmitates. Item cholerici semper maxime in æstate cauere debent plurimum ab illis quibus cholera inflammatur, qualia sunt uinum forte, acetum,

porrum,

porrum,cepæ,allia,piper,omnia ſalſa,& breuiter ab omnibus acutis calidisq;. Præcipue autem cauere debent tempore æſtiuo, & bibere debēt uinum acerbum uel tenue,aut multum lymphatum,uti frigidis & humidis tēperate,& lactucis,cucumeribus,cucurbitis,ſero caprino & ſimilib. Cholericis etiam fructus crudi non competunt, nam humor cholericus terminos in caliditate & ſiccitate excedens, peſſimas inducit paſſiones, & febres,diſponit ad Phreneſim.inducit etiam interdum,Noli me tangere,Eryſipelam & ſimilia. Humor autem cholericus naturalis eſt excedens naturæ caliditatis et ſiccitatis,aliorum humorum ſubtiliatiuus,digeſtionis confortatiuus.fecis & putredinis mundificatiuus,dimenſionū corporis longitudinis & altitudinis diſtenſiuus. animoſitatis & audaciæ generatiuus,mobilitatis leuitatisq; effectiuus,ad iram & appetitum uindictæ excitatiuus,uenerei appetitus prouocatiuus, uirtutis expulſiuæ adiuuatiuus, materiæ groſſæ attenuatiuus, ſecundū ſuum colorem ſiue ſecundum ſuam citrinitatem uel nigredinē ſuperficiei faciei & corporis coloratiuus,colorisq; mutatiuus. Vnde cholerici generaliter ſolēt eſſe animo iracūdi,immāſueti,leues,inſtabiles,impetuoſi,corpore proceri,macilenti,colore fuſci,crinibus nigri ac criſpi, pilis hiſpidi & hirſuti, tactu calidi,uelocis & fortis pulſus. Eorum urina in ſubſtantia tenuis eſt & ſubtilis,in colore ignea,rutilans & clara. Si autem cholera aliqua in parte corporis fuerit corrupta,multas generat paſſiones.Signa uero corruptionis choleræ ſunt iſta.Si enim corpori dominetur cholera,corrupta erit,cutis glauca uel citrina,defectus erit appetitiuæ uirtutis,in ore ſentitur amaritudo, ita quòd dulcia uidentur amara, ſapida inſipida, punctura & ardor in ſtomacho ex fumo calido neruos pungente ſtomachi & mordificante,abominatio cum uomitu cholerico,linguæ ineſt cum ſiti ſiccitas ex fumo cholerico, tracheam arteriam deſiccantem, & humorem ſaliualem circa neruos linguæ conſumentem, oculorum con cauitas cum humido aſpectu,pulſus ſubtilis,uelox & ſpiſſus, urina rubea & incenſa.dolor capitis grauis,uigilia & mentis alienatio,horribiles in ſomnis uiſiones. Tales enim ſomniant de igne, ſulphure, & ſtupenda aëris inflammatione,quod fit ex fumo cholerico rubeo aſcendēte ad cerebrum,immutante imaginatiuam, & mouente phantaſmata. Cholera item ex parte corporis diſponit ad longitudinem & gracilitatem ratione caloris & ſiccitatis.ſed hoc in iuuentute.nam ex ſenectute, ex calore conſumente,& ſiccitate contrahente diſponit ad curuitatem. ex parte mentis cholera diſponit ad mobilitatem,animi leuitatē,ad iram, ad animoſitatem. diſponit etiam habilitatem ad ueloces actiones. Quære in dict.zuccarū,dulcia,acetum,complexio,hepar,furor, Fumus terræ, canis,Caſſia fiſtula,dolor,colica,cepa,porrū,mandragora, morus,ebrie-

Noli metangerē apoſtema.

Cholericorum natura & proprietas.

K

tas,piper,ſalſedo,phreneſis,fructus,nux,alimentum, amara, appetitus, agreſta,balauſtia,caput.

De Corallio. Cap. LXXXIII.

Corallius rubeus hanc habet proprietatem. ſi ſuper dolentē ſtomachum directe ſuper doloris locum portetur ſuſpenſus,dolorem ſedat. Quidam dicunt quod fulmini reſiſtat, tempeſtates & fulgura repellat à domo & tecto ubicunq; portetur. Eſt autem quidam albus,quidam rubeus. Rubeus cōtra omnem ſanguinis fluxum maxime ualet,contra Epilepſiam,contra diabolica & uana monſtra,fructus multiplicat,fines et principia negotiorum expedit.

De cordis conditionibus. Cap. LXXXIIII.

Cor eſt principium ſanguinis,à quo ſenſus & motus procedunt ad omnia membra animalis. Cordi multæ accidūt paſſiones.quædam uocatur Cardiaca, quæ idem eſt quod tremor cutis,& diuerſis ex cauſſis accidit. quandoq; ex frigida,quandoq; ex melācholica,quandoq; ex phlegmatica. Talis autem paſſio tremor cordis dicitur,quia ſi manum ſuper cor teneas, non ſenties cor modo debito dilatari,tales interdum ſubito ſuffocantur.parum enim & exiliter,ac cum quodā tremore tali in paſſione ſentitur cor moueri.Talis quoq; paſſio aliquando eſt cum febre lenta, aliquando cum forti,tuncq; maius eſt periculum. Ex defectu etiam cordis nonnunquā accidit Syncopis,& hoc contingit aliquando ex animæ accidentibus,ut ex timore cor nimis conſtringente. Quandoq; ex nimio gaudio uel ira cor nimis dilatante,& ſpiritus exhalante ſeu euaporante uel ſoluēte. Interdum accidit ex corporis accidentibus,ſicut ex mala complexione, ex nimia repletione uel inanitione, ex uenarum oppilatione, & ſpirituum
Syncopis. compreſſione. aliquando ex nimio ſudore.Ex iſta Syncopi multi ſubitaneam mortem incurrunt,oppilata uena concaua,per quam ſanguis et ſpiritus uitalis transfertur ad cor. uel etiam oppilatione meatus per quē pulmo frigidum aërem ſolet recipere,& à ſe fumoſitatem repellere.Quādoq; ex matricis uel ſtomachi nimis repleti compreſſione. In omnibus iſtis periculis ſi humor peccans eſt in cauſſa, per medicinam propriam, illius humoris peccantis euacuatiuam, purgari debet. Talibus dentur illa quæ confortant cor, quæ reparatiua ſunt & reſumptiua ſpirituum. Si iſta paſſio eſt ex nimio fluxu ſanguinis,reſtringatur fluxus appoſitis reſtrictiuis. de his quære in dict.fluxus ſanguinis. Si nimius ſudor in cauſſa fuerit,reprimatur ſudor cum infrigidatiuis.Si procedit ex nimia

ſtomachi

ſtomachi repletione, ſtomachus euacuetur uomitu & abſtinentia. Contra cordis tremorem bona dentur cibaria reſumptiua, capones, gallinæ bona brodia, bonum uinum maturum. dentur etiam electuaria confortatiua, ut diamargariton, & alia electuaria in quibus ponuntur confortatiua, id eſt, margaritæ uel perlæ. Oſſa de corde cerui, aurum, Ambra, lignum Aloes, Spodium, hæc omnia contra cardiacam ualent, & cõtra Syncopim, maxime quando accidit ſine febre, quia ſi tales paſſiones cũ febre accidant, talia non ſunt danda. Item limatura auri cũ ſucco Boraginis & oſſe de corde cerui trito, ualet cõtra ſyncopin. De iſtoc remedio q̃re in dict. caſſia, calamus aromaticus, crocus, gariophyli, cardiaca, aurũ nardus, remedia, Aloe lignũ, tremor mẽbrorũ & cordis. Item ſi quis cor canis ſuper ſe habuerit, à canibus nunꝗ mordebitur. & ſi ad ipſum appropinquauerint, poſtquã ipſum olfecerint, ſtatim ab eo recedent.

Medicinæ contra cordis tremorem.

De Carica ficu. Cap. LXXXV.

CArica ficus eſt ſicca, qua communiter utimur in quadrageſima. De Caricis fertur quod ſi frequenter à ſenibus in cibum ſumantur, prohibent ne rugæ in eorum pelle fiant. Eſt autem fructus dulcis, ad cibum & medicinam utilis, multũ nutrit & impinguat. ſanguinem multum & groſſum generat, debileſq́ confortat. In uia medicinæ pectus mundificant, Tuſſim ſedant, uocem clarificant, faucium tumorem mitigant, renes, ueſicam, & matricẽ purgant. coctæ in uino cum Abſinthio hydropicos curant, tritæ cum ſinapi aurium pruriginem purgant. tamen ſi nimis frequenter comedãtur, inflationem & uentoſitatem generant. quære in dict. ficus.

De felle canis, deq́ rabidi canis ueneno, aliorumq́ animalium uenenoſorum. Cap. LXXXVI.

ACcipe fel canis, lignum ſalicis putrefactum, uermiculũ qui uocatur Noctiluca, quę omnia ſimul tere et diſtempera cũ ouorum albugine, cũ illa mixtura ſcribe, uel fac imaginẽ in pariete, abſcondetur ante ortũ ſolis, tũc poſt occaſum ſolis apparere incipiet. Quædam animalia linguas habẽt mortiferas propter maliciam & humoris fumoſitatem in eis dominantis, ſicut lingua ſerpẽtis & rabidi canis, cuius morſus eſt ſumme uenenoſus, cuius etiam lingua extra os ſemper apparet, & continue ſaliuam deſtillat, ſiue humorẽ uenenoſum. aquã in quam cadit intoxicat, de qua qui biberit rabioſus efficiet, teſte Auicenna. unde et ſerpentes linguã habẽt nigram, uel liuidã uel ſubrufam, ſecundũ ueneni qualitatẽ, & quaſi in cõtinuo motu propt̃ humorẽ furioſum et uenenoſum. q̃re in dict. aſpis. Canis aũt frigidus eſt

& ſiccus, in quo cholera nigra dominat̃, quę corrupta & putrefacta, & dominans corpori canis, canē facit rabioſum. Si aūt canis rabidus aliū canem uel hominem momorderit, ipſum rabioſum facit. tale uenenum nimis eſt periculoſum. Aliquando ei latet uſq; ad anni reuolutionem, tuncq; eadem die & hora qua uenenum morſu canis infuſum eſt, ad caput aſcendit, & Phreneſim ſeu rabiem generat. Illud uenenum rabioſum alij canes quodam naturæ inſtinctu percipiunt & fugiunt. Iſta autem rabies accidit à canibus maxime in autumno & uere. Illi uero qui à rabido cane morſi ſunt, in ſomnis uident terribilia, & ſunt tumoroſi, ſtupidi, ſine cauſſa iraſcuntur, & ab alijs uideri timent. ſuper omnia timent aquam. De canis rabidi ueneno, aliorumq; animalium uenenatorum generaliter ſciendum. Omne uenenum corpus humanum totum deſtruit. Primo autem ipſum cor, quod uitæ eſt principium, aggreditur nunc corpus congelat, nunc inflāmat, & infinitis modis alterat & uaſtat proinde nūc pallet, nūc nigreſcit, nūc lucet. Eſt autem periculoſum corpora ueneno infecta tangere, & propè illa ſtare, quia per euaporationem tangentes, circumſtantesq; inficiuntur, deq; uapore qui talibus à corporibus reſoluitur, aër inficitur. Sed quia uenenum ſub aliquo, uel cum aliquo dulci & ſaporoſo mixtum, à malignis datur, ideo qui uenenum timent, non ſolum à fœtidis & corruptis cauere debent, uerum etiam à dulcibus & bonis cibis, potibusq; pręcauere debent. Docet autem Conſtant. cognoſcere quando uenenum in cibis uel in potibus aſſumptum eſt. Siquis uero in cibo uel potu arſuram ſenſerit, & ſpaſmus cito ſubſecutus fuerit, ſeu membrorum ſtupor, uel neruorū, uel tumor in digito, aut in ungula, uenenoſum eſt et mortale, ex quo etiam apparet ueneni ſignum in digitis & unguibus, qui ex cordis fiunt fumoſitatibus quod inditio eſſe debet uenenū circa interiora iam prævaluiſſe, ex quo iam ſe ad corporis exteriora diffudit. Similiter Conſtantinus dicit. Si oſcitauerit, ſaliuam de ore effluere fecerit, & labia formicauerit, ad medicinam ſtatim recurrere oportet, alioquin cito morietur. Eſt itaq; generalis medicina contra uenenum intra corpus ſumptum, ut primo uomitus prouocetur, uel potando aquam calidam, uel oleum, uel immiſſione digiti, uel quocunq; alio modo fiat, ſtatim clyſtere, & per partem ſuperiorem uel inferiorem, uel per ambas uenenum à corpore euacuetur. Deinde detur theriaca quæ eſt ueneni repreſſiua & conſumptiua, quæ cum uino bibatur in quo Ruta fuerit decocta, hocq; tribus diebus fiat. Deinde detur medicina purgatiua ſecundum ueneni conditionem atq; bis uel ter balneari debet, ad ultimum fiat minutio. In cibo uti debet unctuoſis & pinguibus, oppilatiuis meatuum, ne fumoſa ueneni ueſitas poſſit ad cor exhalare. Debent præterea comedi nuces, auellanæ comedan-

Veneni uis ipſum cor primo aggreditur.

Venenū cibo uel potu ſumptum certis quibuſdam ſignis deprehendere.

comedantur & ficus ſiccæ, uenenum eñ attrahunt & conſumũt, ideoq; ante prandium ualent & poſt. Plurimum etiam ualet balſamum cum lacte mulieris contra arſuram & dolorem ex rebus uenenoſis, ut refert Conſtant. Theriaca uenenum conſumit & expellit, quia naturali proprietate ueneno contrariatur, membra etiam confortat. Si autem theriaca non poſſit haberi, et periculum ſit in mora, conquaſſetur alliũ uſq; ad diſſolutionem, cum gallina pingui decoquatur, & brodium illud ad bibendum detur. ueneno enim repugnat, unde ruſticorum theriaca dicitur. Gallinæ etiam brodium contra uenenũ ualet. Et (ut fertur) ſi gallus uel gallina per medium ſcindatur, & calida ſupponat̃ morſuræ animalis uenenoſi, uenenum attrahunt & extrahunt. Sunt & alia quædam contra uenenum ualentia ſui ex natura, ut Calamentum, ſuccus caulis. Crobi grana, Hiberis, id eſt Naſturtium, Ruta, ſal, porrum, Ariſtolochia, nuces comeſtæ cum Ruta, uel cum eadẽ tritæ ſuper morſuram poſitæ, Aſparagi radix & eius ſemen. balſamũ, acetum, ſanguis leporis, aſinæ lac, puerorum urina. Heritius, cerui & aſini teſticuli deſiccati & bibiti, Caſtoreum, allium, Gentiana, Mentha, Diptamus, & ſuper omnia theriaca. Contra morſum canis rabidi & aliorum animalium uenenoſorum, uulnera in loco morſus ſiue puncturæ cito aperiri debent cum igne, uel inſtrumento ferreo, ut cum ſanguine fluente de uulnere, uenenum pariter fluat. Supra & circa locum morſuræ uel puncturæ apponi ſolent ſanguiſugæ & uentoſæ ad attrahendum uenenum ab interioribus ad exteriora. Solent illa dari quæ ueneno ſunt contraria, ut theriaca, quæ, ut dictum eſt, cum uino in quo Ruta decocta ſit, bibi debet. cum ruta uel ſine ruta ſuper puncturæ uel morſuræ locũ poni per modum emplaſtri. Solent etiam ſuper uulnus poni nuces tritæ cum Ruta trita mixte, cumq; allio eis mixto & trito, ita quod nuces, ruta, allium, ſal ſimul terantur miſceanturq;, & de illis emplaſtrum ſuper morſuræ locũ fiat. Nuces enim tam comeſtæ q̃ contritæ, per emplaſtri modum ſuper uulnus poſitæ, contra uenenũ ualent. Cancri etiã fluuiales contra rabidi canis uenenũ ſpecialẽ habent uirtutẽ. ideo Conſtãt. dicit illis qui à rabido cane morſi ſunt, dari debere theriaca ad bibendũ cum aqua cancrorum fluuialiũ. Cinis quoq; cancrorum fluuialiũ cum Gentiana contra rabidi canis morſum ſpeciale eſt remediũ. Specialiter etiã contra rabidi hominis morſum uel canis, ualent ſuccus Caprifolij, cepæ, ruta, nuces, allia, ſal, frondes ficus, Mentha, Crobum. hæc omnia, uel eorum aliqua cum aceto & melle mixta tales morſus ſalubriter ſanant, quoniam prædicta omnia uenenum attrahunt, ſuaq; caliditate ac ſiccitate diſſoluunt, deſtruunt & conſumunt. Contra morſum & morſuram ſcorpionũ plurimum ualet, ſi ſcorpio qui momordit, uel aliud in oleo ſubmergat̃ uel

Theriace contra uenenatarum belluarũ morſus omnium ualet.

decoquatur, illudq́; oleum super puncturæ locum scorpionis ponatur. & istud contra scorpionis puncturam speciale est remedium. Item si idem scorpio accipiatur qui pupugit, uel alius bene tritus per emplastri modum super puncturæ locum ponatur, admodum utile est, & uenenum ad corpus unde exiuit reuertitur. Item si butyrum bouinum super locum puncturæ scorpionis ponatur, uel etiam aliud butyrum, multū iuuat. Nam butyrū sua unctuositate oppilat, caliditate sua dissoluit, consumit, uiscositate sua & humiditate mundificat & abstergit. Butyrum itaq; comestum meatus claudit ne ueneni fumus ad cor ascendat. Contra scorpionis etiam morsum ualet cancer fluuialis, si eius cinis uel ipsi cancri cocti seu sub cinere assati dentur cum lacte asinæ. Ad idem ualet Castorium & sulphur, quia utrunq; calidū est & siccum in quarto gradu, ideoq; contra frigidum uenenum ualent, nam caliditate dissoluunt, siccitate uero consumunt. Contra morsum Colubri serpentis, & uiperæ uenenum, primo uentosa uel apertione uulneris cum ferro aut alio modo, sanguis de uulnere subito extrahatur, statimq; theriaca detur cum uino in quo Gentiana, Ruta uel Mentha fuerit decocta, ad bibendum, super morsuræ locum & circa ponatur theriaca per modum emplastri. Si uero theriaca non habetur in promptu, terantur allia cum ruta, nucibus & sale, & fiat emplastrum super uulnus. In morsuræ item principio statim constringatur cum corrigia seu chorda illud membrum in quo punctura est, ita quod ligatura sit inter uulnus et cor ne uenenum impediente ligatura diffundi possit uersus cor. Et illud membrum teneatur eleuatum quo uenenum uersus exterminationem illius membri uadat, quia uenenum semper ascendit. ad bibendum etiam ei detur theriaca & alia ueneno repugnantia, de quibus paulò iam supra dictum est. Contra uenenum etiam ualet gallinæ cerebrum, fimus agni, & de frondibus succus Malorumgranatorum, ista enim uenenum dissoluunt, & ipsum consumunt. De remedijs contra rabidi canis morsum, quære in dict. mel. Illud autem mel quod apes conficiunt, Absinthium, aliasq́; herbas amaras uescentes, minus dulce est, tamen mundum, oppilationis splenis et hepatis aperitiuū, hydropicorū iuuatiuum, morsus rabidi canis iuuatiuum & curatiuum. Capita item salsorum piscium usta, rabidi canis morsum sanant, & scorpionis puncturam. Carnem adulcerinam in ulceribus eradicant, ulceribus putridis & saniosis conferunt. Omnis item piscis brodium uenenis bibitis, & uenenatorum puncturis confert. Quære in dict. castanea, sepum caninum cucurbitæ, cucumer, caules, dentes, feniculum, capra, cepa, gentiana, piscis, plantago, remedium, triticū, caput, cor, allium, cucumeres, uitis, urtica, amygdalus.

Butyri medicinæ.

De can-

De cantu harmoniaco. Cap. LXXXVII.

PEr dulces uoces harmoniacas, & per inſtrumenta muſicalia infirmi, Maniaci, & Phrenetici ad mētis ſenſum, ſanitatemq; ſæpius perducuntur. Harmoniaci etiam concentus ſæpe ab ira inducunt ad manſuetudinem, à triſtitia ad lætitiam, ab auaritia ad largitatem, à timore ad audatiam. Dulciſſima melodia aliquando dæmones coartantur, & de corporibus expellūtur, ut patet in Saule, à quo malus exibat ſpiritus cum Dauid citharam percutiebat ſiue tangebat.

De Cymino. Cap. LXXXVIII.

CYminum ſemen eſt aromaticum, colore pallidum, calidū et ſiccum in ſecundo gradu. Virtutē habet diureticam & aperitiuam, fumoſitatis ſubtiliatiuam, digeſtionis confortatiuam, uentoſitatis mitigatiuam, dolorum ſtomachi & inflationis repreſſiuam, ſolutionis uentris reſtrictiuam. Si in aceto infuſum fuerit (poſtquam prius fuerit aſſatū) & poſtea ſic in aceto madefactum ponatur in naribus, ſternutationem prouocat, ſanguinem de naribus profluentem reſtringit. & ſi nares cū tali cymino in aceto madefacto ſubfumigantur, aut ſi ellychnium de bombice mixtum ſeu in illo aceto tinctum in quo cyminum eſt aſſatū, pulueriſatum ponatur in naribus, fluxus ſanguinis reſtringitur. Faucium tumorem & dolorem, ſi in aceto ita ſit paratum, atq; faucibus inflatis emplaſtretur, ſanat. Cum Lauri baccis coctū & comeſtum, aut na ribus applicatum rheuma frigidum ſanat, ſanguinem coagulatum in oculo, mixtum et pulueriſatum cum cera munda, ſuperq; oculum cataplaſmatum, diſſoluit. Liuorem ex concuſſione, uel ictu, aut alio modo factum, mundat. puluis eius cum cera munda bene commixtus, & ſuper liuorem emplaſtratus, curat, ſi ſæpius apponatur. Si in frequenti uſu accipiatur, facies decoloratur & palleſcit. contra torſiones ualet, & omnes ſtomachi paſſiones. quære in dict. dolor oculorum. Sciendum eſt item quod fel auium, & animalium ex ſuæ ſubſtantiæ ſubtilitate & acumine eſt groſſorum humorum inciſiuum, ſua ex ſiccitate conſumptiuum. Vnde in oculorum collyriјs neceſſarium eſt ad uiſum clarificandum, & ad uitalis ſpiritus impetum remouendum, maxime autem fel accipitris, aliarumq; auium ex rapina uiuentium. Quære in dict. oculus, uiſus, urina, fœniculus, aquila, animalia, accipiter, capra, dolor oculorum, Fumus terræ.

Cymini medicinæ.

De Caſſia. Cap. LXXXIX.

CAſſia eſt ſpecies aromatica Cinnamomo ſimilis in uirtute. Illa autem eſt laudabilis, quæ dum plicatur non facile frangitur, ſed potius reflectitur & plicatur. Virtutem habet diureticam ſiue aperitiuam, hoc eſt diuiſiuam ex ſubtilitate ſuæ ſubſtantiæ. Habet item uirtutem conſumendi ſuis ex qualitatibus, & uim confortãdi ex ſua aromaticitate, & ideo (quemadmodum omnia aromatica) rheuma, cerebriq; paſſiones curat. Epilepticos & caducos iuuat, renes & ueſicam purgat, apoſtema maturat ſanatq;. Renes, hepar, & ſplenẽ deoppilat, oris fœtorem maſticata palliat & amputat, matricem confortat, contra Syncopim & cordis defectũ iuuat ſi ex eius puluere, roſis, ac cerui oſſe ſyrupus fiat.

De Caſſia fiſtula Cap. XC.

CAſſia fiſtula tanto eſt melior, quãto cannæ eius magis ſunt ponderoſæ. Medullam habet nigram, dulcem & humidam quæ commixta eſt cum aliquibus granis albis, & in quibuſdam cellulis ad modum mellis intus diſtincta. Illa quæ groſſa & ponderoſa, eligenda eſt, quia ſignificat quòd ſit magna, recens, & plus humida in humiditate. Leuis autem & ſonora quando mouetur eſt abijcienda, quia uacuitatem ſignificat, & humoris defectum. Virtutem habet leniendi, mollificandi, mundificandi, & fœtorem ſanguinis mirabiliter mitigandi, Choleram & ſanguinem depurandi. Gulæ apoſtema diſſoluit, uiſceribus utilis eſt, pectoriſq; uitijs ſubuenit. Viſcerum tumorem, & inteſtinorũ dolorem potata tollit. debet autem ſumi mundata ſuis à granis albis, ſero caprino mixta, uel bonarum carnium brodio. plus etiam operatur, ſi ſtatim ante prandium ſumatur, uel cũ colatura aquæ in qua bene bullita fuerit. De cõſumptiuis in dict. phthiſici.

De colore faciei, deq; corporis bono, maloq;. Cap. XCI.

EX nimio feruore & ebullitione fellei humoris ad hepar redeuntis, ſanguis inficitur. qui dum infectus ad membrorũ nutrimentum tranſmittitur, ea immutat & inficit, & cuti faciei, oculorum, aliorumq; membrorum colorem croceum, uel interdum uiridem, ſiue nigrum inducit: quoniam paſſionis ſigna ſunt iſta, ſcilicet tocius corporis infectio, coloris mutatio, ſitis adeſt, omnis amaritudo, dolor frontis, aurium tinnitus, urina crocea, cum ſimili ſpuma continua, quæ non diſſoluitur, uomitus croceus. Simili etiam modo nonnunq̃ inficit hepar ab ipſa cholera, unde facies fit citrina, os amarum & ſiccum, in ſtomacho ardor & ſitis, urina cum egeſtione albeſcit propter choleræ elõgatiõem ab hepate & renibus, ubi urina ſolet

tingi.

tingi. Color itē faciei aliquando deturpat̄ præter p̄dictos modos ex feruore & ebullitione sanguinis in cholerā transeuntis, ex calore superhabundante & sanguinē inficiente, unde cholera mixta cū sanguine cholere tincto defert̄ ad cutis superficiē, cutisq; colorem immutat. Aliquando autem ex hoc fit, q̄ meatus claudunt̄, per quos cholera trāsit ad fel, & tūc cholera ad hepar redundat, ac sanguinē ibi existentē inficit, unde dicuntur Hepatici, quod sanguis tūc sit infectus & tinctus. Cholera ad faciem transiens, oculos, aliaq; corporis membra, suo colore omniū membrorꝫ colorē immutat. Nonnunq; fit ex apostemate, uel febre sanguinē immutante & adurēte. Aliquādo fit ex corruptione aëris, uel cibo & potu corrupto, uel ex pūctura aīalis uenenosi. his modis sanguis inficit̄. qui sic infectus & ad mēbrorꝫ nutrimentū transmissus, ipsa scd'm suā infectionē inficit, eorumq; colorē immutat & tingit, talis infirmitas uocat̄ Ictericia. Istam infirmitatē ex cholera maxime ꝓueniente comitant̄ tocius corporis infectio, & in choleram immutatio, dextræ partis calefactio, sitis, oris amaritudo. frōtis dolor, auriū tinnitus, urina colorata cū spuma crocei coloris, uel uiridis uel nigri. omnia quæ de corpore emittunt̄ p̄dicto colore tincta sunt. Si aūt ista infirmitas uel coloris immutatio ex febre fiat uel ex naturę ui, post septē dies in aliq̄ die cretico cū diminutione febris, uel alleuiatiōe paciētis, & symptomatis remissione, bonū signū est. quia talis coloratio in facie aut alijs in membris significat febris materiā tūc purgari, & ad exteriora repelli. Si aūt ista coloratio febricitanti accidat ui symptomatis, sicut accidere solet ante diē septimū, periculi signū est. quia significat quod materia febris petit superiora, uel propter suā multitudinem, uel propter sui fumositatem & acumen, ut dicit Gal. super Aphoris. Aduertendū aūt est quod si talis passio decolorationis cuti accidit ex ebullitione choleræ nō potentis intrare, uel ꝓpter meatuū oppilationē, sed redundantis ad hepar, & ibi inficientis sanguinē qui ab hepate diffundit̄ ad omnia membra, sicut patet in hepaticis & spleneticis, tales abstinere debēt ab oībus acutis, scilicet à porris, cepis, allijs, uino forti et acuto, quia in talibus ista passio accidit ex ebullitiōe & excessiuo calore, & maxime accidit in æstate tēpore calido, flanteq; Austro, qui uētus est calidus. Debent aūt uti frigidis & humidis, ut uino debili, uel multū lymphato, uiridi aut acerbo, aceto, agresta, lactucis, cucumeribus, cucurbitis, sero caprino tpe æstiuo, & interdū recipere colaturā Cassiæ fistulæ. Pulmenta de Boraginibus uel Spinachijs, & ut plurimū uti floribus Boraginū suis in pulmentis. interdum etiā fieri debet minutio, in cibo & potu sumi debent infrigidatiua, sanguinis & choleræ mundificatiua, & talia infrigidatiua, ut semina frigida lactucæ, cucurbitæ, cucumeris, aliorumq; frigidorū per emplastri modū poni super hepatis regionē, quia

Ictericia & coloris faciei immutatio uarijs de caussis fit.

ſanguis in hepate ſingulariter inficitur ſicut ſuo in fonte. Talibus itaq; & quantum ad comeſtionem & potum, quantumq; ad medicinas, illa dari debent quæ calorem & choleram reprimunt, quæ ſanguinem mundificant, malamq; ſanguinis diſpoſitionem alterant. Si autem iſta infirmitas ex oppilatione procedit, dari eis debent ea quæ ſunt diureticæ, id eſt, diuiſiuæ & aperitiuæ uirtutis. Cauendum tamen eſt ne aperitiua illa nimis ſint calida, quia infirmitas augeretur. Qui hanc etiam infirmitatem paciuntur, herba interdum uti debent, quæ dicitur Endiuia. Quære in dict. hepar, cholera, ſanguis, mundatiua. Item ſciendum quod color in homine mutatur nunc in cute, nunc in oculis, nunc in pilis, nunc in unguibus. Color autem cutis ſiue pellis hominis fit duobus modis, quandoq; ab interiori, aliquando ab exteriori. Ab interiori nonnunq; fit ab humoribus, interdũ ex animæ paſſionibus. Ab exteriori aũt mutatur color in corpore humano in facie & cute aliquando per humores calidos, aliquãdo per frigidos. Contingit em̃ humores calidos tam ſimplices q̃ compoſitos infrigidari, frigidos uel infrigidatos calefieri, & ex hoc faciei color, cutisq; hominis uariat. quando em̃ frigidi humores caleſiunt, albus color in uiriditatem mutat, uel citrinitatem aut in ruborẽ. Quando uero calidus humor mutatur in frigiditatem ſeu frigeſcit, color rubeus mutatur in albedinem uel pallorem. ſicque intelligendum eſt quod ſecundum humorum mutationem colores in homine mutantur. Color item in homine ab exterioribus animę paſſionibus mutatur. nam ille qui rubicundus eſt, fit pallidus ex anguſtia uel timore. quia cor ſtringitur, & calor qui rubicundi coloris cauſſa eſt, ab exterioribus ad interiora reuocatur, ideoq; exteriora albeſcunt ſeu palleſcunt. Similiter pallidus de ſe fit rubicundus ex ira. quoniam homo dum iraſcitur, cor dilatatur & extenditur ad uindictam. unde color ſubito et impetuoſe ab interioribus ad exteriora diffunditur, & ex hoc ſanguis intercutaneus ſubito calefit, ex quo rubor ſubito generatur. Ab exterioribus etiam fit color aliquando niger, ut patet in Mauris. aliquando albus, ut patet in Anglicis, & in illis qui frigidis in regionibus generantur. Mauritania regio eſt in Aethiopia calidiſſima, in qua propter continuum calorem ſanguis intercutaneus adurit & denigratur: ſicut em̃ carbo efficitur niger ex aduſtione, ita ex diffuſione illius ſanguinis denigrati inter cutem & carnem, omnia membra efficiuntur nigra. Si autem Aethiops & Aethiopiſſa ſeu Maurus & Maura habitarent in regione temperata uel frigida, filios generarent albos, non nigros. Econtrario Anglici, uel qui ſunt albi, in Aethiopia ſi morarent̃, filios generarẽt nigros. Illi autẽ q frigidis in regionibus habitant ut Anglici, frigiditate poros cõſtringẽte,

Coloris uariatio ab interioribus & exterioribus.

calor

calor ad interiora reuocat. ideoq; exteriores corporis partes in superficie seu cute dealbantur. Mutatur etiã color cutis hominis, ut dictum est, multis alijs de caussis. Quandoq; propter cõplexionis malignitatẽ, ut in melancholicis. quandoq; propter nimiam & excedentem caliditatem, ut patet in cholericis, qui citrini sunt coloris. quandoq; propter solis calorẽ & aëris siccitatẽ, ut patet in itinerantibus in æstate, & nautis. quandoq; propter humorũ intercutaneorũ, seu sanguinis intercutanei infectionẽ, & expansionẽ ad mẽbra, ut est in Ictericia seu in hepaticis, ut supra dictũ est. quandoq; ex infectione humoris intercutanei sub cute diffusi, ut patet in Morphea & in lepra. quandoq; propter cutis discõtinuitatẽ, ut patet in uariolis, & cicatricibus uarijs, uel usturis. Variat etiã color in pilis & capillis. quia scd'm uarietatẽ qualitatis fumorũ à corpore resolutorũ, uariat color capillorũ. Nam ex phlegmate sunt albi, ex sanguine rufi, ex naturali melãcholia glauci, ex cholera adusta fiunt nigri. Ex caloris defectu fiunt cani, ut patet in senibus. & quandoq; color incipit in capillorũ radicibus, hoc accidit ex phlegmate habundãte. Quandoq; uero incipit ab extra, estq; signum quod ex caloris defectu naturalis accidit. quære in dict. capilli, facies, lilium, cyminum, pluuia, acetum, leo, electuarium, nux, pluma, plumbum, palmes, uinum, aloe.

Color pilorum secũdum qualitatis uarietatem fumorũ alteratur.

De Colica passione. Cap. XCII.

Viscera siue intestina hominis Colica passiõe laborantis, multifariã paciuntur. quandoq; ex humore cholerico, uel melãcholico intestinorum substantiã corrodente mordificãteq;, et fluxum Dysenteriæ inducente. hæc passio sæpe est mortifera. unde dicit Aphoris. Solutio, cuius in initio exit cholera nigra, est mortalis. Item quandoq; ex ipsorũ uiscerũ interiori punctura et ulceratione, & hęc uel ab exteriore apostemate putrefactionẽ & pũcturã in pãniculis ipsorũ uiscerũ inducente, uel ab exteriori læsione. Item quandoq; ex uentositatis inclusione, panniculos eorũ & neruos nimis uel cum melancholia distendente. Et ille dolor grauis est, in tantũ quod aliquando intestina penetrari uideant. Item quandoq; ex humore grosso & phlegmatico interiores partes intestinorũ obturante & claudente, et interiorũ exitum prohibente, & Iliacam seu Colicã passionem inducente. unde hic morbus pestilentialis est & mortalis, raro sanitatẽ recipiens, & sæpe die secunda uel tertia interficiens, nisi clysterijs occurratur. Qui aũt talẽ patitur Colicã, uti debet uino acerbo & aperitiuis. & maximũ est remediũ si in hora Colicæ uel Iliacæ passionis ponat paciens in balneo. quære de remedijs in dict. calculus. Solet etiã uentri accidere dolor et torsiones ex humoribus inuiscatis testinis, sicut dolor Iliacus, Colicus & consimiles

passiones. Accidunt aūt isti dolores & torsiones uentris quandoq; ex interclusa uentositate uiscerum obuolutiones excedente. quandoq; ex humorū multitudine, uiscerū substantiā aggrauante. quandoq; ex aliquo apostemate læsionē substantiæ intestinorū inferente. quandoq; ex lumbricorū multitudine intus uiscera corrodentiū. aliquando ex aliorū mēbrorum colligantia passionē interius inducente. quandoq; ex humorū acumine intestinorū substātiam mordicante & ulcerante, omnesq; istæ passiones proprias habent caussas & signia ꝓpria. Itaq; cruda uentositas et grossa ab humoribus soluta quādo cū fæcibus includit, intestinis multas generat torsiones. Et si fuerit resoluta fumositas uel uētositas ex materia sanguinea, erit dolor infixiuus. Si resoluta fuerit ex materia colica, erit pungitiuus. Si ex phlegmatica, dicet extēsiuus. Si ex materia melancholica, dicet grauatiuus. Si ex uitio phlegmatis, dicet congelatiuus. Quando ex sola uentositate, tūc dicet dolor deābulatiuus, quia sæpe mutat locū. Ista passio non curat sine medicinis euaporatiuis, extenuatiuis, uentositatū cōsumptiuis. Quādo uero intestina uiscosa superfluitate replent & conglutinant, ita quod natura se à superfluis expedire nō possit, necessario interiorū sequit corrosio, inferiorū cōpressio & clausio, ex rē percussione fumositatū superiorū summa pturbatio, & quādoq; mors & subiecti destructio, ut patet in passione Iliaca, colicaq;. Tali itaq; in casu primo apponi debent mollificatiua, & materiæ induratæ humectatiua. deinde aliquātulum mordificatiua, tandem necessaria purgatiua. & sic exoneratis interioribus et purgatis, tota natura ad debitū statū reuocetur. Cum uero apostema occupat stomachū uel intestina, ex distinctione materiæ apostematis sentit dolor & grauedo in stomacho, & intestinis. ex qualitate etiā materiæ apostematis intendit & remittit dolor seu impetus angustiæ & doloris. Dolor semper tanto est grauior & periculosior, quāto in subtilioribus gracilioribusq; cōprehendit intestinis, quia in illis minus patet locus euacuationis & euentationis. Istis tamē interius & exterius conferunt medicinalia mediocriter refrigerantia ratione febris. mitigatiua ratione doloris. maturatiua & mūdificatiua ratiōe apostematis. cōsolidatiua & sanatiua ratione subsequentis ulceris, ne locus apostematis remaneat ulceratus. Quando autē Lumbrici in caussa sunt maximus dolor est. Sunt autē lumbrici uermes quidā longi, rotundi & acuti, ex uiscosis crudisq; humoribus intestinorū interioribus generati, & in pueris maxime generantur, qui fructus comedunt crudos, uirides & indigestos. Qui cū fuerint in gracilioribus lōgioribusq; intestinis generati, dicunt lumbrici, quia lōgi. Si uero in inferioribus & grossioribus intestinis fuerit generati, dicunt Cucurbitini. Isti uermes graues inferūt passiōes & torsiones, quia febris adest, nariū pruritus, dētiū stridor, cibi abomina-

Dolores torminaq; uentris uarijs ex caussis accidunt.

abominatio, mentis ſtupor & alienatio. in ſomno clamor, corporis tremor, emiſſio linguæ & maſticatio, cum tamen inter dentes nihil habeat. Expedit ergo ut illi uermes de inteſtinis citius eijciantur, alioquin corpus ab eis conſumetur. Dum autem uiui ſunt, quia cum inteſtinis inuiſcati, difficulter expelluntur. Sed cum ſunt mortui, abhorrente eos natura expelluntur. nonnunquam tamen uiui exeunt, aliquando quaſi mortui, ſtatimq; moriuntur. Talibus autem ad bibendum dari debent amara, ut Abſinthium uel Rutha, et alia amara, quoniã à talibus inficiũtur, & mortui expelluntur. Talia autem amara omnia dari debent cum melle aut lacte, aut cum aliquo dulci, uel cum bono uino. dulcia em̃ uermes diligunt, cunq; dulcia illa mixta fuerint amaris, talia ſibi dulcia incorporando ſeipſos interficiunt. Quando autem mulieris matrix, uel ueſica hominis patitur, tunc inteſtina propter colligantiam, nam collo ueſicæ oppilato, retenta urina, inteſtinum quod ſibi adiacet opprimitur & impeditur ne feces expellere poſſit. Ex illis fecibus incluſis exire non potentibus, reſoluitur uentoſitas, quæ non poteſt euentari, & facit paſſionem quæ uocatur Colica, & eſt in dextra parte uẽtris inferioris ſicut zona circũcingens uſq; in partem ſiniſtrã, quia per ſemicirculum. Cauſſa autẽ iſtius paſſionis eſt ſeptiformis. Prima eſt calor igneus, cholericus, febribus intermixtus, feces deſiccans & ſtercora, humiditatẽ extrahens & indurans, ita ut de inteſtino exire nõ poſſint. Secũda cauſſa eſt cibi ſicci et ſtiptici groſſities egeſtionem exire prohibens, unde tales uti debent uino claro, debili & acerbo, & cibis quæ facilis ſunt digeſtionis. Tertia eſt phlegmatis uiſcoſitas, egeſtionum uias claudens. Quarta eſt groſſa uentoſitas, uiſcoſis cum humoribus ſe miſcens & diſtendens. Quinta eſt apoſtema inteſtinis naſcens, fæculentam ſubſtantiam exire prohibens. Sexta eſt multitudo uermiũ & lumbricorũ mortuorũ in hoc inteſtino inuiſcatorũ, inde exire non ualentiũ. Septima inteſtini eſt inſenſibilitas, nocumentum fecis non ſentiens nec expellens. Quacunq; ex cauſſa hæc paſſio generata fuerit, torſiones infert & anxietates. habet autem propria & generalia ſigna, quia generaliter adeſt uomitus, tortura, abominatio & dolor intolerabilis ex parte illa, uentris conſtipatio. Et ſi procedit ex cauſſa calida, ut ex cholera, uidetur paciẽti quod inteſtina acubus pungantur. unde paciens cito moritur niſi apponatur remediũ. Si procedit ex cauſſa frigida, tũc nimia ſentitur grauitas, lentus eſt tamen dolor manens in uno loco. Si uero cauſat̃ ex uentoſitate, dolor eſt extenſiuus, & mutat locum cum gurgualatione. Si cauſatur ex apoſtemate, ſentitur calor, dolor adeſt, febris cum ſiti & linguæ aſperitate. Si cauſatur ex lũbricis, ſunt torſiones, dolor & abominatio. aliquando illi uermes eijciuntur per os. Et quia morbus eſt mortalis, quacũq; ex cauſſa procedat,

Colicæ paßionis origo & eiuſdem ſeptẽ cauſſæ.

cito remedium eſt apponendum. Cauſſa itaq; talis morbi primo eſt mitiganda, ſoluenda & euacuanda per frequentes balneationes, ita quod in balneo herbæ ſint aperitiuæ, Chamomilla ſcilicet & ſimiles. Adhibenda ſunt calefactiua, diſſolutiua, liquefactiua, mitigationes, ut eſt Anatyſon, Irilion & ſimilia. Si autem per mitigatiua dolor non ceſſauerit, tunc adhiberi debent fortiores medicinæ diſſolutiuæ, purgatiuæ, euacuatiuæ. Iſti paſſioni alia quædam eſt paſſio quaſi omnino ſimilis, quæ dicit̃ Iliaca, & eſt mortalis, niſi cito remediũ apponatur. eiſdem quoq; remedijs curatur quibus prædicta ſcilicet Colica. Sciendum eſt item quod carnes Galli iuuenis ſiue pulli, duriores ſunt ad digerendum, & minoris humiditatis, & per conſequens minus competunt infirmis quàm carnes gallinæ ſiue pullæ. Pullorum enim caro aliquid habet uiſcoſitatis, ſed quando bene coquitur, uentrem ſoluit. Vnde ſi uerus gallus proiectis interioribus oĩbus de croci ſemine & Polypodio impleatur, & cũ. v. lb. aquę coquat̃ donec aqua ferè cõſumpta fuerit, atq; is qui colicã patit̃, de illis carnibus comedat, illãq; aquã bibat, maximũ eſt remediũ. uiſcoſos eñ & phlegmaticos humores purgat, melãcholicis multũ ſubuenit, groſſam ſtomachi uentoſitatem expellit, uentris dolorem mitigat, arteriarũ tumorem & dolorem curat, cõtra Erraticæ febris prolixitatem ualet. de hac paſſione & remedijs in dict. calculus, Iliaca, Gith, Iuniperus, torſiones. Tormentilla herba ſicut zinziber comeſta ualet contra torſiones. quære in dict. carnes, electuarium, Ponticus ſapor, urtica.

Erratica febris.

De puluere cotis. Cap. XCIII.

PVluis ex ſubſtantia Cotis lapidis reſolutus, uirtutem habet uulnerũ deſiccatiuam, repercuſſiuam. ſanguinis quoq; fluxum ſtringit. Eſt autem Cos lapis in quo cultelli & inſtrumenta ferrea acuuntur, quo tõſores, fabri lignarij, alijq; ad acuenda ſua inſtrumenta quotidie utunt̃.

De Caſtratis. Cap. XCIIII.

QVando homini genitalia amputantur, uirilis uigor eneruatur, maſculina complexio in fœmininam mutatur. Vnde eunuchi quando caſtrantur antequam pollutionem ſeminis patiantur in ſomnis, in eorum poſtea corpore pilus non oritur. Si uero poſt pollutionem caſtrentur, omnes pili non capitis ſed corporis præter pilos pectoris defluunt, & efficiuntur effœminati, molles, animo & corpore imbecilles. Voces eorum quando caſtrantur, mutantur, efficiunturq; ſicut uoces fœminarum. figuræ eorum in figuram commutantur fœmineam. Animalia item quando caſtrantur in iuuentute, efficiuntur maiora, ſed ſi poſt perfectionem caſtrentur non augmentantur. Cerui etiam ſi ante cornuum crementum caſtrentur,

corum

eorum extunc cornua non oriuntur. & si postquam cornua orta fuerint, castrentur, cornua amplius non crescunt, nec cornua mutant, nec ea eijciunt, quemadmodum faciunt qui non sunt castrati. quære in dict. aries, spadones.

De Calce. Cap. XCV.

DE Calce cæmentum fit quo lapides conglutinantur, & tegulæ in parietibus. Calida est & sicca in quarto grad. quæ cũ Oliuarum oleo mixta pustulas & uulnera putrida sanat, incisiones bene consolidat. carnemq́; superfluam ac putridam corrodit, nec in uulnere crescere sinit. Calx uiua cum Auripigmento & aqua ad modum pultis decocta pilos cadere facit, quia suo acumine poros aperit. quære in dict. hectica.

De Ceruo. Cap. XCVI.

CEruus ad medicinam ualet. Cerui enim serpentibus adeò contrariantur, ut si cerui cornu aduratur, ex illius fumi odore serpentes fugiant. cuius coagulum serpentum morsus omnium sanat. Cerui item sanguis sicut & sanguis leporis nunquàm coagulatur, sed semper manet liquidus. Item os quod in cerui corde inuenitur, contra Cardiacam ualet, contraq́; omnes cordis passiones. in omnibus quoq; nobilibus electuarijs & confectionibus os illud admiscetur tritum. de ceruo quære in dict. animalia, carnes, cor, os.

Ceruorũ leporumq́; sanguis non coagulatur.

De Cucumeribus. Cap. XCVII.

CVcumeris natura frigida est, uentrem laxat, stomacho prodest, quibus animus deficit, eis odore succurrit. folia etiam trita uulneribus medentur quæ canis morsus impressit. Semen cum uino dulci mixtũ, & potui datum, uesicã adiuuat laborantem & stomachum, ideo eius usus prodest in æstate, maxime febricitantibus. Item si Cucumer maturus suspendatᵉ filo, & in eo hordei grana infigãtur, intra paucos dies melius pullulant q̃ seminata in terra.

De Cucurbitis. Cap. XCVIII.

CVcurbita frigidæ est & humidæ complexionis, & in qualitatibus temperata. Cucurbitæ quæ non sunt duræ seu antiquæ cibo conueniunt. Semina uero cucurbitæ conueniunt medicinæ, quia cucurbitę semina seu grana sunt diuretica seu diuisiua & aperitiua propter suæ substantiæ subtilitatem. ideo ualent cõtra oppilationem hepatis, renum & uesicæ illis qui acutam patiuntur febrem seu continuam. Cucurbita elixa uel assa cibus est & medicina. si cum lacte Amygdalorum bene de-

coquatur, & fiat pulmentum, deturq́; febricitanti. est enim ei cibus & medicina, quia infirmitatis materiam per urinã purgat, uentremq́; aliquantulum laxat, calorem reprimit, alterat & confortat. Semina eius post maturitatem colliguntur, abluuntur, & ad solem desiccantur, & sic absq; putrefactione per triennium conseruantur. Succus cucurbitæ ualet contra ignẽ sacrum, cõtra oculorum tumorem. Auriũ dolorem mitigat si tepidus auribus instilletur. Semẽ eius tritũ, inq́; puluerem redactũ si in uulnerum concauitate ponatur, concauitatem replet. Cinis corticis cucurbitæ contra combusturam ualet. Hermes dicit, quod si cucurbita in humanorum ossium cinere, oleo oliuæ irrigata, in umbroso loco plãtetur, intra nouem dies florem & germen habebit. Cucurbita syluestris aut quæ digitalis est grossitudinis, nascens in locis saxosis, succum habet qui stomacho & uisceribus multum prodest, renum & lumborum Paralysi subuenit. medulla eius trita cum Absynthio & sale, dentium dolorem tollit. Succus eius cum aceto calefactus dentes mobiles firmat. Caro eius sine medulla, sine semine, clauis pedum, id est, apostematibus succurrit. uinũ cum ea feruefactum oculorum impetus tollit. folia eius cocta & trita uulneribus subueniunt si desuper ponantur. Semen eius cum uino potatum, uenenum uincit. Talis cucurbita non est conueniens ut sumatur in cibum, quia multum inflat, & idem est quod Coloquintida, facitq́; fructum rotundum ad modum cucumeris. Item cucurbita ad modum albuminis oui, cuius substantia mediocris est inter calidum & frigidum, sic et cucurbita est sine determinato sapore. parum enim cucurbita nutrit, quia saporem de se non habet delectabilem, & substantiam habet fluxibilem. Humiditate sua & frigiditate sitim mitigat, Choleram & calorem extinguit, phlegma augmentat, febrem cotidianam si multum comedetur, generat, omnesq́; alias passiones phlegmaticas, frigidas & humidas nutrit & prouocat. De confortatiuis iñ dict. thus.

Cucurbitæ syluestris medicinæ.

De Canicula stella. Cap. XCIX.

TEmpore ortus siue apparitionis Caniculæ stellæ, aër tam ratione temporis, quàm ratione stellæ calidæ, signiq́; calidi, nimis est calidus & siccus, quia Canicula tunc est in signo Leonis. Ideo diebus Canicularibus minutionem facere, aut medicinam accipere laxatiuam, ualde est periculosum. quoniam modica ex medicina corpus nimis fieret calidum & siccum, & febris forsitan sequeretur. Medicina etiam euaporaret & minus operaretur, quia corporis tunc pori ratione caloris externi sunt aperti. quandoquidem ut Gal. refert, extraneus calor uires extrahit medicinæ. Tunc etiam periculum

esset si

eſſet ſi uena aperiretur & nimis flueret, quoniam illo tempore ſanguis calidus eſt,& calor exceſſiuus. Tunc etiam homo per minutionem aut medicinam plus debilitaretur, quia uirtus interior propter calorem pororumq; apertionem tunc temporis eſt debilior. Durant autem Caniculares dies à. xv. Kalend. Auguſti uſq; ad Noñ. Septembris.

De Cometa ſtella. Cap. C.

COmeta ſtella radijs flammeis crinita repente apparens, Regum ſignificat mutationem, & plurima mortalibus mala portendit, aut peſtilentiam, aut bella, aut uentos magnos, aut æſtus. Generale autem iudicium, quod uel ipſa experientia docuit, de ſignificatione ſtellæ Cometæ utrum bonū malumué futurum ſit dominium, hoc eſt. Quando ſtella iſta oritur in oriente, ſignū eſt quod bonus erit dominus futurus, bonum etiam dominiū, quodq; boni malis dominabuntur. Quando uero oritur in occidente, ibiq; primo apparuerit, ſignum erit mali dominij, & quod mali ſuper bonos dominium habituri ſint, igitur ſtella quæ Chriſtum monſtrauit in oriente apparuit. Cometa item ſtella radios uerſus ſeptentrionem ſemper ſpargit, nequaq; uerſus occidentem, unde in occidentali parte non uidetur. *Cometes radios ſeptentrionem uerſus ſemper ſpargit.* De combuſtura, & quæ ſint illa quæ apponi debent locis, uel ſuper loca igne uel ferro ignito combuſta, quære in dict. lilium, aduſtio, lactuca, morus, cucurbita, dolor capitis, emplaſtrum, hedera, leo, ouum, oleum, plumbum, rubus. De cibo quis bonus ſit & laudabilis tam ſanis q; infirmis, deq; malo, quod cibi & potus facit ſuperfluitas, quære in dict. alimentum, abſtinentia, carnes, panis, uinum, potus, aqua, animalia, aries, lepra, ptiſana. De comeſtione quæ ſint comedenda, quæué uitanda, quære in dict. cibus, alimentum, animalia, aries, lepra, ptiſana.

De Calamento herba. Cap. CI.

CAlamentum herba eſt Menthæ ſimilis. illud quod in montanis naſcitur melius eſt, atq; calidum & ſiccum in tertio gradu. Virtutem habet cōſolidandi conſumēdiq;. Valet contra tuſſim, contraq; pectoris infirmitatem quæ ex cauſſa frigida procedit, ſicut & diacalamentum electuarium, quod ex illa herba, floribus & pulueribus, alijsq; cōficitur Stomachi & inteſtinorum dolorem curat. contra rheumaticas, & frigidas cauſſas iuuat, reptilium morſus curat. ſuccus eius auribus inſtillatus uenenum ad exteriora reuocat, aurium uulnera ſanat, uermes necat libidinem domat. Contra lepram adiuuat, eamq; retardat, matricis ſuperfluitatem & humiditatem anihilat & deſiccat. uirtutem habet Artemiſiæ. quære in dict. Artemiſia.

De morbo caduco ſiue Epilepſia. Cap. CII.

MOrbus caducus ideo dicitur, quia patiens in paſſionis hora ad terram cadere compellitur, & uocatur Epilepſia. Eſt autem Epilepſia humor quo uentriculi cerebri oppilãtur, ita ut ſpiritus animales à cerebro non poſſint fluere ad declarandam actionem ſuam, donec ab illo humore cerebrũ oppilauerit uiam ſuam. Epilepſia quoq; ſimilis eſt Apoplexiæ, de qua ſupra diximus. Idem enim eſt locus utriusq; infirmitatis, & eadem materia, quia utraq; naſcitur ex materia frigida & uiſcoſa. In hoc autem differunt, quia Apoplexia omniũ uentriculorũ cerebri eſt oppilatiua cum priuatione rationis, & diminutione ſenſus & motus. Epilepſia autem non omnium ſed principalium uentriculorũ eſt impeditiua. Qui aũt iſtum morbum patitur, ſubito cadit, os torquetur, & facies cum tremore ceruicis, tociusq; corporis conſtrictione, & ſtridore dentium, ore ſpumat, plures ſuperfluitates emittit. Fit autem tribus ex cauſſis. aut ex humoribus phlegmaticis, uel ex melancholicis in prora cerebri naſcentibus, aut ex uentoſitate frigida & groſſa, cerebro uel alicui membro dominante ſicut ſtomacho, cuius fumus aſcendit ad cerebrum, ex cuius groſſitie ſpirituum uiæ animalium oppilãtur, indeq; morbus caducus procreatur. unde Gal. ait. Epilepſia quæ creſcente Luna uenit, ſignificat qđ ex humida materia procedit. Omne enim humidum creſcente Luna creſcit. Quando uero iſta paſſio uenit deficiente Luna, ex materia procedit frigidiſſima, ſed tamen eſt aliquantulum humida. Quandoq; autem Epilepſia procedit ex materia tantum exiſtente in cerebro. Quandoq; ex materia exiſtente in neruis & arterijs ſtomachi, per quorum medium ebulliens materia ad cerebrum rapitur. Quandoq; fit ex materia exiſtente in extremis partibus corporis, ut in manibus & pedibus. Iſtæ autem infirmitates ex diuerſis ſic locis procedentes, proprijs ſignis extinguũtur. quando enim procedit ex materia exiſtente in manibus uel pedibus tales morbum ſuum præſentiunt. Sentiunt enim quandam punctionem quaſi formicarum, uel motum cuiuſdam auræ ex materia de manibus uel pedibus ad cerebrum aſcendente, ſicq; tunc pedes & manus interdum fortiter ligentur & conſtringentur (quia ex hoc materiæ aſcenſus ad cerebrum impedit̃) à caſu præſeruantur. Tales autẽ ſæpe febricitant, quia illa materiæ ebullitio ad cerebrum nõ poſſet fieri ſine caloris ebullitione. Quando autem fit ex materia exiſtente in ſtomacho modo prædicto, tunc tales ex repletione ſtomachi laborant maximaq; indigeſtione, & ciborum eructuatiõe abominationeq;. Iſti etiam ex frequenti eructuatione & appetitu uomendi caſum ſuum præſentiunt. Quando autem fit ex materia ſolum exiſtente in cerebro, quæ proprie

Morbus caducus ſiue Epilepſia tribus ex cauſſis accidit.

Epilepſia

Epilepsia uocatur, casum suum non præsentiunt, sed continua capitis grauedine laborãt. Fit autem ista passio quandoq; ex sanguine, sed sæpius ex phlegmate & melancholia. caussæq; istæ per propria signa extinguuntur, maxime per corporis dispositiõem sanguineam & phlegmaticam, uel melancholicam. per faciem rubeam, uel pallidam, uel liuidam per ætatem, regionem, per diætam consuetam. Si enim ex melancholia procedat, Lunæ in defectu maxime accidit. Si ex sanguine uel phlegmate, in plenilunio specialiter accidit. Remedia contra istas passiones, quàmuis ferè sint incurabiles, dantur. quære in dict. apoplexia. Tales si curari uolunt, abstinere debent ab allijs, porris, cepis, & omnibus acutis, & quæ cerebrum lædunt. à coitu, nimiaq; frequentia societatis hominũ quia talibus in locis ista passio occupare eos solet. uti debent cibis bonis leuibus nõ fumosis. Mane temperate comedant, uespere nihil aut ualde parum. uinum bibant debile, aut ualde lymphatum, & hoc modicum & admodum sobrie. utantur illis quæ cerebrum purgant, sternutatiões frequenter procurent. Quidam autem dicit quod tres guttæ sanguinis per scarificationẽ, sicut fit quando uentosa apponitur, extrahi debeant de scapulis, & pacienti cum corui ouo in cibum offerri. Dicit etiam qđ istis corui oua multum conferant, quodq; leporis coagulum bibitum epilepticos adiuuet, quia prohibet ne humor dissoluatur, qui dissolutus sursum ascendẽs cerebrum oppilat. Refert præterea quod asini epar assatum plurimum conferat si comedatur. Quære in dict. animalia, ferula, leo, nardus, remedia, Ruta, smaragdus, synapis, amygdalus. De febre continua in dict. febris, tertiana. De casu appetitus in dict. appetitus, bolismus, nectar, stomachus, dolor stomachi.

Epilepsiæ seu morbi caduci remedia.

De Renum calculo. Cap. CIII.

CAlculus est lapis qui in renibus aut uesica est. Ista infirmitas à qua infirmi dicuntur calculosi, affinitatem habet cum passione colica. Differt tamen, quia Colicæ dolor mutabilis est & instabilis, nàm cotidie de uno latere ad aliud latus mutatur. Renum uero dolor siue calculi stabilis est. Patiuntur autem lumbi seu renes nonnunq; ex tumore. aliquando ex humorum repletione. aliquando ex uentositate. plerunq; ex lapide siue calculo, uel arena quæ omnia dolorem inferunt grauissimum, maxime ubi calor in caussa fuerit. Cuius signũ est. si urina fuerit incensa, dolor acutus & pungitiuus. Si uero in caussa fuerit frigiditas, cruda erit urina & dolor lẽtus. Lapis & arenulæ, aliæq; supfluitates diuersæ in renibus sæpe generant, et p̃cipue ex potu aquæ limosæ, ex cibarijs grossis, uino stiptico & grosso.

Ex his autem oppilationes fiunt in renibus & uesica,& quandoq; in lapidis naturam qui calculus uocatur,uel in naturam arenularum per incensam caloris actionem mutantur & conuertuntur. Quando autem quispiam è lapide laborat, ista signa concomitantur. difficultas scilicet urinandi, Colica passio, & huiusmodi. Oppilatione autem lapidis oppilantur seu clauduntur uiæ & meatus urinales. & quandoq; fit ista clausio non ex toto sed in parte, tuncq; fit Stranguria, id est, urinandi difficultas,quando scilicet cum difficultate & guttatim mingitur.Meatus aliquando per grossum lapidem ex toto clauditur,tuncq; dolor maximus, quoniam homo nihil urinare potest.Ex humoribus autem in renibus & uesica coagulatis fit calculus. Iuuenibus maxime fit in renibus,pueris autem in uesica, quia in eis uesicæ collum strictum, humorem exire prohibens, unde lapis generatur. In pueris etiam urina nigra est & grossa ex cibo uiscoso. res autem uiscosa magis habilis ac disposita est ad coagulationem, utq; lapis ex ea generetur, ideoq; in paruulis sæpe generatur. Quando autem lapis uel lapidis materia est in renibus,per dormitationem cognoscitur pedis & coxæ dextræ partis, si lapis uel eius materia sit in dextro rene.Si uero pes sinister,& sinistra coxa dormitet,tūc lapis uel eius materia est in sinistro rene. Si uero fuerit in uesica,dolor circa pectinem sentitur. Item arenulæ uenientes à renibus sunt rubeæ, quæ uero à uesica ueniunt,sunt albæ. Lapis autem uiscosis ex humoribus generatus,difficilius dissoluitur& educit.Lapis uero ex arenulis generatus facilius soluitur & curatur. In mulieribus autē lapis uel arenulæ raro generantur,propter largiores meatus, & caloris debilitatem desiccantis & coagulantis humores, propterq; frequentes purgationes.Homines autem prædictam infirmitatē pacientes,sic purgandi sunt & curandi. Primo balneandi sunt, hocq; frequenter in balneis quibus herbæ calidæ ponātur & aperitiuæ, ut Chamomilla similiaq;. Vino uti debent ualde substantiali, claro ac debili, nec ullo modo grosso aut stiptico, nullo modo aqua,maxime limosa. Cibaria comedere debēt leuia,delicata, facilis digestionis,admodum sobrie comedere nihil aut ualde parum cœnare, & generaliter cibis potibusq; diureticis, id est,aperitiuis,plurimum uti. Si autem qui infirmatur sit puer aut iuuenis, & per prædicta non possit curari, accedendum ad eum per artē chirurgicam sed nimis caute. Incisio uero in senectute nimis est periculosa, etiam crepatis in partibus inferioribus, quia post.xl. annum ista passio non curatur teste Hippocrate. Quandoq; autem accidit passio, quod urina non potest contineri,ut patet in pueris & ebriosis qui nescientes quod faciunt,illico urinant. quod accidit aliquando propter uirtutis contentiuæ defectum,multa enim humorum fit attractio ad renes multaq;

Stranguria.

Lapis an sit in dextro uel sinistro rene.

multaq; fit emiſſio ſuperfluitatis ad ueſicam, quam portare ueſica non poteſt, ideò à ſe reijcit per urinam. Quādoq; accidit ex emollitione neruorum, & relaxatione lacertorum in collo ueſicæ. Quandoq; accidit propter grauitatem ſomni, ut patet in pueris & ebrijs. Eſt autem eorum id proprium qui hanc ſuſtinent paſſionem, quòd ſemper ſitiunt, & uix aqua etiam ſatiari poſſunt, & ſicut eam bibunt, ſic eam mingunt. Aliquando fit ex humore, meatus urinales ſubito conſtringente, & humiditatem ibi contentam ui compreſſionis educente. Iſtis autem qui hanc cōfuſibilem infirmitatem paciunt, neceſſarium eſt ut bibant nō uinum album, nec aquam, ſed uinum minus groſſum & ſtipticum, parum lymphatum, & in modica quantitate. Danda ſunt eis repreſſiua, calorū renum extinctiua, & remollitorum neruorum ad ſtatum debitum reuocatiua. Iſta autem reuocatio neruorum emollitorum per potationes fit & electuuria, per cataplaſmationes unguentorum reſtrictiuorum. Cauendum tamen eſt ne nimis humida apponantur, etiam ſi ſint reſtrictiua, quia amplius remolliendo læderent. nec etiam nimis ſicca, quia calorem acuerent. Sed nunc iſta, nunc illa alternatim, ut cum frigidis emplaſtris locus paciens humectetur & infrigidetur. Ex ſiccis uero coartetur humiditas, & membrum paciens confortetur. Super omnia curare debet paciens ut eius dieta ſit multū temperata, quia nimis calida renibus & lūbis noceret. nimis frigida uirtutem digeſtiuam retardaret. Cauere debet à uino uiridi & acerbo, nimiſq; forti ſeu acuto & penetratiuo. ſed uinū bibat rubeum, ualde groſſum, modica in quantitate, parumq; lymphatum. De Calculo in dict. bdellium, lepra, balſamum, caſeus, capra, carduus, cuniculus, hircus, iuniperus, petroſelinum, dulcia, hedera, paliurus, pulegium, ponticus ſapor, remedia, uulpes, aniſum.

Calculoſis quibus medelis ſuccurrendum.

De Hernia ſiue crepatura. Cap. CIIII.

Sciendum quod pellicula quædam diuidens membra nutritiua à membris generatiuis, nonnunquā rumpit per diſcōtinuationem uel diſtentionem, aut etiam per calorem, diſſolutionem, uel per humiditatem nimis laxantem. Ipſa autem rupta aut nimis relaxata, contingit inteſtina cadere in burſa teſticulorū, ibiq; non ſine dolore recolligi. Fit autem iſta pellis diuiſio, ruptura ſeu laxatio aliquando ex cauſſa externa, ſcilicet à nimia corporis exercitatione, uel nimio conatu, ut graue pondus ultra uires leuando. uel ſaltando, uel in lucta. Aliquādo etiam quando homo eſt conſtipatus ex nimio conatu & expreſſione ad emittendū fæces. aliquando ex concuſſione, uel caſu & ſimilibus. aliquando ex nimia membrorū ſuperiorū diſtentione & conatu, ſicut ex nimio cantu & huiuſmodi, quandoq; ex cauſſa

externa,ſicut ex nimia caloris incenſione,& humorū calidorū acumine ipſam pelliculam diuidente & incidente.quandoq; ex nimia humiditate neruos & lacertos relaxante. Ex quacunq; autem cauſſa accidat,in principio facilius curari poteſt,præcipue in iuuentute, quia ſi fuerit inueterata,præſertim ſi magna eſt,uix unquàm curari poteſt. Solet enim Hernia iſta per diętam & medicinam curari. aliquando per inciſionem chirurgicam. Talibus in cibo & potu dari debent ſtiptica & conſolidatiua,& in medicina,ſicut ſunt electuaria ex ſtipticis & conſolidatiuis confecta.balnea cum Chamomilla in aqua calida poſita,unguenta reſtrictiua exterius ſuper crepaturæ locum poſita. Super omnia ualet temperata comeſtio,multum abſtinentia à cœna & coitu,à motu,itineratione, equitatione,omniq; corporali exercitio. Omnino etiam cauendū eſt ab omnibus uentoſis & inflammatiuis,à fabis & leguminibus,quia ut Cōſtant. refert, uentoſa Hernioſis & crepatis maxime nocent. quære in dict.Bdellium,Bernix,calculus, glutinatiua. De Cancro morbo corroſiuo in dict. apoſtema, capra, hircus, roſmarinus, dracontia, urtica,zizania. De Cancro peſte in dict.canis rabidus. De infirmitate dicta Carbunculus,in dict.apoſtema,ſal. Cæcitatis remedia in dict.lepra. Cedri arboris odor ſerpentes fugat & omnia uenenoſa, nec circa ſe uiuere poſſunt.

Hernia per diætam, medicamentum, & nonnunquā per inciſionem curatur.

De Cypreſſo. Cap. CV.

CYpreſſus arbor eſt optimi odoris. cuius odor ſerpentes & omnia uenenoſa fugat,ſicut Cedrus lignum imputribile,de quo fiunt arcæ & coſmi,quæ odorem ſuum pannis imprimunt,& aliјs quæ ibi reponuntur. Arbor calida eſt in primo gradu,et ſicca in ſecūdo.cuius odor tineas à pannis fugat.pomum, lignū & folia ad multa ualent. Sunt enim ſtiptica & conſolidatiua,ideo contra uentris fluxum ualent,quando procedit ex debilitate uirtutis retentiuæ,ſi eius puluis in cibo uel potu ſumatur. Valet etiam cōtra Iliacam paſſionem & lumborum dolorem ſeu renum,ſi cum aqua pluuiali decoquatur,& cum illa aqua uinum lymphetur.Cypreſſi folia uulnera recentia purgant & ſanāt,ſacrū ignem fugant.nares polypoſas, id eſt fœtidas mundant, fœtorem purgant, fluxumq; ſedant. Semen eius mixtum cum caricis,id eſt ficubus ſiccis,duricies ſoluit & maturat, rheumatis fluxum ſtringit. Contra Anthracem apoſtema uenenoſum, & mortiferum canis uel ſerpentis morſum ualet,eiuſq; maliciam ne ſe diffundat reprimit & cōpeſcit, & uenenatis morſibus omnibus efficaciter obuiat.pro fructu habet baccas,folia amara.

De Cypro

De Cypro arbore. Cap. CVI.

CYprus est arbor similis Oliuę in folijs, sed sunt uiridiora cum florē nigro semine, calido, boni odoris. Si cum oleo coctum fuerit aut cōfectum, unguentum inde exprimitur miri odoris, ualdeq́ deliciosum. Cyprus uirtutem habet conglutinandi, cuius folium masticatum oris tumorem compescit. Eius decoctio siue aqua in qua decoctum fuerit, capitis uermes interficit si capilli inde lauentur uel fomentantur. Flos eius cum aceto decoctus capitis dolores soluit.

De Caulibus. Cap. CVII.

CAules siue olera frigidi sunt & sicci, turbidum & multum generant sanguinem, melancholicum, & horribilem odorē facientem. Substantia Caulium grossa est & dura ad digerendum. Brodium uero siue succus est colatiuus & mūdificatiuus, uentris humectatiuus laxatiuusq́. sed caulium substantia sine brodio est constipatiua. Tollitur autem eorum nocumentum si primo in aqua bulliantur, postq́ primam ebullitionem illa aqua proijciatur, & in alia aqua decoquantur, & cum bona pinguedine condiantur. Proficiunt autem caules quando transplantantur, ita quod uno in loco seminentur, deq́ illo eradicentur, & in alia terra transplantentur, sic in quantitate & qualitate meliorantur. Hyeme sunt tenerrima, & meliora quàm in æstate. Caulium folia trita, atq́ in diem bis apposita, canum uulnera recentia, uulneraqúe inueterata mire sanant. Caules parum cocti uentrem laxant, multum cocti constipant & stringunt, uino & ebrietati resistunt, neruos confortant, ideo cibus eorum utilis est Paralyticis & tremulosis. Lactis ubertatem mulieribus præbet lactantibus. Succus foliorum caulium contritorum contra uenenum ualet rabidi canis. odorem seminis eius cocti serpentes fugiunt. Item est quoddam genus caulium quod lata habet folia ut Lappa, quæ sunt subalbida. ista herba mirabili modo prodest stomacho atq́ neruis, ideo paralyticis ac tremulis datur, & illis qui sanguinem spumant. ualet etiam cōtra rabidi canis morsuras, serpentum & scorpionum. *Caulium medicinæ, natura et proprietas*

De Clareto siue nectare. Cap. CVIII.

CLaretum siue Nectar uinum est speciebus confectum aromaticis. Talia uina, uinumqúe Saluiatum suo sapore gustum delectant, appetitum sua aromaticitate excitant, tam cerebrum quàm stomachum confortant, sanguinem mundificant, & ad interiora tam uenarum quàm membrorum penetrant,

multum prosunt contra stomachi debilitatem, contra nauseam. illos iuuant qui casus appetitus paciuntur, si sobrie sumantur. quære in dict. nectar, caules. De colatiuis quære in dict. triticum, zuccarum.

De Syrupo. Cap. CIX.

SYrupus fit ex diuersis, secundũ quod infirmitatis materia exigit. Quidam Syrupus uocatur Oxymel seu Oxysaccaron, quod fit ex aceto & melle. Nam primo acetum cum herbis necessarijs ac radicibus, aperitiuis & diuisiuis diu decoquitur, & colato aceto in panno lineo seu staminia mel purum & optime defæcatum illi aceto admiscetur, & postea lentum ad ignem donec inspissetur decoquitur, bullitur, ac depuratur cum oui albugine distemperato cum aceto eodem, & in Oxymelle parum decocto. Nam omnes mellis immunditias & herbarum attrahit ad se albumen oui, & supernatando usq; ad oxymel superficiem secum trahit. Quas immunditias ille qui conficit cum penna in superficie oxymellis recolligit, & extra proijcit, & postmodum oxymel in munda pyxide de terra, uel uitrea ponit. Iste autẽ syrupus datur aqua calida cum cochleari oxymellis bene commixta, ita quod duæ partes de aqua ponantur calida, tertia de oxymelle. Valet autem iste syrupus ieiuno stomacho sumptus ad materiæ compactæ digestionem, uentris mollificationẽ, materiæ digestionem & mundificationem, pororum apertionem, & oppilationum dissolutionem, contraq; uentris inflationem. per talem enim Syrupum aliquibus diebus sumptum, materia disponitur ut facilius educatur, et sine tali præparatiuo medicinam sumere esset periculosum, quia cum oxymelle materia ad expulsionem præparatur. Consimili arte, adq; similes usus de aqua & zuccaro diuersis cum speciebus fit Syrupus, nunc uiolaceus & laxatiuus, nunc rosaceus & stipatiuus, & interdum miscẽtur prũna sicca cum uiolis, & simul bulliunt, ac depurant sicut oxymel. nũc simplex nunc cõpositus. De syrupo in dict. absynthiũ, morus, dormitio, dolor capitis, electuariũ, oxysaccarõ, oxymel. De glutinatiuis in dict. thus.

Syrupi Oxymellis uirtutes.

De Cera. Cap. CX.

CEra de melle extrahitur, proque unguentis ualet & confectionibus. habet enim uirtutem calefactiuam, resolutiuam, aperitiuam, maturatiuam, attractiuam, euaporatiuam & consumptiuam.

De Caseo. Cap. CXI.

CAseus frigidæ est substantiæ, siccæ, duræ digestionis, tarde ẽ stomacho exiẽs, magisq; stipatiuus q̃ laxatiuus. stomacho grauis, hepati

renibus & spleni. cuius nimius & frequens usus calculum in renibus generat. Est tamẽ distinguendũ. nam caseus lacti uicinus, est minus malus. Est enim caseus recens, antiquus, & inter utrũq; medius. Recens caseus malos humores non generat, quia adhuc partẽ dulcedinis lactis & aquositatis ipsius retinet. ideoq; ad digerẽdum facilior, et ad nutriendũ laudabilior, et uentrẽ magis laxat maxime si non fuerit salitus, quoniã salsedo ab eo dulcedinem aufert, & caseus admodum salsus, nimis est desiccatiuus, stomachoq; nociuus. Omni aũt sale carẽs magis est nutritiuus, corporis humectatiuus, & amplius carnis augmẽtatiuus, stomacho aũt nociuus, & facile in fumositates resolutiuus si stomachus fuerit calidus. Si uero frigidus est, in acetositatẽ facile est conuersiuus. Mediocriter itaq; salsus digeritur, & stomacho minus est nociuus. Sine omni sale facile fit acetosus. nimis uero salsus stomacho fit morsiuus, & sanguinis incensiuus. Caseus uetus siue antiquus, ac ualde siccus, ad nutriendum grossus & ad exeundum de stomacho nimis durus; quia quamuis lactis aquositas sit ablata, acumen tamen & siccitas coaguli ei dominatur. Vnde corpori duobus modis nocet. primo quia eius corruptio & grossities nutrimenti superfluitatem ingrossat & corrumpit. secundo quia per coaguli acumen omnibus alijs iuuantibus repugnat, & per ipsum omnia alia iuuantia in peius nutrimentum conuertuntur. Vnde si in corpore grossos humores inueniret, lapides in renibus generaret. grossos enim humores, calidos & incensos coadunat & compingit. Vetus itaq; caseus est uitandus, nullum enim affert iuuamen, neque incrementum, nec digestioni obedit, nec bonum sanguinem generat. nec uentrem humectat, nec urinam prouocat, sed inuentam humiditatem constringit et desiccat corporique multum nocet. Omnis itaq; caseus uetus siccus, durus, spongiosus & porosus corpori est nociuus. Ille qui licet sit antiquus, non tamen porosus, nec oculatus, minus est nociuus, maxime si pinguis sit. siquidem quando non est oculatus, signum est unctuositatis & humoris Caseus autem porosus & oculatus, quando recens, minus est malus q̃ uetus. Caseus enim uetus uentrem humectat, uetus stringit, maxime si assetur & ante prandium sumatur. Sua nanq; grossicie stomachi meatum obturat, cibumque ad intestina descendere non permittit. Post prandium uero sumptus cibaria comprimit, & ad locum exitus descendere compellit. Caseus inter ueterem & nouum medius, multum est nutritiuus propter saporositatem eius & grossiciem, & quia calore naturali uelociter induratur. quanto enim calor naturalis plus dominatur, tanto fortius indurescit. Est autem caseus ueneno contrarius. nam sua grossitie & butyrositate uenarum meatus oppilat, nec uim & ueneni fumum ad cor ascendere permittit. Caseus etiam recens super morsu-

Caseus recens.

Caseus uetus.

Caseus inter ueterem & recentem medius.

ræ locum animalis uenenosi positus, extrahit & ad se trahit uenenum. huiusq; signum est, quia caseus recens super morsuræ locum rabidi canis aut serpentis positus, statim casei candor totus in liuorem conuertitur propter uenenum quod attraxit. Valet etiam recens caseus contra Anthracem & alia apostemata uenenosa, positus super illa uel comestus Item si mustum fuerit adeò forte, atq; sic ferueat ut doliū rumpere credatur, partes quædam casei terrestris ac porosi imponātur, statim ebullire cessabit & multum stabit. Item si mustum est sine aqua, & ibi ponatur ouum recens, mergi non potest sed supernatabit. Si autem aqua fuerit mixta in musto, statim ouum mergetur ad fundum. de casei natura in dict. apostema, uenenum, uinum, lac.

De Sero caprino. Cap. CXII.

SErum caprinum à caseo bene separatum, est coagulatiuum mundificatiuum, choleræ repressiuum. quære in dict. lac caprinum. Virtutem item habet putredinis lauatiuam. nam intestina lauat, intestinorum uulnera à sanie mundificat, pectus purificat, sitim sedat, choleræ acumen rubeæ mitigat, scabiem & inpetiginem mundat, splenem, heparq; deoppilat.

De Capra. Cap. CXIII.

CApra ut plurimum, sine imprægnatione lac non habet. Si em̄ accipiatur urtica, & cum illa capræ mamilla confricetur, primo exibit sanguis, dein simile aliquod saniei, & postea exibit lac bonum, nec peius quàm imprægnatarum. Flante uento Borea concipiunt mares, flante Austro concipiunt fœminas. Item quando comedunt sal ante partū, lac multum de maxillis fluit. Item capræ cornu combusto & incinerato, earumq; pilis accensis serpentes fugantur. Item si pulueres de capillis capræ combustis super morsuræ locum animalis uenenosi ponantur, uenenum fugatur. Si ponantur in uulneribus, carnes putridæ & superfluæ corroduntur, & uiuæ bonæq; generantur, immoderatus humorum fluxus restringitur, ulcera putrida seu uulnera carnosa, uel incàuerisata seu fistulata, curantur. pelle caprina recenti obducuntur sananturq;. Sanguine caprino cum medulla eius decocto, toxicata ueneno sanantur, reptilium item morsus scorpionūq; curantur. Pulmone capræ super uenenosum morsum posito, uenenum extrahit, doloremque & angustiam mitigat. Eius felle oculorum macula corroditur, uisus acuitur, & oculus clarificatur. Iecur caprinum assum contra Elephantiam iuuat si in cibis sæpius sumatur. Fimus contra multas ualet infirmitates. fimo enim capræ cataplasmato podagri alleuiantur, si illo fimo hircorum se-

Capræ Aquilone spirante mares, flante autem Austro fœminas concipiunt.

pum cū

pum cum hederæ ſucco miſceatur,& emplaſtrum fiat. Caprarum urina calefacta, auribus tepida inſtillata, aurium dolorem ſanat. de caprino lacte in dict. lac.

De Hirco ſiue Capro. Cap. CXIIII.

HIrci ſanguis mixtus cum Hedera, in cibum uel potum ſumptus, miro modo calculū in renibus & ueſica ſoluit. Cornu eius ſicut & capræ cornu exuſtum ſerpentes fugat. puluis fiſtulas & cancros ſanat, aliosq; morbos ulceroſos, Polypum etiam corrodit & mundat. Hircinū iecur contra rabidi canis morſum ualet. fel eius collyriatum, uiſum clarificat, pannum & oculi telam rodit. Vrina eius mixta cum felle, leproſis confert, & lentigines de facie ſi cum eo inungatur, tollit. De felle Capræ in dict. fel. Capreoli carnes inter ſylueſtria ad comedendum ſunt laudabiles. quære in dict. animalia. De paſſione cordis quæ Cardiaca uocatur ſiue tremor cordis, in dict. cor, Syncopis, aurum, ceruus, cardamomū, margarita, gariophylinardus, ſapphirus, calamus.

De Chalcedonio lapide Cap. CXV.

CHalcedonius lapis eſt pallidus, ſed non quantum Beryllus. omni ſculpturæ reſiſtit. Hic lapis perforatus & portatus, facit uincere cauſas, contraq; dæmonum illuſiones ualet, & uirtutes conſeruat.

De Chryſolito lapide. Cap. CXVI.

CHryſolitus lapis lucidus, ſicut aurum, & ut ignis ſcintillans, mari in colore ſimilis, declinans ad uirorem. In auro poſitus & in ſiniſtro brachio portatus, dæmones terrere & fugare dicitur. timores quoq; nocturnos fugat, melancholiam minuit ac depellit, intellectum confortat.

De Chelidonio lapide. Cap. CXVII.

CHelidonius lapis qui in hirundinis uentre inuenitur. & eſt quidam niger, quidam rufus. Rufus contra Lunaticam ualet paſſionem, & inſaniam, contraq; antiquum languorem. hominem facit facundum, gratum & placentem. Niger uero contra nociuos humores ualet & iram. aqua lotus oculos ſanat.

De Corneolo lapide. Cap. CXVIII.

COrneolus lapis eſt rufus. ex diuerſis ſignis ſculpitur, & frequenter in annulis ponitur. qui ad collū ſuſpenſus, uel digito in annulo portatus, iras in diſceptando, & ſanguinis fluxum mitigat.

De Cinnamomo. Cap. CXIX.

Cinnamomum quanto gracilius & ſubtilius, tanto eſt melius quantoq; ſpiſſius, tanto minus bonum. Calidum eſt in tertio gradu, in ſecundo ſiccum. Ex aromaticitate uirtutem habet confortandi cerebrum, ex glutinoſitate uirtutem habet cõſolidandi. Sua uirtute Tuſſim ſedat ſi ex groſſa humiditate procedat tritum & cum aceto mixtum, impetiginem curat. Collyrio admixtum oculorum humiditatem deſiccat, renum dolorem mitigat, Hydropiſim curat, uenenatorum morſus ſanat, appetitum excitat & confortat. menſtrua prouocat, oppilationem aperit. cum uino potatum phlegma diſſoluit & conſumit. oculorum caliginem excludit, Syncopim detergit, & cardiacæ paſſioni multum ſubuenit, quia cor confortat.

De Coagulo. Cap. CXX.

Coagulum eſt lac in quorũdam animalium ſtomachis, præcipue in hœdis inſpiſſatum & coagulatum. Eius uirtute aliorum animaliũ lac coagulatur, ut Ariſtot. refert de animalibus. Lac coagulatur ex coagulo & lacte ficuum, quod mixtũ infunditur in lana, deinde illa lana cum modico lacte abluitur, illaq; lotura in alio lacte ponitur, & mox totum lac coagulatur. Quanto autẽ magis coagulum inueteratur, tanto eſt melius. ualetq; contra fluxum uentris, maxime coagulũ leporis et cerui. Iſaac item refert. coagulũ coagulatũ per ſe, uirtutẽ habet ſui acuminis & caloris, ac ſiccitatis in eo dominãtis, quibus ſua humiditas finitur. In coagulo autem modicum ſal admiſcetur, & ſic in propria pellicula ex qua de animali extrahitur, in fumum ponitur ut ibi deſiccetur & induretur, ſicq; ſua in uirtute diu conſeruatur. cuius modica particula ponitur in modico lactis tepidi, ibiq; reſoluitur & miſcetur. Illud uero ſic mixtum poſtea in lacte coagulando infunditur, ſtatimq; totum lac, quantum ad illud quod ibi eſt coagulabile, coagulatur & condenſatur. Item lac ficuum in lana ponitur, & ibi coagulatur deſiccaturq;. poſtea lana illa cum modico lacte animalis lauatur, ſubinde illa lotura in toto lacte infunditur & miſcetur, ac ſtatim lac totũ coagulatur. Expertum eſt item quod ſi flos herbæ quæ acutos habet aculeos, & magis in altum creſcit, floremq; habet rubeum, quia flos cum maturatur in lanuginem uertitur uolantem in aere, exiccatus & cum lacte diſtemperatus in una ſcutella, illaq; lotura toti lacti miſceatur, ſtatim coagulatur. De coagulo in dict. ceruus, caduci, dolor mamillæ, triticum, ficus.

De Calamo aromatico. Cap. CXXI.

Calamus

CAlamus aromaticus mirum in modum confortat. præcipue autem ſtomachum. digeſtionem etiam adiuuat maxime ſi cum abſynthio tẽperetur. Cardiacam, cordiſq; defectum ac Syncopin, cum aqua roſacea diſtemperatus, ſi bibatur, multum iuuat. Iſte autem melior eſt qui ſubrufus, nodis plenus & ſpiſſus. Virtutes habet ſicut Caſſia & Cinnamomum.

De Cappari herba. Cap. CXXII.

CApparis herba eſt ſiue frutex ſpinoſus, ſuper terrã ſparſus unctione plenus. Cuius uirtus ſplenis duriciam ſuper omnia medicinalia iuuat. Naſcit̃ in locis aridis, ſiccis, duris, maxime in antiquis muris. Si comedatur, uentrẽ remollit, urinam prouocat, dentium dolorẽ mitigat. ſuccus eius auribus inſtillatus, uermes necat. cortices radicis eius ad ꝑdicta omnia ualent. In principio ueris colligenda eſt & deſiccanda, ſicq; pluribus annis conſeruatur. Illa laudabilis eſt, quæ cum frangitur non pulueriſatur, & eſt aliquantulum in ſapore ſubamara, in colore ſubrufa. Flores eius collecti, quando adhuc ſunt clauſi (quia cum fuerint dilatati nihil ualent) cum ſale condiunt̃ ſicq; comeduntur. Virtutẽ habet excitãdi appetitũ, & digerendi humorem in ore ſtomachi exiſtentem. contra aurium ſurditatem ualet. Puluis eius auribus fiſtulatis ualet. ſeu confert ſi in oleo decoquatur, illudqúe oleum auribus inſtilletur tepidum.

De Cardamomo. Cap. CXXII.

CArdamomum ſemen eſt cuiuſdã arboris, quæ ueris tempore ſemen producit. & eſt ſemen aromaticum, ſubrufum, aliquantulum acutum, dulcedini intermixtum. Confortat & conſumit. unde contra Cardiacam paſſionem ualet, contraq; ſtomachi indigeſtionem. appetitum prouocat, uomitum reprimit, cerebrum debile confortat.

De Carduo herba. Cap. CXXIIII.

CArduus herba eſt quã libenter comedunt aſini. In haſtarum ſummitate capitella habet ſpinoſa, in quibus eius ſemen cõtinetur, quod exterius eſt nigrũ, interius tamẽ albũ in medulla. Illud ſemẽ eſt diureticũ aperitiuũ, ualetq; cõtra calculũ renum & ueſicæ. in locis creſcit incultis.

De Croco herba. Cap. CXXV.

CRocus herba eſt in flore crocei coloris. quo quidem in flore uirtus eius potiſſima, illumq; florem Crocum uocamus. Optimum illud habetur quod recens, longum, & integrum, quodq; cum tangitur ſuo

Croci uires & medicinæ.

colore manum tingit. Calidum eſt & ſiccum in primo gradu, ſuis etiam in qualitatibus temperatum. Eſt autem confortatiuum ſi in brodijs uel pulmentis ponatur. Contra ſtomachi debilitatem, cordiſq; defectum multum ualet. oculorum dolorem ex ſanguine uel macula tollit, ſi cum roſis tritum, cumq; oui uitello quaſi per emplaſtri modum in panno lineo ſuper oculum ponatur. Omnes inflationes, & oculorum dolores deſtruit, maxime ſi uino mixtum fuerit, ac per emplaſtri modum ſuperpoſitum. Pectori, ſtomacho, hepati, ſumme utilis. Qui crocum tritum uino mixtum prius biberit, ebrietatem poſtmodum non ſentit; ſique in cibo copioſe ponatur, hominem inebriari non permittit. Somnum prouocat, caput iuuat, uentrem prouocat. flos eius immiſſus igni ſacro, multum iuuat. De croco fit unguentum contra oculorum ſuffuſiones ualens. illudq; optimum eſt quod guſtatum dentes tingit. ſuo colore ſaliuam. capitis ulcera purgat, inflationes omnes ſedat, ſerpentum, aranearum, ſcorpionumq; morſus curat, & eorũ puncturis reſiſtit.

De Cepa. Cap. CXXVI.

Ceparum uſus.

CEpa uel Cepe herba eſt, cuius uis cocta eſt in radice, quam communiter cepam uel cepe uocamus. Calidæ eſt naturæ & uiſcoſæ, maxime rufum magis quam albũ, & magis dum eſt ſiccum quam recens, magiſq; crudum quam coctum. Comeſtum faſtidium tollit, oris fœtorẽ minuit. uocem mollit, maxime coctũ, cibos condit. Succus eius cum melle oculorum caliginem detegit. eiuſdẽ ſucco ſi caput perfundatur uel inũgatur, lethargicos iuuat. cum mulieris lacte mixtus ſi auribus inſtillet̃, earum dolorẽ ſedat. Si foramen fiat per fundum ex parte barbæ ſeu radicũ, illudque foramen oliuarũ oleo impleatur, & ſuper calidos cineres decoquatur, ita, ut cum oleum conſumitur, iterum infundat̃, donec cepa ſit optime cocta. talis cepa ſi comedat̃ pectus multũ laxat. uel ſi piſtet̃, & per emplaſtri modũ ponat̃ ſuper ulcus uel apoſtema, ſtatim maturari facit. Temperate comeſtũ maxime coctũ, uiſcoſos humores incidit. ora uenarũ hæmorrhoidarũ cepæ ſuccus crudæ, ſi ibi apponat̃, cũq; ſucco bene confricet̃, aperit. urinam, menſtruaq; prouocat & educit. Venenũ morſus rabidi canis extinguit, omnibus uenenatis morſibus & puncturis ſubuenit ſi deſuper trita ponat̃. Cutẽ aũt clarificat, poros aperit, ideo ſudorem prouocat & educit. Cruda ſi comedatur nihil omnino nutrit. Cholericis plurimum nocet, phlegmaticis conuenit. ſitim facit, inflationem gignit. Suo acumine, nimis comeſtũ caput & cerebrũ lædit. aliquando ad Maniam educit uel inſaniã. Terribilia ſomnia uidere facit, maxime ſi ab illis comedatur qui ab infirmitate conualuerunt. Solo odore lachrymas prouocat, uiſumque lædit.

Cepe cum melle tritum & mixtum, uerrucas eradicat si super eas ponatur. Salicis etiam cinis uerrucas eradicat si cum aceto misceatur, & super eas ponatur, & teneatur.

De Caponibus. Cap. CXXVII.

CAponis uenter si deplumatus, seu plumis denudatus cum urticis bene fricetur, eiq; parui gallinarum pulli supponant̃, eos fouebit, quia propter urticarum punctiones delectatur in tactu plumarum suauium pullorum. Et si assuetus fuerit, postea semper pullos fouebit, diliget & pascet sicut mater. Item Capo post sex uitæ suæ annos, lapidem habet in hepate Electorium nomine, deinde Capo, postq; lapis iste in eius hepate generatus fuerit, amplius non bibit. ideo qui hunc lapidem portauerit, maxime sub lingua, siti (ut fertur) non premitur.

De Corylo. Cap. CXXVIII.

SI paruula Coryli uirga per mediũ in longũ binas in partes diuidatur, à capite ad caput, unusq; homo una manu teneat caput unius medietatis uirgulæ, altera manu caput teneat alterius medietatis. dein alius homo simili modo alia duo capita teneat ex opposito, ita quod illæ partes quæ fuerũt diuisæ, mutuo se respiciãt, & modicũ separentur, scilicet ad quantitatẽ duorũ digitorũ ex transuerso ad inuicẽ coniungant̃, tunc una se uersus aliam cõplicabit. non quidem per incantationem sed per naturã, quia quælibet alterã per spiritũ attrahit, & euaporationẽ quæ ab utraq; egredit̃. Oportet aũt ut hoc fiat quãdo uirgula recẽs amputat̃, et stati diuidat̃ anteq; euaporet.

De Cultello indurando. Cap. CXXIX.

HErmes in Alchimijs tradit, si cultellus uel quodcunq; instrumentum ferreum, dum fabricatur, dumq; adhuc ferrum est ignitum, extinguatur in succo Raphani mixto cum succo lũbricorum terræ contusorum, talis gladius siue instrumentũ tam forte habebit acumẽ, ut eodem ferrum æque ac plumbum scindere queas. Item Chalybs si in fornace distilletur sæpius & depuretur, donec albedinem ferè habeat argenti, & tunc de eo sculpentiũ instrumenta formentur, angulis & acuminibus conuenientibus, secundũ quòd sculpentium arti conuenit, & postmodum raphani succus exprimat̃, cumq; eo permisceatur aqua quæ de lumbricis terræ contusis extrahit̃, & per pãnum mundum coletur, ita, quod de lumbricorũ aqua sit tãtum quantũ de succo raphani, & econtra. postea illud instrumentum iam formatum candens & ignitum extinguatur in illa aqua sic mixta bis uel ter, uel plu-

ries secundum quod oportebit, tunc instrumenti acumen fit adeo durum, quod gemmas quascunq; radat, & ferrum sicut plumbũ scindat.

De candela niuis. Cap. CXXX.

SI candelam uis facere de niue, fac ellychnium de bombice, et in oleo Canabino bene imbibatur. & cum imbibitũ fuerit, super niuem resolue, donec fiat ad grossitudinem unius corticij seu magnæ candelæ, seu grossi cerei, ita quod nix bene sit cõpressa. postea accẽde, ardebitq; bene ut cereus ꝑpter p̄dicti olei humiditatem. Si aũt candelã uel cereũ facere cupis inextinguibilem quoad eius materia durauerit. fac ellychniũ illud sic intinctũ, in sepo fuso intingere, ac si de eo facere uelles candelã de sepo, & cum extraxeris, infrigidatumq; fuerit, quemadmodũ candelã uel cereũ de sepo accende, & nullo uenti flatu extingui poterit. Sic eñ fiunt lucernæ ad conducendum noctu exercitum, cum pãniculis sic primo in oleo Canabino, postmodum in sepo tinctis, & super hastam instrumento ferreo positis.

De Coturnicibus. Cap. CXXXI.

COturnices quando messiũ tempore sunt pingues, carnes habent ad comedendũ crassas. Cibum comedunt uenenosum, ob id ueteres earum usum in cibum prohibuere. Elleborus enim coturnicũ est cibus, qui si ab homine, alioúe animali comedatur, eis uenenum est.

Elleborus Coturnici cibus est·homini uero alijsq; animalibus uenenum·

De Composito Italorum cibo. Cap. CXXXII.

COmpositũ est cibus Italorũ factus ex herbis, scilicet de fœniculi radicibus, Petroselini, de caulibus, piris uel pomis coctis, cum sinapio & aceto diu positis quasi putrefactis. Virtutem habet excitandi appetitum. ebrietati resistit, quando ante cibum comeditur, post crapulam reprimit. neruos & stomachum iuuat, eundemq; confortat.

De Columbo & Columba. Cap. CXXXIII

COlumbus uel columba sanguinem habet medicinalẽ. quia sanguis eius sub dextra ala extractus, & sicut de uena exit calidus oculo instillatus, dolorem mitigat, & oculorum Ophthalmiam sanat. quære in dict. Chelidonia, lupus, dolor oculorum, macula oculi.

De Castanea. Cap. CXXXIIII.

CAstanea calida est in primo gradu, sicca in secũdo. Si nimiũ comedant, uẽtris inflationes, & dolorẽ capitis faciũt, ꝑpter fumum in eis inclusum. Earum tamẽ nocumentũ aufertur si in aqua dulci bullitæ, uel assatæ fuerint, tunc enim bene nutriunt, & laudabiles humores generãt,

corporis

corporis item & pectoris ſiccitatem mitigant, maxime ſi cum aceto cõmedantur à Cholericis & phlegmaticis. Sunt etiam abominationis & uomitus reſtrictiuæ, & inteſtini confortatiuæ. Item Caſtaneæ cum modico ſale tritæ ac cum melle mixtæ, canis morſum uel hominis rabidi optime ſanant. Item cum farina hordei, cumq; aceto mixtæ, ad modum emplaſtri ſuper mamillas inflatas ex coagulatione lactis alioue modo poſitæ, tumorem reprimunt. Item earum cortices foliaq; uſta, & puluériſata, cum uino temperata, & per emplaſtri modum ſuper adoleſcẽtis caput poſita, capillos augmentant, eorumq; caſus prohibent.

De Dormitione. Cap. CXXXV.

INfirmi atq; ſani, ut plurimum, dormire debent ſuper latus dextrum. quam autem ob cauſſam, ſupra de Apoſtematibus relatum eſt. Si infirmus ſomnum recipiat temperatũ in qualitate & quantitate, bonum ſignum eſt. quia ſi dormierit, ſaluus erit. futuram enim naturæ uictoriam contra morbum indicat, & ægrotum alleuiat. & contrarium ſi cõtrario ſe modo habuerit.
Somnus autem nimius minus eſt laudabilis, quia animalis tunc uirtus *Somnus nimius.*
deficit, corpus humectatur & refrigeratur, quia diſſolutio fit humorũ, & per conſequens caloris naturalis extinctio, phlegma incenditur, calor naturalis minuitur. Si autem ſomnus ſit nimis paucus, uirtus digeſtiua *Somnus nimis modicus.*
deficit, corpus deſiccatur, color mutatur, cibusq; remanet indigeſtus, & multa ſequunt. De nimio ſomno, quantum noceat, & quàm ſit periculoſus in dict. abſtinentia, aperitiua, ſyrupus Nenupharinus, dentes, ſanguis, ſomnus, Diaborragion, uiola, ebrietas, caput, cerebrum, cõplexio Coriandrum, Mandragora, papauer. Si uero fuerit moderatus, cibus *Somnus moderatus ſeu temperatus.*
bene digeritur, corpus impinguatur, animus confortatur, calor naturalis uigoratur, humores temperantur, hominis intellectus ſenſusq; clarificantur. Item ſomnus ex parte ſuæ materiæ uariatur. Cauſatur enim ſomnus materialiter ex humiditate cerebri temperati, exq; fumo humido & claro, à toto corpore ad cerebrum aſcendente. Ille autem fumus ſpiritus ingroſſat, neruos replet, & meatus oppilat, per quos ſpiritus animales deſcendunt à cerebro ad organa ſenſuum, & ita ſenſus ligat. Si itaq; ſomni materia fuerit multa, natura uero debilis, tunc per ſomnum maior fit humorum reſolutio, per quam calor naturalis intrinſecus uincitur & extinguitur. ideoq; Minutis præcipitur, & illis qui medicinam receperunt laxatiuam, ne poſt iſta dormiãt, ne ſcilicet per ſomnum tanta fiat humorũ reſolutio ut à natura non poſſit regi. Somnus aũt poſt cibum & potum temperatum, cibum digerit, humoresq; temperatos facit, corpus humectat, impinguat, & calefacit. Si autem infirmus poſt

somnum se alleuiatum sentiat,bonum signum est.si uero grauatum,malum. Papauer item herba est ualde somnifera,ex cuius foliorum succo & capitulorum fit Opium,mediante quo febricitantibus somnus prouocatur.Succus ille super pannum ponitur mundum,lineum & strictũ atq; sic per emplastri modum super pacientis tempora ponitur, ubi uenæ sunt pulsatiles.Dari autem debet caute, quia multũ oppilat & infrigidat, mortificatq;, maxime papauer nigrum. Vt homo item per triduum continue dormiat, accipe semẽ Iusquiami uel papaueris albi, aut modicũ Opij Thebaici,omniũ .ʒ.j. misce prædicta in salsa.melius fiet si cum uino des illud bibere.statim cum biberit dormiet,nec excitari poterit. Sed est remedium.adplica naribus eius de fœniculo, & dimitte ibi. aut panem calidũ in aceto bene imbibitũ, aut fortẽ mustardam naribus eius infunde,aut in ore eius forte acetũ pone,& in cõtinenti excitabit.

De dolore capitis. Cap. CXXXVI.

SI quis multum doleat caput, uel sit Phreneticus, aut aliquo in membro dolorem paciatur, crura eius & brachia ligent, stringenturq; in tantum ut ex ligaturę strictura lædatur,tũc capitis dolor diminuitur.quia unum membrum alteri compatitur,& ad constrictum membrũ spiritus confluunt & humores, propter quod caput alleuiatur.Dolor enim uni membro superueniens, alterius membri dolorẽ mitigat. & ista est caussa quare illi qui sunt combusti membrũ adustũ igni applicãt,ut scilicet ex ardore quẽ ignis infert minus sentiat dolor & cõbusturæ afflictio.Capitis quoq; dolorẽ pectinatio mitigat,per quã pori aperiunt,et fumi qui caussa sunt doloris euaporant.qua de materia in dict.caput,anethũ,anisum,absinthium.Syrupus em̃ (ut dicitur) de Absinthio factus,hepati subuenit,stomachũ confortat,appetitũ excitat,ebrietati resistit, Ictericiam curat,colorem faciei malũ corporisq; immutat & alterat.Absynthij succo si caput inungat,capitis dolorẽ ex fumositate stomachi ꝓuenientẽ mitigat,sedat,atq; sanat. Succus eius cum uino potatus,uentris lumbricos enecat,& nauseã arcet De Absynthio copiose Cap.xix.& in dict.carnes,Mãdragora,somnus. De remedijs cõtra dolorem capitis in dict.abstinentia,amygdalus. De dolore autem capitis in dict.Artemisia, Cyprus, castanea, hedera, nux Terebinthus,uitis, zyzania, caput. De dolore stomachi & uentris in dict.stomachus,uenter,appetitus,bdellium,hectica,bolismus,abstinentia,ebrietas,dolor capitis,zinziber. De renum dolore in dict.calculus.

Syrupo de Absynthio facto plurimæ ægritudines sanãtur

De dolore anchæ. Cap. CXXXVII.

Gutta

GVtta Schiatica dolor eſt qui naſcitur ex humoribus deſcen dentibus in neruum groſſum, qui eſt inter lacertos groſſos coxæ ſiue anchę. Fit aũt frequẽter uiſcoſis ex humoribus in concauitatibus anchę coadunantibus. quandoq; ex humoribus ſanguinis cũ Cholera rubea intermixtis, & iſta oĩa ſunt cauſſa doloris, qui dolor in crura deſcendit, & ad calcaneum uſq;, adq; pedis digitũ minimũ. Dolor itaq; iſte quandoq; eſt in ancha dextra, quãdoq; in ſiniſtra. Qui aũt in ſiniſtra, peior eſt. cuius ratio eſt, qa dextra in parte maior eſt calor, ideo materiam ibi collectã facilius digerit, cõſumit et diſſoluit q̃ in ſiniſtra, ubi minor eſt calor, et materia magis compoſita. In iſto dolore punctura eſt & ardor, præcipue in iuuenibus qui calidæ ſunt cõplexionis, maxime quãdo calor eſt in cauſſa. Tali in caſu multum ualet ſanguinis diminutio de uena ſaphena, ſcilicet de illa uena quæ ſub cauillа eſt, uel modicũ ſupra cauillam pedis. qui talem dolorem patitur purgandus eſt & ſanandus ſicut in gutta arthetica. quære in dict. arthetica. Omnis autem ſchiaticus perinde ac artheticus cauere debet à nimia cibi potusq; repletiõe, & præcipue à coitu, quoniam is maxime rheuma acuit, & digeſtionem impedit, propter ſpirituum ac puri ſanguinis deperditionem. Purgandus eſt itaq; interius, & balneandus balneo in quo ſatis de Chamomilla ponatur. Contra talem quoq; guttam multum ualet ſi fimus bouis calidus per emplaſtri modum deſuper ponatur. plurimum enim deſiccat, maxime ſi cum Galbano, thure, & aceto diſtemperatus fuerit, poſtmodum calefiat, & calidum per emplaſtri modum ſuper locũ ponatur. Eſt & alia quædam gutta Podagra uocata, quæ pedum eſt dolor, maxime calcanei & plantæ pedis. Naſcitur ex malis humoribus ad calcaneum deſcendentibus, qui ſi frigidi fuerint & groſſi, nimia fit extenſio atq; tumor, ſed non multum pungitiuus dolor. Tumor tamen non magnus fieri poteſt, quoniam pedes ſpoliati ſunt carne & denudati, ideo non multum tumeſcere poſſunt. Iſta autem infirmitas & tumor in illis naſcitur qui ſuauem, lautam, quietamq; uitam ducunt, ſeq; parum corporaliter exercitant, quia corpora à ſuperfluis humoribus non emundantur, maxime cum multa comedant & bibant. Ex talibus enim ſuperflui generantur humores, qui ad pedes rheumatiſant, maxime quando pedum uirtus eſt debilis, ac ſuperfluam materiam non ualet expellere. & hæc infirmitas maxime accidit ex nimio coitu. Coitus enim totam corporis concathenationem commouet, concutit & calefacit, ideoq; humores mouet, neruos laxat atq; rumpit. hinc accidit quod eunuchi non podagriſant, quia non coeunt. ſimiliter nec pueri, nec mulieres niſi ualde raro, quia per menſtrua expurgantur. Hæc infirmitas iuuenibus in Vere adueniens, quadraginta in diebus curatur.

Gutta Podagrica.

Sed si in autumno aduenerit, & ad hyemem usq; durauerit, difficulter
curabtur. cuius ratio est secundū Constant. super Aphoris. astrologiæ
scilicet iuditium. quia prima Lunæ quadra siue ætas calida est & humi-
da, secunda calida & sicca, tertia frigida & sicca, quarta frigida & humi-
da. In prima itaq; ætate infirmitatis istius materia p caliditatē dissolui-
tur, per humiditatem diffunditur. In secunda ætate & quarta, ipsa ma
teria conseruatur. In prima autem ætate lunationis sequentis perfecte
digeritur. unde in secunda ætate Lunationis calidæ & siccæ, ex toto ma
teria consumit. infra septem septimanas, quæ dies sunt. xlix. plena fit cu
ratio, maxime in æstate. in autumno autem & hyeme materia nimis est
compacta, & digestioni inobediens. Initio autem huius infirmitatis pri
mo euacuanda est materia, dein frigidis emplastris exterius appositis in
principio repercuciatur, ut pāniculis lineis aqua rosacea bene tinctis su-
pra inflaturæ locū frequenter positis, & alijs infrigidatiuis, q̄lia sunt illa
quæ somnum prouocant. quære in dict. dormitio. Calida autem & dis
solutiua in principio non sunt ponenda, cum caussa fuerit rheumatica,
siq; materia sit frigida, ne rheuma amplius incendatur, ideoq; in princi-
pio repercussiuis est utēdum fortioribus in caussa calida, anteq; in prin-
cipio materia indurescat. Deinde apponantur subfumigationes & em-
plastra calida uel frigida, secundum quod materia requiret. paciens diæ
ta leui & temperata utatur, à coitu super omnia caueat. exercitium ei le-
ue & mediocre iniungatur. Hæc infirmitas sicut lepra à parentibus in
filios descendit, quia leprosorum & podagrorum filij ex corrupto pa-
rentum humore similem infectionem contrahunt. de quo in dict. faba.
de dolore item Anchæ. in dict. gutta, arthetica.

De Dolore uentris. Cap. CXXXVIII.

Venter aliquando patitur ex ciborum humorumq; lubricita
te & acumine, ut in Dysenteria, Lienteria, Diarrhia. Dy-
senteria fluxus est uentris cum intestini excoriatione, & san
guinolenta egestione, fitq; ex Cholera intestina corrodēte.
Dysenteria.
Quandoq; fit ex phlegmate salso. quādoq; ex melancholia adusta. quā-
doq; ex uitio hepatis. quandoq; ex cōtentiuiæ uirtutis debilitate sangui
nem retinere non ualentis. quandoq; ex nimia sanguinis habundantia.
quandoq; fit ex intestinorum uitio. & sunt tres species. In prima resol-
uitur intestinorum unctuositas, & apparet egestio sicut lotura carnis. In
secunda uilli stomachi abraduntur, & in egestione apparet quasi rasura
pergameni. In tertia emittunt intestina per frustula, & in egestiōe resolu
tiones apparēt carnosæ, neruosæ et arteriosæ. Prima species bene curat,
secunda uix, tertia nunq;. Signa Dysenteriæ sunt sanguinolenta ege-
stio, uen-

ſtio, uentris corroſio, dolor pungitiuus. Quandoq; autem excoriatio fit inteſtinorum ſuperiorum, quandoq; inferiorum, & ſecundum hoc dolor uariatur, nunc ſuperiori in parte uentris, nunc circa umbilicum, nunc in parte inferiori. Ideo ſecundum diuerſitatem cauſſarum iſtius infirmitatis diuerſificari debẽt medicinæ et remedia. quoniã primo purgandus eſt humor peccans & euacuandus, dein debet uentris fluxus reſtringi tam ſyrupis quàm electuarijs, emplaſtris & unguentis, ſtipticis conſtrictiuiſq;. quære in dict. fluxus uentris, reſtrictiua, ſtiptica. Interior autem medicina efficatius iuuat, quando materia in ſuperioribus eſt inteſtinis. Exterior medicina plus adiuuat quando materia eſt in inferioribus, unde tam medicina quàm cibus potuſq;, ſtiptica eſſe debent et reſtrictiua. Lyenteria dicitur quãdo tali in fluxu uentris cibus & potus acceptus, ita crudi ſicut accepti ſunt, quaſi ſine immutatione, egeruntur. Et hoc aliquando contingit ex uillorum ſtomachi abraſione, propter quod ſtomachus cibum retinere non ualet, quandoq; fit ex uiſcoſa & phlegmatica humeroſitate ſtomacho adhærente. Aliquando ex apoſtemate, tuncq; ſtomachus ex cibis plus grauatur, & ideo ſtomachus naturæ ſenſu mouetur ad expellenda cibaria anteq; digerantur. talibus dandus eſt cibus modicus, leuiſſimus & gratus. Hæc ſpecies curari debet ſicut prima, ſcilicet Dyſenteria. Diarrhia eſt fluxus uentris ſimpliciter cum cibi digeſti emiſſione, abſq; ſanguinis egeſtione, ſed in materia liquida. Fit autem aliquando ex ciborum multiplicatione & eorum humiditate & acumine. Aliquando ex Cholera peccante in quantitate potius quàm qualitate. quia ſi in qualitate peccaret, potius Dyſenteriam induceret. Quandoq; fit ex fluxu humoris à capite ad inteſtina defluentis eaq́ue mordicantis uel lubrificantis. Talis fluxus, parum comedendo & bibendo curatur, & bene digeſtibilia, ſi ciborum multitudo ſit in cauſſa. Si procedat ex acumine cibi uel Choleræ, dentur refrigeratiua & humectatiua, ut lactucæ, agreſta, acetum, cucumeres & alia frigida. Si fiat ex fluxu humorum à capite, dentur illa quæ rheuma reſtringunt. quære in dict. catarrhus, rheuma. De remedijs contra Dyſenteriam in dict. Balauſtia, colica, plantago, ruta, menta, dolor uẽtris, fluxus uentris, Lappa, ſalix, dragagantum, hedera, roſa, rubus, uitis. De diuiſiuis quære in dict. anethum, amonium. De remedijs contra dentium dolorem, in dict. anhelitus, Capparis, Balauſtia, Roſmarinus, fœtor oris, gingiuæ, maſtix, lepus, calculus, fluxus uentris, platanus, piper, ſinapis, thus. De aurium dolore & remedijs in dict. Beta, auris, Cõſolida. & in dictionibus incipientibus à litera C. Item pellis ſerpentis in oliuarum oleo decocta, aurium dolorem mirum in modum mitigat. De dolore in generali quære in dict. Chelidonia, amygdalus, anethum, Artemiſia, Platanus,

Lyenteria.

Diarrhia.

Quæ ſint diſſolutiua, quære in dict. laxatiua, acetum, aqua, zuccarũ. De unguento quod uocatur Dialthea, quære in dict. aperitiua. Digeſtiua quære in dict. aperitiua, gariophyli, zinziber, aniſum, ſtomachus, nectar. De dolore mamillarum, qui tam in uiris quàm mulieribus interdum accidit ex coagulatione lactis, quære in dict. faba, mamilla. Ad diſſoluendam talem coagulationem, ſupponenda ſunt maturatiua per modum emplaſtri. uide in dict. apoſtema, maturatiua, caſtanea. De dolore lateris, in dict. anhelitus, latus. De dolore neruorũ, uide in dict. anhelitus, neruus.

De dolore oculorum. Cap. CXXXIX.

Oculorum dolor interdum cauſatur ex uulnere, interdum à puluere teneram oculi ſubſtantiam perturbante. à fumo oculum obfuſcante, à uento frigido ſpiritum uiſibilem repercutiente, ab aëre calido diſſoluente, à nimia ſolis uel alterius exceſſiui lucidi claritate ſpiritum diſgregante. à nimia tenebroſitate ſpiritum uiſibilem conculcante, ab inordinato cibo & potu, ebrietate, uiſum hebetante. à coitu ſpiritum & humorem cryſtallinum oculi corrumpente & diſſoluente, ab humoribus calidis & frigidis, ſiccis uel humidis exceſſiue. Præcipuus autem oculi dolor ab interioribus cauſatur, quando ſcilicet calidum apoſtema ſuper oculorum albuginem ex humoribus confluentibus ad pupillam naſcitur. & hoc accidit ex debilitate oculi recipientis, exq; habundantia ſeu acumine humoris confluentis à cerebro deſcendentis. Tali ex apoſtemate oculus intumeſcit, lachrymatur, ruborem, dolorem, puncturam, feruorem & arſuram ſentit, potiſſime quando cholera eſt in cauſſa, tũc enim uidetur quòd acubus perforetur. Si uero humor frigidus in cauſſa ſit, uel uentoſitas, oculus diſtenditur & grauatur, de nocte inuiſcatur. humores nimĳ effluũt, & illi ſunt uiſcoſi, maxime affligitur in horis phlegmaticis. Si autem ſanguis ſit in cauſſa, ſentitur pruritus, multitudo lachrymarum, & in earũm exitu calor. leuis eſt punctio, maior tumor, & calor in fronte maior, maxime in hora ſanguinis. Iſta infirmitas ſi ab exteriori cauſatur, paciens quieſcat, alto capite dormiat propter lachrymarum fluxum, luminis ſplendorem fugiat, ut maiorem diſſolutiõem diſgregationẽq;. Vocem maxime altam non emittat, ne ex uocis conatu diſſolutio fiat in cerebro. Cibus ei detur frigidus, & leuis digeſtionis, ne fluxus rheumaticus augeatur. aqua clara calidaq; potetur, quia ſui de natura fumos conſumit, neruos confortat, arſuram mitigat. balneis aquæ dulcis temperate utatur, iſtaq; ſeruentur, & curabitur. Si uero dolor ab interioribus fuerit humoribus, humores peccantes purgentur, uel per minutiõem, uel per

Præcipuæ oculorũ ægritudines ab interioribus oriuntur.

congruas

cõgruas medicinas laxatiuas secundũ peccantis humoris exigentiã. Mitigatiua, sanatiuaq; collyria exterius apponãtur, sicut aqua rosacea cũ lacte fœmineo mixta. lachrymæ fluentes restrictiuis restringantur. In principio ergo leuiter apponatur repercussiua & mitigatiua in statu, in augmento mediocriter dissolutiua, & cum illis semper confortatiua. Circa oculi uero apostema nullo modo sunt apponẽda maturatiua, ne oculi substãtia quæ tenera est, dissoluatur si ad saniem pertrahatur. Item si materia est multum calida, & dolor frontis, fortia repercussiua non sunt apponenda, quia materia subito posset repercuti ad neruum opticum, ipsumq; oppilando perpetuam inducere cæcitatem. Lippitudo est oculorũ uiscosa humiditas & superfluitas palpebris adhærens, ex phlegmaticis, melancholicisq; humoribus in oculorum angulis incipiens, palpebras ingrossans & innectens. Hæc oculorũ alba corrumpit, ipsasque palpebras quasi caricas, crudas & nudas facit. Ex illo humore uiscoso à capite ad oculos defluente, quandoq; pupilla uiciatur. Est & alia oculorum passio, quam cõmuniter Maculam uocamus. quæ alio nomine albugo uel pannus dicitur. ista sic generatur. Primo fit fluxus rheumatis ad oculos, de quo fit Ophthalmia, dolor scilicet & apostemata. et quando male purgatur, quædam in oculo remanet macula, quæ longo temporis processu in telam crescit & inspissatur, maioremq; locum occupat, totam scilicet pupillam. Tela autem per maiorem inspissatiõem maioremq; loci occupationem in pannum excrescit, quia oculi nigrum totum occupat. ad ultimũ fit unguis magis spissus scilicet & durus. istorum quodlibet est incurabile si inueteratum fuerit. Quando ergo macula est recens & modica, succus papauris rufi ad medicinam sufficit. Papauer autem rufum seu rubeum, calidum est in primo gradu, siccum in secundo, ideoq; uirtutem habet extenuandi, consumendi, & desiccandi. Plinius etiam refert. sanguis ex summitate alæ dextræ columbæ, hirundinis, uel upupæ extractus, superq; maculam calidus sicut de ala fluit, positus, dictam maculam in principio potenter rumpit. Sanguis enim istarum auium ualde est ignitus & dissolutiuus ex natura auium à quibus procedit. Quædam alia est oculi passio, scilicet sanguinis infectio, quæ uocatur Crustula sanguinis, quando scilicet aliquo in casu sanguis defluens ad oculos in crustula desiccatur. Contingit etiam ab arterijs atq; uenis sanguinem defluere ad oculum, exq; eo talem in oculo deformitatẽ generari. Sanguinẽ item in oculo sic coagulatũ, sanguis turturis siue colũbæ dissoluit, maxime prædicto modo de ala extractus, & calidus oculo instillatus. id ipsum facit lac mulieris thure albo mixtum, per emplastri modũ super oculum positum. Idem facit caseus recẽs sine sale mixtus, cum melle in panno lineo mundo per emplastri modum oculo

Lippitudo.

Maculã, albugo, siue pãnus, oculi quædam passio.

Crustula sanguinis.

ſuperpoſitus. Quandoq; oculus fluxũ patitur lachrymarũ innaturalẽ & inuoluntariũ.& hoc accidit aliquando ab exteriori,ſicut à percuſſiõe ex calidi aëris diſſolutione,uel ex frigidi coartatiõe,ex fumi mordificatione, ex pulueris pturbatiõe,ex ceparum,alliorũ, aliorũq; acuminũ odoratione. Quandoq; procedit ab interioribus,& calidis humoribus,uel frigidis,uel ſuperhabundantia humorũ per incontinentiã effluentiũ ex debilitate contentiuæ uirtutis cerebri,& fortitudine expulſiuæ. Si autem humores calidi ſint in cauſſa,lachrymæ diſtillantes faciem calefaciunt & urinæ,tunc calida obſunt,frigida proſunt. Si uero humores frigidi ſunt in cauſſa, oculi ſunt ſubalbidi uel liuidi, lachrymæ frigidæ faciem non mordificant,tunc frigida obſunt,calida proſunt, & omnia quæ contra rheuma ualent.uide in dict.catarrhus. Ad lachrymationem factam ex percuſſione, alijsque cauſſis exterioribus præcipua cura eſt Camphora cum cymini puluere calefacti per emplaſtri modũ frequẽter ſuperpoſita. dolorem enim ſimul remouet ac lachrymam liuoremq; Si aũt fit cũ uulnere,chirurgicus adhibeatur.Ad alias cauſſas exteriores fomentum ſufficit cum aqua tepida, ita tamen quod tepiditas ad frigiditatem plus accedat. uel cum ſtuppa munda in clarea oui tincta, bene ſoluta eius uiſcoſitate per frequentem concuſſionem. Si uero ex fluxu fiat,humorũq; ſuperhabundantia, humores purgentur, detur Diaolibanum cum uino decoctionis thuris, hocq; præcipuum eſt remedium. In hac cauſa fiant reſtrictiua circa tempora & frontem, cum ſtuppa in albugine oui inbibita,iſtaq; contra fluxum ualent ex cauſſa calida & frigida. Viſus etiam defectus oculis ex multiplici cauſſa accidit. Aliquando ex mala complexione. aliquando ex nerui optici oppilatione, ex catarrho,ex panno,ex macula,ex comeſtione, & inordinata potatione.ex longa ægritudine,ex nimio ieiunio, coituque, ex ſenectute & ſimilibus. Iſtæ cauſſæ propria habent ſigna.Nam ſi defectus accidit ex fumoſitate ſtomachi, uiſus defectus non eſt continuus, ſed interpolatus,quod ex ciborum aſſumptorũ uarietate minuitur uel augetur. Si autem eſt ex uitio cerebri,defectus eſt cõtinuus,ante prandium & poſt. Si ex oppilatione nerui,ipſius ſubſtantia lucida eſt atq; clara. Ad iſtum defectum tollendum,ſi eſt ex uitio humoris,ſtomachus purgetur et totum corpus præcipue caput, & alia membra conuenientia ſecundum conditionem cauſarum ex quibus defectus procedit.

De dentibus & eorum paſſionibus. Cap. CXL.

DEntes diuerſis ex cauſſis paciuntur. & cauſſæ quædam ad oculum ſunt manifeſtæ,ſicut putredines, fœtores,corroſiones,rupturæ, perforationes, motiones, caſus, lunoſitates & ſimilia.

ſimilia.Cauſſa aũt paſſionis dentium aliquando non apparet,ut quãdo dentes nimium dolent,& tamen exterius ſani apparent.Cauſſa aũt talis doloris,cuius cauſſa non apparet,humores ſunt à capite deſcendẽtes ad radices dentium,uel à ſtomacho mediante fumoſitate aſcendentes,& ad radices inde dentiũ deſcendentes. Vel humores acuti in gingiuis cõgregati,tuncꝗ dolor nimius eſt,cum pulſu & ſaltu ſentitur propter humorum maliciã & acumen.Si aũt dentium dolor eſt à capite,grauitas ſentit̃ in capite,& color in facie rubeus ex ſanguine uel cholera ad radices dentium deſcendẽte. Si uero dolor fuerit à ſtomacho,dolor erit ĩ ſtomacho & aſſidua exibit erũpetꝗ eructatio. Dentes etiã aliquando perforant̃, aliquando rũpunt̃, aliquando ex uermibus intus exiſtentibus in colorẽ uiridẽ ſeu nigrũ mutant̃. quæ oĩa ex corruptis & peſſimis humoribus, malis ex cibis generatis,per neruos ad dentiũ ligaturã deſcendẽtibus,accidere dignoſcunt̃.Dentes etiã mouent̃,concutiunt̃,ac titillant̃. Cauſſa aũt motus eorꝫ ſunt humores dentiũ in radicibus.Quod ſi ſunt acuti,neceſſe eſt in dentibus foramina fieri,ac fœtores ibi putredinesꝗ generari ex quibus anhelitus ſentitur fœtidus. Quod ſi uermes intus in corpore dentis latentes in cauſſa fuerint,noxius tunc dolor gignitur,quia corrodendo uſꝗ ad neruũ ſenſibilem penetrant.Dentes etiam interdũ obſtupeſcunt,& exacerbant̃ ex humore acido ſeu uiridi, neruos ſenſibiles intus & extra inficiente,ſicut ſcriptũ eſt. Patres noſtri comederunt uuam acerbã,& dentes filiorum obſtupeſcunt. Nonnunꝗ etiam dentes uidentur dormitare ex cauſſa nimis frigida,ſicut ex niue aut glacie dentiũ neruos conſtringente.Quandoꝗ etiã dentes cadunt ex nimia humiditate,dentium ligamina relaxante. Quandoꝗ ex nimia ſiccitate,ut patet ĩn ſenibus,quorum dentes propter humiditatis nutribilis ſubtractionem dilabuntur.Quàmuis aũt dens de ſe ſit inſenſibilis, tamẽ propter neruũ ſenſibilem qui in eius eſt radicibus,ex prædictis cauſſis alijsꝗ ſæpe læditur & grauatur.uide in dict.alimentum. Quidam dicunt,quod ſi dens canis nigri in manu teneatur, contra eum canes non latrabunt, ideo talẽ dentem latrones ſecum noctu portant. ad idem ualent dẽtes cuiuſcunꝗ canis,ſed præcipue canis nigri. Dentes item equi maſculi ſub capite uel ſuper caput ſtertentis in ſomno poſiti,ne ſtertere poſſit prohibet. Item dentes pulli anniculi equi ſuper puerum ſuſpenſi, cuius dentes cadunt, alios dentes feſtine,ac ſine dolore egredi faciunt.Item qui dentiũ dolorem patitur,& in parte qua dolor fuerit,unum de leporis dentibus poſuerit,dolor ceſſabit.quære in dict.dolor dentium,gingiuæ,lepus, myrrha,cucurbita,oleaſter,platanus,roſa,ſinapis,nitrum,galbanum,maſtix anhelitus,roſmarinus.

Doloris dentium uariæ cauſſæ.

De dulcibus. Cap. CXLI.

DVlcis ſapor quando omni caret macula acuminis, omnibus alijs ſaporibus eſt ſuauior, quoniam natura eius ſanguini eſt uicina. ideo lætificat & mundificat nocumentum guſtus, temperat & humectat temperate ſine labore naturæ.

Dulcedo triplex.

Dulcedo quandoq; eſt pura, quatuor qualitatum mediocriter & temperate contentiua, ut patet in zuccaro. quandoq; eſt uiſcoſitati et groſſiciei admixta, ut patet in dactylis. aliquãdo acumini cõiuncta, ut in melle Prima dulcedo maxime conueniens eſt naturæ humanæ. ſed aliquando accidentaliter nocet, quando ſcilicet plus accipit quàm digerere poſſit. Dulcedo em̃ linguæ appoſita, moderate aperit, moderate calefacit, moderate humectat. unde ſubſtantiæ groſſicies moderate ſubintrans poros apertos, diu ibi manet. proinde tali ex temperantia animus gaudet, atq; plus in dulcedine natura delectatur, quàm alijs in ſaporibus. Nulla item res ita eſt temperata & affinis humanæ complexioni æquali ſicut dulcedo, ideoque humana complexio quæ uicina eſt temperantiæ æquali, in dulcedine ſibi conſimili delectatur. Dulcia autem ſi maiori in quantitate aſſumantur, q̃ natura poſſit digerere, oppilationem cauſant, quia dulcium ſuperfluitas in uenarum poris inuiſcat. Dulcia itaq; membra mollificant, lauant, colant, mundificant, parum naturaliter nutriunt, accidentaliter autem multum.

Dulcium natura & proprietas.

Mollificant quidem, quia earum humiditas materiam reddit mollem, caliditas uero temperate diſſoluit. unde materia quæ prius erat ſpiſſa, modo mollificata abſtrahitur & mundificatur. Parũ nutriũt naturaliter, quia dulcia groſſa ſunt in ſubſtantia, propter quam ſuã groſſiciem poros penetrare non poſſunt, & uenarum ora oppilant, citoq; ſaciant. Accidentaliter tamen multum nutriunt, quoniam dulcia humanæ naturæ complexioniq; ſimilia ſunt & amica, ideo magna in quantitate aſſumuntur. & quia groſſa ſunt in ſubſtantia, calor in ea agens multum ſanguinem generat, & ille ſanguis multum nutrit. Secunda uero dulcedo quæ uiſcoſitati admixta eſt, multũ nutrit ut dactyli, multa nocumenta accidentaliter generat & inducit, nam talis dulcedo oppilationem generat, & putredini etiam facile appropinquat. inflationem, uentriſq; rugitum generat, febrem interpolatam facile commouet & ſuſcitat, cholericã inflammationem cõcitat & augmentat. Ideo dulcedo pura, alterius rei admixtione nõ confecta, inter omnes ſapores maxime ſenſus eſt delectatiua, naturæ amica, eiq; po potiſſime aſſimilatiua. deperditorum in corpore facile reſtauratiua, uirtutũ & ſpirituũ debiliũ maxime cõfortatiua, oĩm mẽbrorum p̃cipue nutritiua. ideoq; amara dulcedine priuata parũ nutriũt, ꝓpter cõtrarietatẽ quam ad humanã habent complexionẽ. Ex commixtione tamen ſaporum inter ſe contrariorũ unus bonus ſapor medius generat, in q̃ dulcedo latitat,

ratione

ratione cuius ſapor ille medius naturæ conueniens, corporis eſt nutritiuus, ut patet in ſalſamentis, & etiam in pigmentis, in quibus contraria ponuntur, unumq; per aliud temperatur. Dulcedo etiam ſpiritualium membrorum eſt amica, & ipſorum leuitiua, omniſq; aſperitatis mitigatiua, uocis clarificatiua, arteriarum quoq; ab omni ſuperfluo purgatiua. Canalium pulmonis, & meatuum pectoris aperitiua, omniumq; immũdiciarum, uuulæ & gutturis exterſiua. catarrhi et humoris ſuperflui circa ſpiritualia diſſolutiua, & omnium organorum uitalis ſpiritus debitam ad conſiſtentiã reductiua. omnis tumoris & Anginæ repreſſiua & ſuffocatiua, humidi in membris ſpiritualibus cõſumptiua. Sed illud eſt ſciendum quòd dulcia appetitus ſunt debilitatiua, quia groſſicie ſuæ ſubſtantiæ ſtomachi uacuitatem cito replent, & meatus oppilant. Sunt item choleræ rubeæ augmẽtatiua, cũ em̃ ſint calida, calidi humoris ſunt excitatiua. ideo illis nocent qui ex cauſſa calida & incẽſa infirmant̃. Item putredinis & corruptionis ſunt inductiua, quando em̃ ſuperhabundãs calor ſuperhabundantẽ diſſoluit, totũq́ue cõſumere nõ ſufficit, materiã corruptã relinquit. Ideo ſplenis, renũ, & hepatis ſunt oppilantia. hocq́ue accidit, quia groſſicie ſuæ ſubſtantiæ illarũ regionũ poros obturant, uel quia partes illæ ratione dulcis & placentis ſaporis plus deſiderãt ꝙ cõſumant, igit̃ ex ſuperfluo humore attracto, & nõ digeſto, nec aliàs euacuato, partes illæ oppilantur. Dulcia item quoniam ſunt oppilantia, ideo & calculi generatiua tam in renibus quàm in ueſica. quære in dict. zuccarum, acetum, dactylus. de dulcibus in dict. amara.

Dulcia appetitum debilitant.

De Dactylis. Cap. CXLII.

DActyli ſunt fructus Palmæ calidi. & illi qui bene dulces, maturi & unctuoſi, ſunt laudabiliores. Nimius tamẽ eorũ uſus eſt nociuus. nam inflationes generãt, dolorẽ oris, ſtomachi & etiã capitis præſtãt. ſplenis, hepatiſq́ue meatus oppilãt & claudũt. Ex quo patet, quod multũ uti dulcibus ſit malũ, quia magnum interdum inferunt nocumentũ. nam dactyli ſunt ad digerendum duri, ꝙuis ſtomachũ aliquantulũ confortent, tamẽ ab ipſo nõ facile recedũt. unde morã ibi diutius faciẽtes, torſiones ibi ſæpius generãt inducuntq; Dactyli autem ad medicinã ualent, habent enim uirtutem leniendi aſperitatem arteriarũ, & clarificandi uocem, præcipue quãdo bene ſunt maturi. nam ſunt uirides ſtiptici, ideoq; cibo non cõueniunt. Dactyli etiam contra Dyſenteriam ualent, & alios fluxus quando debito modo apponuntur. quære in dict. dulcia.

De Delphino piſce. Cap. CXLIII.

PIſcis qui Delphinus uocatur, hominum in uocibus, atq; inſtrumentorum muſicalium ſonis admodum gaudet. Etenī ad eorum ſonitū Delphini congregantur. quorum ſaltus & ludus circa nauem, uel in ipſis fluctibus futuram ſignificat tempeſtatem. Delphino nullus in mari piſcis uelocior. De ſiccatiuis in dict. dolor anchæ.

De nocumentis ebrietatis. Cap. CXLIIII.

LInguæ balbuties nimia ex humiditate accidit, quādo linguæ lacerti præ nimia humiditate exterius dilatari nequeūt, ut eſt uidere in ebrioſis, qui balbutiunt quando in cerebro nimio perfunduntˉ humore, unde Gal. ait. Naturaliter balbutiētes, uel propter nimias cerebri humiditates balbutiunt, uel ꝑpter linguæ humectationes, uel propter utrunq;. Illa quoq; ſuperflua humiditas cauſſa eſt quare aliqui literas quaſdā ꝓferre nō poſſunt. proferūt eñ e. pro c. h. pro ac. quod patet in infantibus qui multas literas corrumpunt, easq; proferre nō poſſunt. Talis aūt nimia humiditas frequēter à cerebro ad ſtomachū deſcēdit & inteſtina, & ſæpe lubrificādo Diarrhiā inducit, id eſt fluxū uentris. Ebrietas quandoq; aufert ſomnū, & uigiliā inducit immoderatā. q̄niā immoderata uigilia nōnunq̄ fit ex caliditate & ſiccitate cōplexionis. aliquādo ꝑpter ſpiritus ingenitatē, qui ſemp mouetˉ ad exteriora, & ſic aliquis nō quieſcit. Quādoq; ꝑpter malā materiā cerebrū lædentē, ſicut accidit in diſpoſitis ad Phreneſim et Maniam. Aliquando propter uaporem malū cerebrū perturbantem & eius ſubſtantiā, ſicut accidit in diſpoſitis ad melancholiā. Interdū ex uiſcoſitate humiditatis in cerebro exiſtentis, ut patet in decrepitis. Nonnunq̄ cauſſa uigiliæ inordinatæ eſt dolor tam corporalis q̄ ſpiritualis, quia uterq; dolor ſpiritū nō ꝑmittit quieſcere. Quādoq; in cauſſa eſt malicia digeſtionis & nimia repletio, ſpiritū animalē opprimēs, & quieſcere nō ꝑmittēs, ut patet in nimium ebrioſis, in quibus uini fumus acutus neruos ſenſibiles pūgens & lædens, quieſcere eos nō ꝑmittit, talesq; ſæpe ad mortē uel furorē diſponuntˉ, niſi ab arte uel natura ad dormiēdū citius inducantˉ. Vnde uigilia inordinata calorē augmētat, corpus tenuat & deſiccat, oculos & palpebras nimis grauat, uiſum hebetat & debilitat, & uires eneruat. Ebrietas item mentē in furorem mutat, & in impetum mali, obliuionemq; boni. Ebrioſo ineſt pallor faciei, genæ efficiuntur pendulæ, oculorum adſunt ulcera, manus tremulæ, lingua ligata, poſtero die eructationes quaſi euaporationes de ſepulchro, & grauiſſimæ ſentiuntur in capite punctiones. Palatum amaricat, cholera ex calido uini fumo incenditur, æſtuans ſitis guttur torquet. nam hæc uinum neceſſitas ſequitur, ut bibendi conſue-

Ebrietatis incommoda.

consuetudo rebibendi pariat auiditatem. ideo uinolenti more sanguisugæ, quanto plus bibunt, tanto plus sitiunt. Isaac item dicit, si uinum sæpe ad ebrietatem usq; sumptum fuerit, rationis lumen extinguit, & uim brutalem cõfortat. Vnde in ebrietate corpus remanet uelut nauis in mari, non habens gubernaculum uel rectorem, & sicut militia nõ habens ducem nec rectorem. propter quod ebrius rei non amandæ fauet, quodq; non est laudabile, laudat. de sapientibus facit stultos, de beneuolis peruersos & malignos. nam ebrietas uiciorum fomes & caussa est. Ebriosi enim in homicidia, adulteria, furtaq; incidunt. quære in dict. uinum. Vt homo nõ inebrietur, de pulmone comedat arietis, aut herbam Portulacam, aut auellanæ nucleos non recentes, aut carnes porcinas pingues, & non inebriabitur. cuius ratio est, quia ista in ore stomachi manent, & fumorum ascensum ad cerebrum prohibent. De nocumentis quæ infert ebrietas, in dict. abstinentia, caput, dolor capitis, crocus, Compositum cibus, uinum, Paralysis, potus. Prædictis in locis remedia etiam ponuntur contra ebrietatem.

De Hepatis infirmitatibus. Cap. CXLV.

DE diuersis hepatis infirmitatibus, eiusq; remedijs, quære in dict. color. Hepar siue iecur est fons sanguinis, & ab ipso sanguis in totum corpus diffunditur. Nam hepar primæ digestionis succositatem per uenas quasdam suam ad concauitatem contrahit, & per caloris naturalis ebullitionem celebrata digestione secunda, in massam sanguineam, & quatuor humorũ naturam conuertit. Quod enim calidum est & humidum, in sanguinem transit, cuius receptaculum sunt uenæ. Quod calidum est & siccum, in naturã transit choleræ, cuius proprium receptaculum est fellis cistula. Quod uero frigidum est & siccum, in naturam cedit melancholiæ, cuius proprium receptaculum est cistula splenis. Quod autem liquidum est & aquosum, siue frigidum & humidũ, transit in phlegma, cuius receptaculum est pulmo. Hepar autem siue iecur multifariam patitur, exq; multiplici caussa. Quandoq; ex nimia frigiditate, quæ impedit conuersionem attractæ succositatis in naturam sanguinis, ex quo sæpe contingit Hydropisis, quæ nihil aliud est q̃ error uirtutis digestiuæ in cõcauitate hepatis. Hac autem uirtute errante, & in sua operatione deficiente, corpus quod inde nutritur, distenditur, unde Hydropisis generat. Patitur etiam nimio ex calore humorem sanguineum desiccantem, & substantiam uenarum hepatis contrahentem, propter quod sanguis ad alia corporis mẽbra nutrienda libere se distendere nõ potest. Signum aũt quando hepar est calidum, amplitudo uenarũ nõ pulsatilium, ut refert Alex.

Hepar sanguinis fons.

Quando uehemens in hepate calor dominatur, hepar maius fit, uenaq́ eius magis dilatatur. ea autem magnificata, omnes uenæ non pulſatiles in omnibus membris magnificantur, et ſanguis caleſcit. hac calefactione nonnunq́ꝫ immoderata Cholera citrina generatur, & per ipſius tempo ris conceſſum poſt ſtatum adoleſcentiæ cholera citrina aduritur, fitq́ ex ea cholera nigra, & diuerſæ aliæ paſſiones accidunt. quoniam Icteri- cia ſiue color croceus in oculis & facie cauſatur. quære in dict. Ictericia, beryllus, ſanguis, cucurbita, ſambucus, heliotropium, morus.

De Diptamo. Cap. CXLVI.

DIptamus eſt herba quæ uirtutem habet attrahendi uenenum, con- ſumendi & diſſoluendi. Vnde ualet cõtra uenenoſos morſus, ſiue ſuper morſuræ locũ ponatur, ſiue cum uino bibatur, & uirtutem qua- ſi habet theriacę. Epilepticis & paralyticis cum Rutæ ſucco multum ſub- uenit.

De Dracontia. Cap. CXLVII.

DRacontia eſt herba quæ haſtam habet maculoſam ad mo- dum ſerpentis, unde Serpentaria dicitur. Radix eius exic- cata, pulueriſataq́ cũ aqua roſacea, faciem mundificat & de ſiccat. os etiam ſiue aperturam eius ita dilatat, ut os fractum ſiue putrefactum extrahi inde poſſit. Cum aceto & calce uiua cancrum curat. folia eius in uino decocta apoſtema maturant. Succus eius audi tum frigida ex cauſſa læſum ſanat, uiſum clarificat, hæmorrhoidas ſan guine fluentes conſumit & deſiccat. odore ſuo ſerpentes fugat, nec à ſer- pente læditur qui eius ſucco linitus uel inunctus fuerit.

De Dragaganto gummi. Cap. CXLVIII.

DRagagantum eſt gummi cuiuſdam arboris. illud autem quod al- bum, purum & clarum, melius eſt. Virtutem habet infrigidandi, humectandi, mundificandi ex frigiditate & humiditate. conglutinandi ex ſua gũmoſitate. In electuarijs & ſyrupis poſitum, ualet contra uitia pectoris. nam pectus ſiccum humectat, humorem perditum reſtaurat, Tuſſim ſedat, labiorum ſciſſuram, oriſq́ ulcerationem conglutinat & ſanat, faciem mundificat & dealbat, artheticos iuuat, contra Dyſenteri- am prodeſt. De diſlocatione iuncturarum in dict. gutta. De Eunu- chis in dict. barba, ſpadones, caſtratus, dolor anchę, luxuria.

De exercitij utilitate. Cap. CXLIX.

EXercitium neceſſarium eſt ad cõſeruationem ſanitatis naturæ. Eſt autem exercitium quoddam animale, quoddam corporale. Animale exercitium, ſcilicet uigilia, ira, triſticia, ſolicitudo & ſimilia, ſi moderata fuerint, ad animæ corporiſq; ſanitatem multum ualent. Exercitium uero corporale ſi fuerit immoderatum, corpus calefacit & deſiccat. Tale autem exercitium ut ſit moderatum, penſari debet ſecundum conſuetudinem, ætatem, tempus, aliaſq; laborantis circumſtantias. Siquidem tale exercitium corporale moderatum, multam affert utilitatem. quippe calorẽ naturalem excitat ſuperflua diſſoluit, membra indurat ne facile lædãtur, & eis ſoliditatem tribuit. Exercitium item temperatum ante prandium ualet, ut reſolutiones factæ lubricæ & reſolutæ per exercitium euacuentur, ne cibus ſtomachi in orificio corrumpatur. Valet etiam poſt prandium, quia uirtuti digeſtiuæ cooperatur ad ciborum decoctionem. dum tamen ualde ſi temperatum. Sed ſi nimium, non eſt bonum, quia eſt cauſſa calefactionis membrorum tam exteriorum quàm interiorum. et calor qui debet adunari, & ad interiora recludi ad digeſtionem, tunc diſgregratur & ad exteriora diffunditur. Vnde ſapiens quidam interrogatus, ad quid utilis eſt exercitatio corporalis? Reſpondit. Honeſtus labor humanæ uitæ fida eſt cuſtodia, dormientis naturæ ſtimulus, ſopiti caloris luna, ſuperfluitatis conſumptio, uitiorum fuga. morborum mors, languorum medicina, temporis lucrum, iuuentutis debitum, adoleſcentiæ diſciplina, ſenectutis gaudium, ſalutis adiutorium, æmula & expultrix omniũ malorum, otij inimica. ille ſolus ab exercitio ſe ſubtrahit, qui felicitatis gaudio uult carere. Iſta uerba dicit Fulgentius contra otioſos in ſermone ſuo, ubi illud uerbum Prouerbiorum. xxxi. exponit. Panem ocioſa non comedit &c. Conſimili modo dicendum eſt de quiete & otio. Sicut enim ad naturæ conſeruationem neceſſaria eſt exercitatio, ſic & quies temperata. quando enim quies nimia, tunc eſt otium, & malorum humorum generatiua, nutritiua, multiplicatiua, corruptionis inductiua. Nam aquæ quãdo nimis quieſcunt, putreſcunt. ferrum etiam & quodlibet metallum rubiginatur, quando minus debito eſt in exercitio. Qui ergo nimium ſe exercitant, nimiſq; laborant, propter nimiam caloris intenſionem, humorem nimis conſumentem, ſe deſtruunt & conſumunt In nimium uero quieſcentibus cauſa eſt contraria, quia in ipſis magna & immoderata humiditatis eſt attractio, & nulla uel modica ſuperfluitatis emiſſio ſeu euaporatio, nec ſpirituum ſubtiliatio, ideoq; ſuperflua humiditas neceſſario ad putrefactionem & corruptionem diſponitur.

Exercitium duplex.

Exercitij corporalis fructus & utilitas.

De diuerſis Electuarijs. Cap. CL.

ELectuarium pro his qui Colicam paſſionem paciuntur, electuarium itē de omnibus generibus Myrabolanorū. Recipe uuarum paſſarum lib. ij. & ponantur in duabus libris aquæ cum dimidia, illa aqua cum prædictis uuis paſſis coquatur, quæ decoctio poſtea per ſtaminiam, uel per pannum mundum exprimatur & coletur. illaqúe in colatura ponantur Myrabolanorum ab oſſibus mundatorum & contuſorum bene in mortario, Chebulorum citrinorum & Indorū an̄. ℥. ij. Emblicorum & belliricorum an̄. ʒ. ij. coquantur, exprimantur & colentur. illi colaturæ addatur zuccari albiſſimi lb. j. illud poſtea decoquatur, & cum totus ſyrupus decoctus fuerit, ſequens puluis addatur. Recipe Cinnamomi electi. ʒ. ß. gariophylorū Galangæ an̄. ʒ. ij. nuces muſcatas. ij. bonas & groſſas. fœniculi & aniſi an̄. ʒ. j. & plus, & cum iſta bene mixta fuerint, reponatur electuarium in pyxide de ligno. Hoc electuarium uocatur uiſus uel uitæ, eo quod (ut refert Raſis) ſtomachum corroborat atq; aptat, & humorum ſuperfluitates ex nutrimento præterito remanentes exprimēdo purgat. Quo ſiquis utatur, colorem aquiret bonum, & canicies eius tardabitur. Iſtud electuariū recipitur hoc modo. Qui indiget, recipiat in aurora uel paulò ante unum cochlear, & poſtea aliud de aqua frigida. cum aqua etiam abluat os & manus, q̄ facto lectū intret, & aliquantulū dormiat. poſtea ſurgens per cameram ſpacioſe uadat. ſi etiam anteq; lectum iterum intret, poſt electuarij receptionem aliquantulum ambulauerit per cameram, utilius erit. Aliud electuarium optimum pro cerebro, ſtomacho, renibus, & omnibus membris confortandis. Recipe Cinnamomi, Doronici, gariophylorum, Macis, nucis muſcatæ, folij, Galangæ an̄. ʒ. iij. Spicæ, Cardamomi maior. & minor. an̄. ʒ. j. zinziberis. ʒ. j. ß. Sandali citrini, ligni aloes, piperis longi an̄. ʒ. ij. Ambræ aur̄. j. muſchi. ʒ. ß. Cubebarum ʒ. j. conficiantur prædicta cum ſyropo aut zuccaro roſato. electuarium hoc uocatur Diambra. Ad idem aliud electuarium quære in dict. ruta. Electuaria quæ ſequūtur, contra diuerſas dantur infirmitates. Contra colicam paſſionem in dict. electuarium. Contra tuſſim & impedimenta pectoris in dict. calamentum. Ad confortandum ſtomachum, caput & cerebrum in dict. Ruta. Contra cardiacam & omnes cordis paſſiones in dict. ceruus. Contra lachrymarum fluxum, & humorum ad oculos in dict. dolor oculorum. Contra uomitum in dict. febris continua. Ad laxandum uentrem, & purgandum ſanguinem, & contra uentris paſſiones in dict. uiola, laxatiua. Contra quartanam in dict. quartana.

Electuarium uiſus ſeu uitæ.

Diambra electuariū

De Ephimera febre. Cap. CLI.

FEbris quæ uocatur Ephimera, quaſi unius diei feruor dicit. Nam feruor eius communiter uix aut raro ultra unius diei ſpatium ſe extendit, niſi malo ex regimine in febrem putridam, aliamúe conuertatur, uel in Hecticam. Iſta autẽ febris à cauſſa accidit interiori & exteriori. Ab exteriori aliquando à frigore, à calore, ut ex ſubita frigiditate aëris, quando ſcilicet poris ſubito exterius clauſis, fumi calidi intus includuntur, & ex eorum inculcatione & multiplicatione calor intenditur, ex quo cordis diſtemperantia generatur. Quandoq; accidit ex calore & diſtemperantia aëris ſiue ſolis. quãdoq; ex radiorũ forti repercuſſione ſpiritus animalis diſtemperat. Quãdoq; accidit à cauſſa interiori. quandoq; ex calore ſpirituũ uel humorũ. Complexio hominis caſu aliquo ſubito immutat, ſicut ex nimia exercitatione præcedente. ex nimia calorũ frequentia & huiuſmodi, ex quorũ nimio uſu calor aliquoties intenditur, & febris quæ dicitur Ephimera, generatur. Iſta febris bono cum regimine citius ꝙ quædã alia curat, & facilius incurrit. Eſt autem ualde periculoſa quando in putridã uel Hecticam conuertitur. Accidit aũt iſta Ephimera præcipue ex quibuſdam apoſtematibus in inguine naſcẽtibus, & ſub axillis & in coxa, quæ à medicis Bubones nominant. à quibuſdã uero glandulæ dicunt. Signa autẽ quod febris ſit Ephimera hæc ſunt. Vrina non multũ diſtans à ſana, aliquantulũ incenſa, & ſubtilis. pulſus durus, uelox ac freq́ues, nõ multum à temperato recedens. Aliæ uero uirtutes, appetitus & motus uoluntarius parum immutantur uel impediuntur. Iſta febris non alia medicina indiget quàm bona diæta, temperataq;, ita ut paciens perinde ac alijs in febribus abſtineat, niſi forte à nimio accidiſſet frigore interiori. quære in dict. Hectica febris.

Ephimera à cauſſis interioribus & exterioribus accidit.

De Hectica febre. Cap. CLII.

HEctica febris ideo dicit, quia cõuerſa eſt in habitũ. Et aliquãdo eſt morbus per ſe, aliquando cauſat ex alio morbo præcedente, ſicut ex Ephimera, aut ex febre putrida interpolata uel continua uel acuta. Aliquãdo propter calidum apoſtema, aliquando eſt morbus per. et fit ex cibis potibusq; nimis calidis. Aliquando propter immoderata exercitia, ut propter immoderatum ſtudium, uigilias, ac ſimilia, quibus ſpiritus animalis immoderate calefit, & per conſequens uitalis, & ita humiditas naturalis calefit & minoratur, inducitq; Hecticam. Sæpe autem contingit quod Ephimera tertiũ diem excedit, una in qualitate conſiſtens, tuncq; in cute infirmi apparet obtuſitas, liuiditas, citrinitas, cõſumptio, unde ſignũ eſt ꝙ Ephimera illa conuertit in Hecticã. Hoc autẽ maxime accidit ex Ephimera quæ creata eſt

ex mētis anguſtia, triſticia, ira, ſtudio, immoderata uigilia, et cōſimilibus animæ exercitijs. Ex febre interpolata, quia calor naturalis membra calefacit. Propter acutā, quia calefacit ſanguinem, & prædominans ſubſtantialem cōſumit humiditatē. Quando aūt ſanguis extenuat̄, membra debito modo non nutriuntur, ideo membrorꝫ ſequit̄ cōſumptio. Signa aūt Hecticæ febris in genere hæc quatuor ſunt. Primū, quia calor nociuus, qualibet in parte corporis æqualis. Secundū, quoniā calor leuis eſt, nec pungitiuus, ideo talē qui paciunt̄ febrē, ſe pati uix ſentiunt. Tertium quod eorū color liuidus eſt, plumbeus uel citrinus. Quartū, quod eorū cutis ſiue pellis aſpera eſt, oculi caui, ſiccā emittentes lippitudinem. Sunt autē tres ſpecies Hecticæ, ſigna uidelicet generalia ſuperius poſita. eſt & aliud ſignū ulterius, quia calor ante prandiū augmentat̄. In ſecūda calor poſt prandiū plus ſentit̄. In tertia uero ſpecie maxime ſentit̄, quia cibi humiditas calori naturali eſt contraria. ideo calor naturalis interius ante prādiū ſopitus per ſuū oppoſitum excitat̄, & cōtrariū fugiens ad mēbra exit. proinde calor ille poſt comeſtionē in ſecūda et tertia ſpecie maxime ſentit̄. Quemadmodū ubi aqua frigida ſuper calcem uiuam proijcitur & infunditur, calor qui in calce erat incluſus, contrarij præſentiā fugiēs, ſcilicet aquæ frigidæ, ad partes exit talis calcis exteriores. Tertia Hecticæ ſpecies ſtatim apparet in facie. nam facies liuidum in colorem mutatur, propter ſubtilē humiditatem deſiccatā, atq; uirtutis defectū. Nares ſunt ſubtiles & acutæ, oculi concaui, tēpora aſpera, quia humore conſumpto, & cute per calorē deſiccata, oſſiū apparet aſperitas & cōpago. palpebrarū motus & ſuperciliorꝫ, propter oculorum ſiccitatē fit grauis unde oculos inuitus claudit, quaſi à ſomno grauati propter uirtutis defectū. Si tangunt̄, frigidi ſentiunt̄ & ſicci, ſed per morā ſemp̄ calor maior aſcendit. in uentre deſtructi non uident̄ habere uiſcera ſeu inteſtina. pectus eorum ſiccum quaſi tabula. Cutis ſi trahatur remanet rugata, non deſcēdit ꝓpter humiditatis defectū. pulſus debilis eſt & ſpiſſus, durusq; urina ſimilis in liquore oleo, et ſi ſupra petrā fundat̄, ſonū edet ſicut oleū Hectica ſi in prima ſpecie fuerit, per diætā curatur temperatā mediocriter. unde uti debet gallinis, hœdis, caponibus, perdicibus, & uitulo. de lacte parꝫ cœnare, uti pulmēto de hordeo cū bono zuccaro maxime in cœna. Iuuant etiā medicinæ caloris repreſſiuæ & confortatiuæ, humorisq; ꝑditi inſtauratiuæ. Ad hoc p̄cipue ualet electuariū reſtauratiuū, multū ꝓdeſt balneū cū roſis, uiolis, maluis, chamomillis, alijsq; herbis cōfortatiuis, nō tamen calidis ſed humectatiuis. Balneū aūt nō debet eſſe nimis calidū, ſed quaſi tepidū, ne nimia humorꝫ cōſumptio cōſequat̄. et in balneo non magna fieri debet mora. Talium etiā corpora unguentis inungant̄ reſūptiuis, infrigidatiuis, & humectatiuis, ſicut oleo uiolaceo, melle albo

Hecticæ ſpecies tres

& lacte

& lacte mulieris masculum nutrientis. Hecticis autem & phthisicis præcipue ualet lac caprinum, in quo lapides fluuiales, scilicet calculi igniti, extinguuntur, si talibus ieiuno stomacho & inanito huiusmodi lac tribuatur. Talibus quoq; plurimum ualet lac asinæ calidum potatum. de Hectica uide in dict. autumnus, complexio, caluitium, phthisis, febris.

De Phthisi. Cap. CLIII.

PHthisis est consumptio naturaliũ humorũ corporis, proueniens ex pulmonis ulcere. Quæ ulceratio aliquando fit ex rheumate distillante à capite in pulmonem, quem percutiẽdo cauat atq; ulcerat, sicut gutta paulatim stillando cauat lapidem. multis etiam alijs caussis pulmo ulceratur. Ex tali pulmonis ulceratione totum corpus consumitur. Febris autem hectica phthisi communicat. omnis enim phthisicus est hecticus, sed non econtra. talis autẽ passio scilicet Phthisis ex ulceratione pulmonis difficulter curatur. Qui autem uult Phthisim sanare, primo sanet ulcus pulmonis anteq; putrescat. Istius autem Phthisis confirmatæ signa sunt. calor continuus, sed lentus in uolis manuum atq; pedum, ac lassior, rubor in maxillis, strictura inflata, succus cum asperitate, colli gracilitas, totius corporis consumptio: cõcauitas secundũ orbes oculorum, dolor sinistræ spatulæ usq; ad humerũ, fluxus capillorum. hocq; mortis est signũ proxime imminẽtis. Sputum quoq; fœtidũ, uirulentum, & anhelitus consueto plus fœtidus substantiæ pulmonis totam corruptionem significat. Talibus prosunt humectatiua, & humoris consumpti restauratiua, tenuis diæta, utq; bona, delicata, ac digestibilia comedant. & talis sit diæta quæ refrigeret & solidet, mediocriter frigida, caloris febrilis mitigatiua. Omnino autem cauẽdum est ne uentris fluxus superueniat, quoniã hoc esset mors. Decoctio seminis Maluæ si bibatur, aut corpus inde lauetur, phthisicis ualet, & contra tussim.

Phthisis cõfirmatæ certiß. inditia

De Hæmorrhoidibus. Cap. CLIIII.

HAemorrhoides sunt uenæ existentes in ano, ex quibus diuersæ fiũt passiones. Aliquãdo eñ fit inflatio, & retẽtio fluxus sanguinis: quandoq; autem superfluitates corporis ui naturæ ad illas partes transmittuntur, ruptisque uenis illis emittuntur, tuncq; corpus à diuersis ægritudinibus liberatur. Si uero fluxus fuerit immoderatus, multæ infirmitates generantur. Quando autem præter consuetudinem retinentur, & non fluunt, quandoq; generatur Hydropisis, Phthisis, Mania, Melancholia, multaq; mala alia. Inflãtur autem hoc modo. Superfluitates spissæ & fœculentæ ad illarũ

ora uenarũ descendentes, ea inspissant, & ingrossant, unde inflatio fit & dolor magnus. Quandoq; orificia illarum uenarum ex intensa siccitate coartante inspissantur. Quandoq; autem fluunt immoderate, tunc à chirurgicis uruntur, cicatrisanturq;, & extunc uix aut nunquã aperiuntur. hoc autem facere non est tutum, nisi fluxus adeo esset immoderatus, ut magnum debilitatis periculum timeretur. Quandoq; ex sanguinis spissitudine uenarum capita oppilantur. aliquando ex nimio sanguinis acumine & liquiditate nimis fluunt. Quando autem nimis retinentur, clauduntur q; sequitur grauedo capitis, pallor faciei, liuiditas, ponderositas renum & coxarum, dispositio ad Hydropisim & Phthisim. Nimium autem fluxũ sequitẽ debilitas, & extenuatio corporis, mutatio coloris, dolor & torsio inferioris partis corporis, siq; continuus fuerit & immoderatus, pessimæ generantẽ passiones. Remedia sunt ista. Si nimis fluant, apponantẽ restrictiua ad uenarũ orificia, & detẽ medicina restrictiua. Valde tamen est cauendũ ne subito et in totũ restringantẽ, sed paulatim, maxime si morbus fuerit inueteratus, ne sanguis subito repercussus ad membrum aliquod interius refundatur, & peior morbus generetur. Vnde si multæ sint curandæ, nimisq; fluant, nunquã sic claudi debent, quin una semper maneat aperta, maxime si morbus est antiquus. Si uero nimis clauduntur, ad uenarum capita apponi debent aperitiua, & aliquãdo confricentur cum succo cepæ. Ibi autem rarefactiua & aperitiua per modum emplastri ponantur. Si ille qui patitur hæmorrhoidas, super leonis pelle sederit, curatur. Et si tibiæ ex retentione hæmorrhoidarum inflatæ calido in aceto lotæ fuerint, facile detumescunt. Virtus aperitiua operatur per calidum & siccum subtili cum substantia, ut patet in cepis, allijs, succo porri, alumine & similibus: quorum ex confricatione hæmorrhoidarum ora aperiuntur & prouocantur. teste Constant. Ferrugo, id est, limatura ferri, si cum uino bibatur, hæmorrhoidas nimis fluentes claudit. Cepe item temperate comestum uenarum ora hæmorrhoidarum aperit, & urinare facit. Gith est genus leguminis in quantitate cymino simile, sed nigri coloris. uirtutem habet dissoluendi, aperiendi, uentositates extenuandi, & hæmorrhoidas inflatas sedandi, earumq; fluxum restringendi. Et cum melle uentris lumbricos necat. cuius decoctio in aceto aurium uermes occidit si auribus tepida instilletur. apostema rumpit si cum furfure & lini semine, ac columbarum fimo in uino decocto emplastretur. Dicitur etiam ualere contra lepram, si cum Raphano & sale modico apponatur. menstrua prouocat, & aborsum procurat, si inde subfumigetur. Contra stranguriam, id est, difficultatem urinandi, & contra passionem Iliacam, uinum in quo Nigella per

noctem

noctem infuſa fuerit, propinet. nec decoqui debet ne nimis uiolenta efficiatur. Nam Conſtant. refert, Nigella multa in quantitate ſumpta interficit. De remedijs hæmorrhoidarũ in dict. apium, appetitus, cepa, mandragora, Iaſpis, Topaſius.

De Emplaſtro. Cap. CLV.

TErra ſigillata ſeu argilla quæ eſt uena terræ, frigida ſingulariter & ſicca. A quibuſdam uocatur terra argentea, quæ eſt ſubalbida, aromatica atq; clara. Potiſſima eius uirtus eſt reſtringere. Nam puluis eius cum oui albumine diſtemperatus ſi per emplaſtri modũ ponatur, ſanguinis fluxum reſtringit. Valet etiam contra inflationem pedum & Artheticam, ſi ſuper locum pacientem emplaſtretur. Agnus anniculus, ætate unius anni eſt completus. Agnus autẽ nigrum habet fimum, qui ſi cum aceto diſtemperetur, & facies ubi ſunt maculæ inungãtur, ipſas emundat, ignem ſacrum curat. cum cera & oleo mixtus, combuſturas ſanat. Emplaſtrum ad tollendum dolorem, tumorem, liuorẽ, qui ex ictu cauſat, uel ex caſu, aut ex quaſſatione oſſium. Recipe de ſucco Abſynthij unum plenum cyathum uitreum. de cera item uirginea ad quantitatem medij oui, quæ minutatim dicto cum ſucco miſceatur, & ponatur in teſta uel in aliquo uaſe ad ignẽ donec cera bene liquefacta & cum dicto ſucco mixta ſit. Deinde uas illud cum Abſynthio & cera de igne extrahetur, & priuſquam infrigidetur ſuccus cum cera liquefacta, pulueres de incenſo ad quantitatem mediæ teſtæ oui, & tantundem de Cymino bene pulueriſato inijciant, fortiterq; miſceantur. Ponatur etiam ibi de oliuarum oleo ad quantitatem medij oui, & bene miſceantur omnia. & poſtquam infrigidatum fuerit nimis liquidum, inſpiſſetur, de prædictis pulueribus amplius adponendo. Si fuerit nimis ſpiſſum, ponatur ibi plus de oleo, uel de gumma liquida, cum qua cera gũmatur, ita quod ſit ad modum unguenti. Poſtea accipiatur aliqua quantitas, & ponatur extendaturq; aliquo in panno lineo admodum mundo, calefiat ad ignem, ſicq; calefactum ſuper locũ læſum tantiſper ponatur, quoad dolor, liuor, tumorq; penitus euanuerint. Emplaſtra quæ ſequuntur, contra diuerſas ualent paſſiones. Contra fluxum ſanguinis, de quo uide in dict. emplaſtrum, argilla, aſinus, cyminum. Contra inflationem pedum, in dict. emplaſtrum. Contra Artheticam & guttam ſchiaticam in dict. emplaſtrum, dolor anchæ, argilla, aqua roſacea ſiue roſæ, aqua ardens. Contra ignem ſacrum in dict. emplaſtrum, agnus, macula faciei. Contra uenenum in cibo uel potu ſumptum, in dict. allium, ariſtolochia, lactuca, muſca, nux, oculus, butyrum, pix, porrum, aranea, canis rabidus. Generale etiam remedium

Agni fimus medicinalis.

Emplaſtrum ad dolores, tumores, liuoresq; ſedandos & tollendos.

contra morſum ſerpentis, ſcorpionis, araneæ, ac cuiuſcunq; animalis uenenoſi tale eſt. Si illud animal quod momordit haberi poſſit, ipſum totum (uel pars eius) tritum per emplaſtri modum ſuper morſuræ locum ponatur. Quod ſi illud haberi non poſſit, idem de animali quopiam fiat eiuſdem ſpeciei. Contra humorum fluxum, lachrymarumq; deſcendentium ad oculos, gingiuas uel fauces, ſeu faciem, in dict. thus, dolor oculorum, roſa, lachryma, rheuma, cerebrum. Contra uentoſitatem in dict. ſal, aniſum. Contra dolorem iuncturarum, ſiue procedat ex laxatione nerui, ſiue ex iuncturarum dislocatione in dict. anhelitus, neruus, confractio oſſium, caſus & quaſſatio, ebulus, thus. Contra dolorem uentris & renum in dict. milium, torſiones, apium, pirus, zinziber. equidem milium modico cum ſale in teſta quadam aſſatum, ſi calidum ſic et ſiccum, quodam in panno lineo per emplaſtri modum ponatur ſupra uentrem, dolorem tollit. Contra fluxum uentris in dict. capra, amomum, ouum, Contra dolorem & liuorem faciei, uel alterius partis tantum ex caſu, uel ex percuſſione, in dict. liuor, dolor capitis. ibiq; ponitur quomodo ad hoc ualeat abſynthium, in dict. dolor oculorum. Contra maculam oculi ex tinctione ſanguinis, uel humore deſcendente à capite, uel ex percuſſione oculi, in dict. dolor oculorum, macula oculi. Contra Phreneſim in dict. amomum, phreneſis. Contra apoſtema, contra tumores & inflaturas in dict. faba, gutta aromatica, lilium, lappa, mentha, ouum, rubus, apoſtema, maturatiua, auena, frumentũ, inflatura, tumor. Contra anthracem in dict. ouum, anthrax. Cõtra ruborẽ oculorũ in dict. rubus rubor oculorꝫ. Contra torſiones in dict. ruta, torſiones, zinziber, ſtomachus, uenter, dolor uentris. Ad eradicandũ uerrucas de manibus, uel de alia parte corporis in dict. uerruca, ſalix. Verruca itẽ ſi cultello uel raſorio aliquantulũ in capite findat, donec ſanguis fluat, & ſtatim in ſciſſuræ locũ calidũ ſuper ſanguinẽ ſal ponat, ibiq; aliquandiu teneat, uerrucam omnino eradicat. Contra paſſiones ſplenis in dict. ſplen, ſambucus, urtica. Ad prouocandum ſomnum in febricitantibus, & refrigerandũ calorem febrilem in dict. uitis, ſomnus, dormitio. Ad faciendum capillos flauos in dict. agnus. Contra difficultatem urinandi in dict. aperitiua, ſtranguria, gith, petroſelinum, urinare, urina. Contra rheuma ex cauſa frigida in dict. Cyminum, raucedo, rheuma.

De Hœdo maſculo. Cap. CLVI

HOedus maſculus pinguis de lacte nutritus, et paruus, carnes habet laudabiles, nam bene nutriunt, atq; ſanguinem bonũ generant, deperditum reſtaurant. quare conualeſcentibus, deq́ue ægritudine exeuntibus, delicate etiam uiuentibus, ac parum

parum laborantibus multum conueniunt. Iecur eius si comedatur, uespertinã oculorum aciem sanare fertur. Pellis eius statim post excoriationem ex parte illa quæ carni adhæsit, calida super uenenatorũ morsum posita, uulnus sanat & curat, uenenumq; fugat. Hœdorum pelles exustæ suo odore serpentes fugant. Hœdi item pellis recens super quæcunque uulnera posita, iuuat. Sanguis etiam eius contra uenena ualet. Coagulum eius distemperatum & bibitum contra uenenum ualet.

De Hedera herba. Cap. CLVII.

HEdera est herba uel arbor cuius radix parietes penetrat, & in muris maxime, ac ruinis serpendo se dilatat, aut altis in arboribus, uirorem quasi semper conseruat. Ad experienda uina, mira est natura Hederæ. Nam si uas è ligno Hederæ fiat, uina transfluere & exire, & aquam, si qua in uino mixta fuerit, retinere certum est. Virtus eius stiptica, restrictiua seu constrictiua, ideoq; cõtra Dysenteram ualet si trita cum uino potetur. Succus eius naribus instillatus, caput purgat, doloremq; eius mitigat. succus eius cum oleo mixtus, & auribus tepidus instillatus, contra surditatem iuuat. Virtutẽ habet maturatiuam, attractiuam, mundificatiuam, mitigatiuam, ideoq; folia eius consueuerũt apponi super cocturas siue super foramina quæ fiunt in tibijs contra guttam. Eius gummi est diureticum & dissolutiuũ ualetq; contra calculum. Hircus eius folijs nutritus, sanguinem habet fortiorem & acutiorem ad frangendum calculum in renibus & uesica, ad hoc enim ualet sanguis hirci. Est autem quædam Hederæ species cuius super folia ros cadens inuiscatur, ac in Ladanum cõmutatur. Cuius uirtus magna est. nam fumus eius menstrua prouocat & educit, semen expellit, rheuma compescit, caput & sensus confortat, contra Tussim ualet, fluxum uentris sedat.

De Heliotropio herba. Cap. CLVIII.

HEliotropium est herba quam nos cõmuniter Solsequium uocamus, quoniam secundum solis motum circumacta conuertitur, & flores suos oriente sole aperit, sole uero occidente flores suos claudit. Ista herba siue potetur, siue per emplastri modum super uerrucas trita cum sale mixta ponatur, eas extinguit & abstergit. Heliotropium autẽ siue solsequiũ herba est humida et frigida in secundo grad. cuius succus bibitus contra uenenum ualet potatum. Valet etiam contra morsum rabidi canis & cuiuscunq; uenenosi, si trita per emplastri modum super uulnus ponatur. Plurimum quoq; ualet contra calefactionem & oppilationem hepatis.

De Helleboro. Cap. CLIX.

HElleborus immoderate & indebite ſumptus interficit. Si tamen temperate & ſecundum medicinam ſumatur, melancholicos humores purgat, febres quartanas ſoluit, uermes in auribus & in uentre necat. Epilepticis & lethargicis ſubuenit. Puluis eius ſi cum pane uel caſeo aut alio cibo quo mures libenter ueſcuntur, miſceatur, & à muribus cõedatur, ipſos interficit. Helleborus aũt albus melior eſt quàm niger. calidæ & ſiccæ complexionis eſt in tertio gradu. creſcit in locis montanis & humidis, foliaq; habet ſimilia Plantagini ſed longa, & in fine acuta, ſtipitem unius cubiti aut paulò longiorem. Si cũ uino diſtemperatus potetur, inferius & ſuperius multum laxat. nunq; homo uti debet helleboro niſi materia ſit digeſta, idq; magna cum cautela propter periculum.

De Eruca. Cap. CLX.

ERuca eſt herba aliquando ſylueſtris, nonnunq; hortenſis ſeu domeſtica. calida & humida, diuretica & aperitiua. renes confortat, Paralyſim curat, urinam prouocat, ueſicam & renes purgat.

De Enula. Cap. CLXI.

ENula eſt herba interdum hortenſis, interdum ſylueſtris. Hortulana melior eſt. radix eius colligi debet in principio æſtatis, & ad ſolem deſiccari ne ex humiditate corrũpatur. Virtutẽ habet lenificandi & mũdificandi, neruos cõfortandi, uiſcoſam humiditatẽ diſſoluendi. Contra tuſſim mire ualet, & contra ſpiritualiũ mẽbrorũ frigidas paſſiones.

De Epithymo. Cap. CLXII.

EPithymum eſt flos Thymi, quæ eſt herba cuius uirtus tota eſt in flore. Flos autem eius uirtutem habet purgatiuam phlegmaticas & melancholicas paſſiones. Vnde contra Quartanam ualet & cotidianas acceſſiones. ualet etiam cõtra Stranguriam, & contra ſplenis hepatisq; oppilationes.

De Ebulo. Cap. CLXIII.

EBulus eſt frutex ſiue herba folijs & in ſtipite Sambuco ſimilima. Cuius radices, cortices, flores, frondesq;, uirtutes habent diſſoluendi & conſumendi groſſum humorem phlegmaticum ac uiſcoſum. Vnde Ebuli fructus contra Artheticam ualet & neruorum contractionem manuum atq; pedum. ualet præterea cõtra Hydropoſim ex cauſſa phlegmatica uel frigida, item contra tumores & collectiones intercutaneas

quæcunq;

quæcunq; fiant in corpore. Ebulus etiam maxime ualet contra corporis concussiones confractionesq;, & conquassationes ex casu uel percussione, si paciens in eius decoctione, seu aqua in qua decoctus fuerit, frequentius balneetur, uel pars saltim quassata ibi frequenter fomentetur. nam dolorem mitigat, tumorem sedat, neruis & iuncturis ossium uirtutem ac uigorem, roburq; administrat. odore & sapore est herba fœtida nec grata, sed uirtute optima.

De Aere & Cupro. Cap. CLXIIII.

AEs & cuprum quasi idem sunt, quoniam utrunq; per decoctionem ex eodem lapide fit. Cæterum æs proprie uocamus unde fiunt campanæ. Aes combustum & puluerisatum uirtutem habet dissoluendi, consumendi, extenuandi, & humores noxios expurgandi. Puluis eius uulnera sanat, oculorum caliginem purgat, carnes superfluas corrodit, & ulterius crescere non permittit. Hermes de ære expertum esse dicit. Si æs sale trito super acetum aspersum, uel super urinam pueri masculi uirginis locetur, aceti uirtus & illius urinæ, æris substantiam penetrabit, ipsamq; in uirorem conuertit. Si uero idem illud æs sic mutatum per se solum super racemos expressos ponatur, solo uapore conuertetur uiridem in colorem optimum.

De Electro. Cap. CLXV.

ELectrum habet colorem mixtum ex auro & argento, fitq; artificialiter ex utroq; simul mixto. Aliud electrum est minerale, de quo id fertur. Si in uase tali de electro facto ponatur uinum uel aqua in qua sit uenenum mixtum, statim stridores mittit, quemadmodum stridet uinum quando acetum in eo uel uinum infunditur.

De Heritio. Cap. CLXVI.

SI Heritij oculus dexter erutus, frixus cum oleo ✠ ad podus unciæ ponatur in rubeo uase æreo, deinde ex eo hominis oculus collyrietur, qui uidere noctu uoluerit, in tenebris ei nihil occultabitur, quin omnia ut in die uideat. Sinister uero oculus heritij frixus positus in uasculo, homini somnum infert, quando cum summitate stili gutta in aure hominis immittitur. Item sanguis heritij ex eius decollatione sumptus, æquali cum quãtitate olei mixtus, & eodem alicuius uiri corpus ipso ignorante si inungatur, ab omnibus mulieribus ad mensem usq; liberat.

De Fluminibus. Cap. CLXVII.

QVare flumina egrediuntur de montibus? Quia montes cum sint cauernosi, porosi, ac spongiosi, magnamq; caliditatẽ & siccitatem

contineant, à montibus ſuas per radices magna fit attractio aquarū diſcurrentium per terræ concauitates, atq; etiam ratione uacui, & aeris interclusi. Quod igitur attrahitur monti ſimile in ſiccitate ſibi incorporatur, & in eius naturam conuertitur. quod uero diſſimile eſt, ſcilicet humiditas, uno in loco montis repellitur & aggregatur, quod tandem foras expellitur, & per fontium capita ad flumina perficienda continue deriuatur. Montes etiam quemadmodum aquas ratione concauitatis & ſpongioſitatis continue attrahunt, ita poſtq; fuerint repleti, eas ſempiterne emittunt. De natura & conditione fontium & aquarum eorum uide in dict. aqua. Si quis formicas de domibus ſeu locis in quibus habitant expellere uelit, locus ille ſeu domus cum ſulphure fumigetur, & cum origano agreſti ſimul pulueriſatis, uel cum ceruino cornu combuſto, uel cum cornu capræ combuſto, ita enim fugiūt & domus ſuas relinqunt, quia in eis ſenſus olfactus ſicut in apibus. Omne etiam fœtidum fugiunt & odiunt. quare allium bene tritum in aqua mixtum, ſuper domum earum ſi fundetur, caſulas ſuas dimittunt. Item ſi in formicarum nido cor noctuæ poſueris, omnes de ortu fugantur. et ſi uias extra ortum per quas intrant, cinere uel terra impleueris, ortum non intrabunt. De remedijs contra Fiſtulam in dict. apoſtema, ariſtolochia, capra, dragagantum, pirus, muſtela, uitis zizania, aqua ardens, dolor dentium.

Formicæ quomodò propulſandæ.

De Fumo terræ. Cap. CLXVIII.

FVmus terræ eſt herba grauis odoris, & horribilis ſaporis. Virtutem habet purgandi melancholiam, phlegma, choleram. Valet etiam contra ſcabiem, Hydropiſim ex cauſa frigida, podagros iuuat, contra ſplenis & hepatis oppilationem ualet. Eſt tamē herba ualde inflatiua, & torſiones faciens. ideoq; eius uentoſitas reprimi debet cum Aniſo & feniculo, tūc nec inflabit, nec torſiōes faciet. quære in dict. morphea, carnes.

De Fœniculo herba. Cap. CLXIX.

FOeniculus eſt herba calida & ſicca in ſecundo gradu. uirtutem habet diureticam ſiue aperitiuam atq; inciſiuam. Huius herbæ corticis ſeu radicis ſuccus uiſum acuit. unde ſerpentes (ut fertur) ipſum comedendo ſenectutem annuatim deponunt, & renouantur, eorumq; uiſus acuitur. Quare ex eius ſucco collyrium fit contra oculorum caliginem admodum utile. Semen eius tritum, & uino potatum contra ſerpentum morſum & ſcorpionum ictus plurimum ualet. Succus eius auribus inſtillatus uermes necat, ſtomachum ſtringit & corroborat, nauſeam ſedat, calculum frangit, urinam

excitat

excitat, lac in mamillis multiplicat.radix eius recens purgat, cum uino cocta hydropicos curat,canis morsum sanat.

De Ferula. Cap. CLXX.

FErula est herba cuius succus Galbanum dicitur. Folia eius & rami cum oleo cocti,& comesti cum melle,stomachum iuuant. Sed si nimium comedantur capitis dolorem generãt.Radix eius ad denarij pondus in duobus uini cyathis bibita,cõtra serpentũ morsus ualet. Succus eius ad fabæ quantitatem cum uino distemperatus & bibitus, uentrem laxat.medulla eiusdem faciei maculas tollit.Semen in uino bibitum sanguinis fluxum restringit,caducis subuenit.succus quoq; eius oculorum claritati subuenit.

De Ficubus. Cap. CLXXI.

FIcus bonæ et maturæ si à senibus comedantur,rugas faciei eorum & corporis restringunt. Taurus item indomitus, si ad ficus arborem ligetur,repente mansuescit.Lac ficus habet uim coagulandi lac ad faciendos caseos,si in lacte de quo fieri debẽt casei, misceatur: sicut flos cardui casealis.Lacte foliorũ ficus genitalia inuncta mouentur ad pruritũ libidinis incendium. Ficulnea autem quandoq; sterilis efficitur propter humoris defectum.quandoq; propter superfluam humiditatis habundãtiam. Primo in casu agricolæ ad radicem ponunt fimum conuenientem,& aquã dulcem. Alij item & quidem melius,talis ficulneæ pedem circumquaq; discooperiũt,atq; cineres madefactos qui lotricibus facta bugata superfuerint, adponunt.id ficulneis quibuscunq; plurimum cõfert. In secundo casu ficulneæ truncum clauis perforant,& superfluum humorem euacuant. De ficuum utilitate in dict.carica,canis. Si ad radicem fici arboris cornua arietis sepeliantur,cito maturescuut.

De Fraxino. Cap. CLXXII.

FRaxini folia contra uenenum sunt utilia.nam succus ex eis expressus potuiq; datus,contra serpentum morsus summe ualet. Eius umbra serpentes fugat. & si serpens inter ignem & fraxini folia ponatur,in ignem citius quàm ad fraxinũ fugiet. Folia tamen eius iumentis sunt mortifera.Arbor calida est & sicca in secundo gradu. cuius cortices & folia cum aniso & fungis quæ super ista arbore crescunt,medicinæ conueniunt.nam uentris fluxum restringunt,uomitum ex defectu uirtutis retẽtiuæ cohibent,si aqua pluuiali & aceto decoquantur,atq; per emplastri modum super stomachum ponantur.

De Faba & eius natura. Cap. CLXXIII.

FAba eſt frigida & ſicca, niſi ſit uiridis, quia tunc humida eſt in primo grad. Quæ uiridis comeſta parum nutrit, groſſos humores generat, in ſuperiori parte uentris inflationem facit, unde ſtomacho nocet, ſanguinem groſſum & melancholicum generat, fumumq́; groſſum qui cerebrum offendit. Somnia uana quidem & terribilia per decoctionem inducit, eius uentoſitas aſſatura diminuitur, ſed in totum non aufertur. Qui enim fabis aſſidue utuntur, inteſtinorum dolorem paciuntur, nam ſplenem oppilant, & uentrẽ ſtringunt. idcirco caute comedant, quoniã ad digerendũ ſunt duræ, ac multum inflatiuæ. Fabæ tamen medulla eſt mundificatiua, unde eius colatura faciem purgat, & potata pulmõem mundificat, apoſtema mamillarum curat. Cum roſis mixta oculorum dolorem, liuorem, & lippitudinem abſtergit. maſticata, & in temporibus appoſita, humores ad oculos rheumatiſantes compeſcit. Sciſſa eius medietas per partem plã nam medullæ ſuper uenam poſita, ſanguinem reſtringit, hocq́; facere cõ ſueuerunt Minutores quãdo uena nimis laxata. Lac effluens de mamillis ſiſtit, & effluere non permittit. Podagricis & artheticis cum ouis adipe decocta, multum ſubuenit, ſi ſuper doloris locum per emplaſtri modum ponatur. Tumores & collectiones apoſtematum repercutit, ubi in principio infirmitatis in aceto decocta per emplaſtri modum tumori ſuperponatur. Faba in aqua marina, aliaúe aqua ſalſa non decoquitur. De faba Lupina in dict. anhelitus, dens. Frumẽti palea ſua de natura eſt ita frigida quod niuem deſuper exiſtentem conſeruet ne fluat. adeo etiam calida, ut poma alioſq́; fructus matureſcere compellat.

De Farina. Cap. CLXXIIII.

PAnis recens cor hominis maxime confortat & corroborat, ſi de farina triticea ſine furfure præparatus & factus fuerit. Farina de tritico cum melle mixta, faciei puſtulas ſanat. Mamillas ex coagulatione lactis induratas tam in muliere quàm uiris, appoſita farina triticea uel ſiliginea, cum adipe ſeu pinguedine & uino decocta, duriciem ſpargit & diſſoluit, atq́; locum mollificat, humorum collectiones et apoſtematum maturat, neruos induratos, quaſiq́; ſpaſmaticos mollificat. quære in dict. triticum.

De Fermento. Cap. CLXXV.

FErmentum uirtutem habet humorum à corpore facile extractiuã, & quando cum ſale miſcetur, uim habet maturatiuam apoſtematum nã corporis poros ſubtilitate ſuæ ſubſtãtiæ aperit, et humores diſſoluit.

De gene-

De generatione fulguris. Cap. CLXXVI.

FVlgur eſt uapor ſiccus, ignitus in uentre nubis incenſæ deſcendens, illud quod percutit penetrat, urit ſiue liquefacit, diuidit & ſcindit, nihil corporale ei reſiſtit, ſuper loca alta frequentius cadere conſueuit. unde montes fulgurum ictus ſæpius paciuntur quàm ualles. Idcirco Pyrenæi montes quòd ſunt altiſſimi, crebris percutiuntur fulminibus. Vbi percutit, fumum & fœtorem ſecum fert. Vinum, omniſq; adeo liquor fulgure percuſſus & tactus, peſtiferus eſt, & ad bibendum mortiferus. Hyeme, aut in forti æſtate raro fiunt fulgura, ſed in principio autumni & in fine ueris, ut refert Beda. quia hyeme propter frigus uapor in aëre non ignitur. in æſtate uero propter ſiccitatem & ſubtilitatem aëris non fit aggregatio uaporis, ſed in autumno et in uere eſt aër mollis & umbroſus, ideo tunc ſæpius fiunt fulgura. quære in dict. Vinum.

De Faciei maculis. Cap. CLXXVII.

QVando in facie apparent maculæ, ad earundem emundationem, & abſterſionē uaria adhiberi poſſunt remedia. Farina de tritico, furfure, medulla fabæ, & etiam cum ſepone, faciei maculæ abſterguntur. De faciei maculis, deq; malo colore in dict. color, macula, amygdalus, auena, faba, farina, lilium, animalia, agnus, cholera, cyminum, dracontia, hepar, emplaſtrum, Roſmarinus, ueſtes, leo, roſa, nitrum, plumbum, remedia, ſal, uitis.

De Phlegmatis conditionibus. Cap. CLXXVIII.

PHlegma eſt humor ſemicoctus ex frigida & humida materia generatus. De phlegmate ſanguis fit per ampliorem & pfectiorem digeſtionē, ampliorem q; doloris agentis incenſionem, non tamen econtra, quia ſanguis in phlegma nunquàm commutatur. Eſt autem phlegma humor naturaliter frigidus, humidus, & inſipidus. hic humor ſi corruptus fuerit, diuerſas in corpore generat infirmitates. Cuius ſuperhabundantia diuerſis ſignis cognoſcitur. quoniā uere phlegmaticus eſt corpore hebes, grauis, moroſus, tardus, ſenſuq; hebes, mente obliuioſus, carne mollis & fluidus, colore liuidus, in facie albidus, timidus, multis ſputis & excreationibus plenus, piger & ſomnolentus, parui appetitus, parum ſitit, niſi ſit phlegma ſalſum, quia tunc ſalſus ſapor in ore ſentitur propter calidi humoris admixtionem. Crine mollis, capillis flauus, & laxus. cuius pulſus eſt mollis groſſus & tardus. Vrina alba, ſpiſſa, cruda & diſcolorata. Naturæ

Phlegmaticæ naturæ ſigna.

pinguis & groſſus, in extremitatibus breuis & curtus, cuius cutis ſuperficies plana eſt & leuis, ac pilis denudata. Somniat de aquarum, niuium, pluuiarumq; inundatione, nauigatione in aquis frigidis, & natatione in eis. Talis complexionis homines morbos frigidos facile incurrunt, præcipue tempore hyemali, quoniam eo tempore qualitates phlegmaticæ, ſcilicet frigiditas & humiditas intenduntur. Dominium phlegmatis frigidi & humidi, cauſſa eſt caniciei, quia albo ex fumo frigidoq; capilli efficiuntur albi. uide in dict. ſanguis, piper, roſa, ruta, ſalſedo, ſputum, ſambucus, amomum, arthetica. De phlegmatis autem conditionibus in dict. apoplexia, alimentum, appetitus, animalia, caput, complexio, hepar.

De Melancholia. Cap. CLXXIX.

MElancholia eſt humor ſpiſſus & groſſus ex turbulento ſanguine, eiusq; fecibus generatus. & quemadmodum ſunt uini feces, ſic melancholia eſt fex ſanguinis, & ad colorem nigrum declinat, eſtq; humor frigidus & ſiccus. Melancholia quædam eſt innaturalis, & illa ſicut naturalis non eſt quaſi feces ſanguinis, ſed per modum aduſtionis & cinereitatis, uocaturq; cholera aduſta. Calor enim in ſubſtantiam phlegmatis nimis agens, ipſam adurit, & per nimiam aduſtionem in choleram conuertit. Iſta cholera nigra in corpore peſſimas generat infirmitates, & interdum morbos inducit incurabiles, ſicut Cancrum, lepram & ſimilia. Ex aduſtione igitur cum ſanguine & phlegmate, paſſiones peſſimæ fiunt, quoniam iſta cholera aduſta ſanguinem, phlegma, omnesq; adeo humores inficit. Signa generationis iſtius choleræ aduſtæ in corpore ſunt iſta. Color cutis mutatur in nigredinem uel liuorem. in ore ſentitur acerbus ſapor ponticus uel terreſtris, ſecundum illius humoris diuerſitatem. paciens animo eſt timidus ſine cauſſa, unde omnes hac paſſione laborantes ſine cauſſa ſæpius ſunt timidi ac triſtes, & ex hoc melancholico humore curioſi atque anxij. Interrogati quid timeant uel quo doleant, aut de quo triſtentur, non habent quod reſpondeant. Tales quidam mortem ſibi imminere putant irrationabiliter. Alij alicuius inimicitias formidant. alij mortem diligunt & deſiderant. Obſcuritas enim eſt cauſſa timoris. quare cum fumus melancholicus ex cholera nigra ad cerebrum aſcendens, ipſum operiat & obſcuret, neceſſe eſt ut paciens timeat, quoniam timoris cauſſam intrinſecus ſecũ portat, ideo terribilia ſomniat & tenebroſa, & uiſui peſſima, & in odore fœtida, & in ſapore acetoſa, quia iſtas conditiones

Signa generationis choleræ aduſtæ.

cholera

cholera habet aduſta, unde fumus ille oritur qui cerebrum inficit; & omnia phantaſmata quæ ſunt in cerebro. Signum item & diſpoſitio ad Maniacam paſſionē, aliasq; paſſiones melancholicas eſt iſtud. quando.ſ. tales deteſtabili gaudent & rident, de re uero expedienti & utili triſtantur, ut interdum patet in Phreneticis. Tales etiā quum loqui debent & reſpondere, pertinaciter tacent. cumq; eis tacendum eſt, pertinaciter loquuntur. Alij putant ſe captos, uel aliquid aliud. Alij putant ſe uas fictile & uas frangibile, timentq; tangi à quocunq; ne frangentur. Quidam etiam putant ſe tenere mundum clauſum in pugno, eundemque totum continere manibus, ita, quod manus ad cibum, uel ad rem aliam non extendunt, timentes quod ſi manus extenderent uel aperirent, totus mundus periret. Quidam imaginantur quod angelus totum ſuſtineat mundum, & quod actediacus ex pondere uelit dimittere mundum cadere, taliq; caſui uolentes obuiare manus ad cęlos erigunt & humeros uolentes mundum cadentem ſuſtinere. & multum reſiſtunt quando ab aſtantibus compelluntur manus & humeros ſub pannis ponere, caſum mundi timentes. Quibuſdam uidetur quod habeant caput plumbeū, ſeu caput aſini, aliouę modo monſtruoſum. Quidam audientes gallos cantantes brachia erigunt, ijſdemq; ſe percutiunt, & concauitates, gallos ſe eſſe putant, & tandem clamore fatigati omnino tacent. Alij peſſimam in ſuſpicionem irreuocabiliter incidunt, unde & amicos, & notos odiunt uituperantq;. & ſe poſtquàm interdum percutiunt, mordent, & occidunt. Paſſiones iſtas peſſimas incurrunt melancholici, quando cholera aduſta & incinerata in melancholiam cōuertitur innaturalem. Tali forte paſſione deus percuſſit ſuperbum Nabuchodonoſor, qui ſe beſtiam triformem, leonem ſcilicet, aquilam & bouem ſeptem annorum ſpatio (ut hiſtoriæ ferunt) putauit. Remedia contra hanc paſſionem quære in dict. apium, animalia, caput, cātus harmoniacus, Mania, amentia, aurum, dormitio, febris cotidiana. *Maniacæ paßionis ſigna & diſpoſitio.*

De Fructibus. Cap. CLXXX.

FRuctus immaturi, crudi & indigeſti humanis corporibus maxime puerorum & debilium ſunt nociui, inflatiui, lumbricorum, aliorumq; uermium generatiui, humorum malorum nutritiui, guſtus naturalis corruptiui, ut in grauidis patet mulieribus, quæ fructus immaturos & crudos maxime deſiderāt. Congrui aūt fructus & maturi ſi debito modo ſobrieq; ſumantur, naturæ competunt, quorꝫ poſt eſum bonus uini potus ſumi debet, nō aquæ. Fructus item arborum in mōtibus creſcentiū, ſapidiores ſunt & ſaniores illis qui creſcunt in uallibus, tum propter maiorem aëris puritatem;

tum quia solis à radijs magis decoquuntur. Fructus dulces quatuor in qualitatibus sunt tēperati, ideo nutribiliores. Fructus uero frigidi & pōtici duri sunt & stiptici, oppilatiui, constrictiuiq́. Sunt tamen stomachi confortatiui, appetitus excitatiui, maxime ubi ieiuno comedantur stomacho. post prandium uero sumpti, cibum ad inferiores partes cōprimendo, uentrem laxant. Cæterum si fructus fuerint acetosi, ex modico aquoso & terrestri compositi, ut sunt Cerasa, quæ Agriotas uocamus, acumine calorem extinguunt, sitim mitigant, stomachum confortant, humores grossos frigidosq́ dissoluunt, fructus dulces acuunt, uim eius cōferentes penetrandi totum corpus. Fructus itaq́ maturi, non uermiculosi, nec corrupto humore infecti, sunt laudabiles. talesq́ fructus in loco mundo, sicco, præcipue fœno aut paleis inuoluti melius custodiuntur, nam iuxta terram & in loco humido citius corrumpuntur. De fructibus bonis & nociuis in dict. alimentum, ligna, Luna. De fœtu an sit masculus uel fœmella (nam id cognosci potest anteq́ nascatur) in dict. complexio, apoplexia, aborsus, prægnans, assimilatio, conceptio, signum conceptionis maris uel fœminæ, generatio, masculus. De fœtu mortuo uide in dict. ruta.

De diuersis febribus. Cap. CLXXXI.

Diuersæ sunt species & naturæ febrium à diuersis caussis inductæ. quarum ad curam diuersa sunt etiam adhibenda remedia. De febre in generali uide in dict. anhelitus, color, colica, cucurbita, ephimera, Iaspis, morus, nux, oriens, oleū, sternutatio, pustula, rosa, radix, sputū, sapphirus, salix, uiola, phthisis, hectica, febris cotidiana. Febris autē (generaliter loquendo) est calor innaturalis ortum habens ex distemperantia, & deordinatione cordis, per totum corpus se diffundens, operationes eius naturales debitasque impediens. Diuersificatur autem febris secundum diuersitatem illorum ex quibus corpus humanum est compositum, scilicet ex spiritibus & liquidis, hoc est, ex humoribus solidis, atq́ mēbris grossis corporalibus. Prima febris species est, quando spiritus in calore distemperantur, & ista febris dicitur Ephimera, de qua Constant. similitudinem ponit dicens. Ephimera febris uento calido est similis, quo uter impletus suo ex calore calefieri necesse habet. quoniā quod uentus calidus facit in utre, simile facit spiritus calefactus circa cor, & circa totum corpus. Secunda febris species uocatur Hectica, quæ febris est in membris solidis, estq́ similis uasi calido aqua frigida pleno. aqua enim frigida ex uase calido in q̄ est, calefit, sic & febris Hectica cū in mēbris sit radicata,

Febris diffinitio.

Ephimera.

Hectica.

radicata, calefacit cor, omnesq; humores corporis distẽperat et immutat. Tertia febris species uocatur putrida, quæ in humoribus est, & similis aquæ calidæ. aqua enim calida quando frigido in uase ponitur, suo calore ipsum calefacit. Similiter humores calefacti excessiue, calefaciunt cor & omnia membra calore nociuo & distemperato. De Ephimera eiusq; remedijs in dict. Ephimera. De Hectica, eius signis & remedijs in dict. hectica, phthisicus. Febris putrida ideo sic uocata est, quoniam putridis ex humoribus gignitur. Tali putrefactioni, taliq; febri iuuenis cõplexio maxiẽ disposita est, quæ calida est & humida, quãdo excessus est in humiditate & calore. Complexio frigida & sicca, ad putrefactionẽ sic non est parata. ideo senes de febre putrida non uti iuuenes paciũtur: quia cõplexionis siccitas, humorẽ desiccat & coadunat, diuisioni quoq; ac dilatatiõi materiæ resistit, quæ dispositiões mediæ sunt ad putrefactionem. frigiditas etiã congelat & resistit calori facienti ebullitionẽ. Materia itaq; putrefacta, quæ febris putridæ est caussa, aut cõtinetur aliqua in concauitate corporis, aut in stomacho, uel in hepate, uel in aliquo determinato membro, tuncq; febris causatur interpolata. Aut continetur intra uasa, in uenis scilicet & arterijs; & tunc febris causatur continua. Causa autem febris putridæ & continuæ, est materia putrida in uenis & arterijs contenta. & istæ febres putridæ signa quædam habent generalia. Primum signum est, quoniam materia talis febris putridæ diu occulta, ita quod non sentitur, manet in corpore, sed superueniente caussa extranea amplius calescit & putrescit, fumusq; ab ea putridus incipit exhalari, & per totum corpus diffundi, ac tum demum in effectu manifestatur. Secundum signum est, quia talem febrem rigor præcedit seu frigus, maxime si materia sit extra uasa, extra uenas scilicet & arterias, in cõcauitate quadam alicuius membri, ut supra dictum est. & fuerit uicina membris sensibilibus, quia ex materia illa putrida frigidaq; resoluitur fumus, qui neruos sensibiles lædit, ex quo frigus & rigor generatur, quod uocatur horripilatio. Est enim Horripilatio rigor, tremorq; corporis, febrem mox futuram prænuncians. Oritur autem horripilatio ex fumo frigido, frigida à materia phlegmatica, uel melancholica resoluto, qui per corporis membra subito se diffundens, neruos & musculos tãgit atq; lædit, exq; sua frigiditate cutem restringit. unde fumus iste frigidus radices pilorũ stringens poros claudit, ipsosque pilos rectos & rigidos facit. dicitur enim horripilatio pilorum erectio. Tertium signum est, quod talis febris interpolationem habet ueram, ut patet in febribus interpolatis, tertiana uel quartana. uel declinationem manifestam, ut patet in continuis. Quartum signum est, quod talis febris maximam generat angustiam, propter multitudinem & grossiciem fu-

Febris putrida seu interpolata, & continua, unde causentur.

Horripilatio.

mi resoluti ab eius materia, propter quam reuocatio fit caloris & uirtutis ad interiora, donec se natura ab illo fumo expedierit. Quintum signum est in ipso statu febris, quia tunc occurrunt accidentia quæ putridam materiam significant, ut dolor capitis, malicia anhelitus & similia. Sextum signum est, quando corpora non plene mundificantur, quãdo quiescit febris, sed malæ in corpore qualitates adhuc remanent, et corporis debilitas, ipsæ etiam febres redeunt & accessiones. Septimum signũ est, quòd talis febris putrida in uniformitate non remanet, quemadmodum & aliæ febres post cessationem febris, sed omnino quiescit, ut patet in interpolatis, uel declinat & diminuitur, ut patet in febre continua. Est itaq; comune signum febrium interpolatarum & putridarum quod in omnibus cõmuniter accidit dolor capitis, oris insipiditas, corporis grauitas, frigus præcedens, calor qui sequitur post frigus, singulis diebus accessio renouatur. & quod peius est, aliquoties duplicatur. In istarũ febrium cura primo & statim in principio ordinari debet diæta tenuis, maxime in iuuenibus. Quod si paciens sit senex aut debilis, si sit tertiana, uel cotidiana, uel quartana, dari ei potest parua pulla cũ lactucis cocta, aut coriandro, uel cum agresta, aut modico uino ualde debili & nimis lymphato. Et hoc intelligendum est de tertiana in tempore interpolationis, quoniam in die accessionis, nullo modo dandæ sunt carnes aut uinum, sed lactucæ cum aceto debilitato admixtione aquæ Portulacæ, amygdalatum uel pulmẽtatum de cucurbitis coctum cum lacte amygdal. agresta & poma cocta, & hoc postq; pacientem dimiserit accessio. Debet etiam materia per syrupum, scilicet per oxysaccaron digeri. quære in dict. oxymel, syrupus. & postq; materia fuerit digesta, per congruã medicinam euacuari. Talibus etiam prosunt ualde frequẽter clysteria, si de herbis fiant conuenientibus secundum materiæ exigẽtiam infirmitatis. In febribus etiam ualde cauendum est, ne per malum regimen aut diætam inordinatam tertiana febris in quartanam uel hecticam conuertatur.

Interpolatæ febris atq; putridæ signũ commune.

De Febre tertiana. Cap. CLXXXII.

Febris tertiana est ex cholera putrefacta, extra uasa non collecta ad apostema. Fit autem aliquando ex calore naturali aliquando ex cholera uitellina. Quando tertiana ex calore causatur naturali, ista signa sunt. De tertia in tertiam diem affligit, & maxime circa horam tertiã, primo rigore, deinde calore, dolore frontis, oris amaritudine, siti, tinnitu aurium, insomneitate seu nimia uigilia siue somni carentia. Vrina rubea, subtilis & tenuis, horas xxiiij. habere potest aut plus in afflictione, & alias xxiiij. in quiete. Et quoniã

causatur

causatur ex cholera seu materia putrida, quæ est extra uasa, siue extra uenas & arterias, ideo secundum quod eius materia diuersis in locis corporis, signa habet uaria. Nam si materia est in ore stomachi, frontis dolor est maior, sitis minor, cũ asperitate, siccitateq; gutturis & oris. Adest uoluntas uomendi, urina est nimis colerata. Si materia fuerit in intestinis, prædicta signa concomitantur, non sunt autem ita intensa sicut in primo modo, sed dolor est circa umbilicũ, & urina magis intensa. Si uero materia fuerit in hepate, uel in cisti fellis, urina erit coloratior spumã habens croceam. Si autem febris fuerit ex cholera uitellina, id est, citrina, signa in parte uariantur, quia primo affligit rigore, deinde lento calore, & mouetur inter horam choleræ & phlegmatis. Vrina est citrina, mediocriter tenuis, plus tamen ad tenuitatem ascendens, horis mouetur incertis, quia modo anticipat, modo suboccupat, adsunt prędicta signa, scilicet dolor frontis, amaritudo oris, suntq; prioribus remissiora. Ista febris quemadmodum cotidiana uel continua, aliquando simplex aliquando composita. Simplex est quæ fit ex una materia uno tantum in loco putrefacta. Composita uero siue duplex tertiana, quæ fit ex diuersis causis & humoribus in diuersis locis putrefactis; sicut continua fit duplex, quando diuersum phlegma in diuersis locis putrescit seu putrefactum est. Signum autem talis tertianæ duplicis est, quod omni die affligit, primo rigore, deinde calore, sed tertio die in tertiam grauius & in diuersis horis. Vrina est mediocris, in substantia rubea & subrufa, superius aliquantulum obumbrata. Causa itaq; tertianæ per prædicta signa cognita, diæta quãtum ad cibum atq; potum, modo superius dicto ordinetur, pensata ætate pacientis, pensato tempore & qualitate materiæ, quæ causa est infirmitatis. Fiat ptisana de hordeo, quæ sit cõmunis eius potus & cõtinuus absq; omni uino, si sit iuuenis & fortis, maxime in æstate, deinde detur ei medicina cõgrua humoris illius putridi purgatiua & euacuatiua. Ante medicinam uero detur ei syrupus acetosus aliquot diebus ad digerendam materiam, scilicet oxymel laxatiuum, uide in dict. Oxymel. Si autem materia fuerit in ore stomachi, prouocetur uomitus, ante hoc tamen materia digeratur cum syrupo acetoso ut dictum est. Materia uero & locus ubi sit, per anticipationem cognoscitur accessionis, per remissiõem rigoris & frigoris, dolorisq; frontis, modo superius dicto. per augmentatiõem caloris & prolixitatem accessionis, perq; maiorem afflictionem in accessione, per urinæ spissitudinem. Quando igitur talia digestionis signa apparent, febris materia purgetur Regula tamen generaliter est seruanda. Materia febris si fuerit simplex sit quoque medicina simplex. si autem materia sit composita siue duplex sit etiam medicina composita.

Febris tertiana interdum simplex, aliquando composita.

De febre quartana. Cap. CLXXXIII.

FEbris quartana fit ex melancholia putrefacta extra uasa, siue extra uenas & arterias. Quandoq; fit ex melancholia naturali, quandoq; innaturali. Quartanæ ex melancholia naturali procedentis ista signa sunt. De quarto in quartũ diem affligit. primo horripilatione, secundo calore lento. horas habet in afflictione .xxiiij. in quiete. xlviij. in horis melancholiæ affligit, scilicet à nona inferius, & cõmuniter sæua circa tempora accessionis. Vrina post accessionem est citrina uel subcitrina, in diebus interpolatis quasi cruda pallida scilicet & subalbida, apparetq; tenuis. Si eius materia fuerit in stomacho, oris adest acetositas quadam cum uertigine, alijsq; malis signis inordinatis. quoniam adsunt tristicia, timor, anxietas, aliæq; malæ passiones animæ. Ex parte uero corporis, grauitas, pigricia, indigestio laterum inflatio, crurum & coxarum ponderositas, somni defectus, in somnis timor, in unguibus & labijs liuiditas, maxime in principio & accessionis tempore. Dolor etiam accidit lumborũ cum tumore splenis, appetitus fortitudo, quia ex melancholico, graui & ponderoso, cibus ad stomachi fundum deprimitur, unde ore stomachi uacuo remanente à cibo appetitus excitatur. Quædam sunt species quartanæ quæ accidũt cum admixtione alterius humoris, habẽtq; signa alia propria, qualitates scilicet & conditiones humorum ex quibus causantur. Cognita itaque causa Quartanæ, in principio dentur fortiora digestiua, quia spissa est materia & compacta, ideo illa dari debent, quæ materiam digerunt & mundificant sicut oxymel. Materia digesta detur medicina cum herbis calidis & aperitiuis. dentur & mundificatiua, fiat balneum cum herbis calidis, uti lauro, & chamomilla, alijsq; calidis. Caueat à cibis melancholicis uel melancholiam excitantibus. caueat etiam à potu aquæ puræ, sed uinum bibat bonum & maturum aqua temperatum. ad gaudium prouocetur & læticiam, omniaq; adeò lætificatiua ministrentur. utatur zinzibere, pulueribus calidis, & electuarijs confortatiuis. Minium item seu lasurium quod cælestis est coloris, de quo libri illuminantur, miro modo (si ut decet potetur) quartanam soluit. quære in dict. tartarum seu alumẽ, Balsamũ, aqua, sapphirus, Iuniperus, leo, helleborus, epithymũ.

De Febre continua. Cap. CLXXXIIII.

FEbris continua prouenit ex humore putrefacto intra uenas. cuius fumus petens cor, ipsum lædit, febremq; continuam in corpore introducit. Iste humor aliquando est simplex, aliquando compositus. Simplex quando sanguis in uenis putrescit, & causat continuã, quæ dicitur

Synochus

Synochus. Quandoq; uero sanguis non putrescit, sed ex superhabundante eius quantitate fumositates conculcantur quæ ex eo resoluuntur. fumositates uero conculcatæ calefiunt & distemperantur, quæ distemperatæ, spiritum distemperant uitalem, ex hoc quandoq; fit frequenter continua febris. Quandoq; etiam cholera putrescit in subtilissimis uenis oris, stomachi, cordis, hepatis, pulmonis, ex hoc causatur febris continua, & ex multis alijs caussis uariæ causantur aliæ febres continuæ. Secundum autem causarum uarietatem signa istarum febrium uariantur. Illius em̃ febris continuæ quæ dicitur Synochus, quæ procedit ex sanguinis putrefactiõe in uenis, ista sunt signa. Quãdoquidẽ cõtinue affligit, dolor frontis & temporum acutissimus, sitis uehemens, oris dulcedo, urina rubea & spissa, & quodammodo liuor. Signa quasi similia sunt in alijs continuis, excepto liuore urinæ. In istis etiam febribus oculorum apparet eminentia cum uenarum plenitudine, & rubore faciei, tociusq; corporis grauitate. In illa autem febre quæ dicitur Causon, quæ causatur ex cholera putrida in subtilissimis uenis oris, stomachi, cordis, hepatis uel pulmonis, atq; alijs in febribus putridis urina apparet rubicunda, subtilis tenuis, quadam nigredine obumbrata. dolor frontis & temporũ causatur, quod oculi & tempora clauis uidentur perforari. color in corpore mixtus cum citrino, sitis indeficiens, somni priuatio, linguæ asperitas & exustio cum constipatione uentris si cholera peccauerit in qualitate. Si uero peccauerit in quantitate, accidit fluxus uentris & uomitus cholericus. Eadem signa uel quasi apparent alijs in febribus putridis. illarum tamen differentia potissime per urinam cognoscitur. In febribus continuis ex sanguine generatis fieri debet minutio ex utroque, si hoc pacientis ætas paciatur atque eius uires. Talium diæta ualde tenuis esse debet & frigida, scilicet mica panis fermentati, ter lota uel pluries in aqua frigida, qualibet uice mutata aqua. lactucæ, cucurbitæ, portulacæ, pruna, poma cocta, lac amygdali. & similia ut cucumeres. dari ei debet syrupus sanguinis repressiuus & acetosus ex herbis frigidis, ut syrupus uiolaceus & huiusmodi. In talibus atque omnibus febribus procurandus est somnus per infrigidatiua. quære in dict. dormitio, somnus. Sunt etiam apponenda remedia contra dolorem capitis & frontis de quibus in dictione dolor capitis.

Synochus. Causon.

Istæ febres quandoque sudore, quandoque fluxu uentris, sanguinis per nares, uel per aliam partem, aut per multam urinam quandoque salubriter terminantur. quære in dict. mors, Mandragora, salix, caput, infrigidatiua.

De Febre cotidiana. Cap. CLXXXV.

FEbris cotidiana cauſatur ex phlegmate putrefacto in uaſis. Cuius ſigna ſunt calor continuus, ſed in nocte maior, & ſine aliquo typo, grauedo capitis, oris inſipiditas, urina parũ colorata & ſpiſſa, horas habet. xviij. magna in afflictione, & ſex in falſa quiete. Quandoq; etiam melancholia putreſcit in uaſis, facitq; Quartanam continuam. cuius ſigna ſunt calor continuus, ſed de quarto in quartum diem ſemper maior, grauedo capitis, calor lentus nõ multum intenſus, & illæ duæ febres ultimæ per urinã non facile diſcernuntur. Quandoq; etiam phlegma exterius putreſcit, & cholera interius, & tunc febris inde generata dicitur minor Hemitriteús. *[Hemitriteus minor.]* cuius ſigna eadem ſunt quæ & cotidianæ, tuncqúe ſub ueſperam ſiue noctem cum prædictis ſignis adeſt frigus, & frigeſcunt maxime tunc extrema. adeſt capitis grauedo, palpebrarum compreſſio, falſo ſomno opprimuntur. in afflictione horas habet. xviij. & ſex in non ſummo. Sed illud non ſummũ, maius eſt ſummo cotidianæ. Quandoq; phlegma putreſcit intra uaſa, & cholera extra, & tũc fit medius Hemitriteus. *[Hemitrit. medius.]* cuius ſigna ſunt calor cõtinuus, ſed de tertio die in tertium grauius intenditur, fitq; cum rigore præcedẽte, cum dolore capitis & ſiti. maxima in afflictione horas habet. xxxvi. in falſa autem quiete. xij. Vrina rubea, mediocriter tenuis uel ſpiſſa uel liuida. Melancholia nonnunquàm putreſcit extra uaſa, & cholera intra, tũcq; maior fit Hemitriteus, *[Hemitrit. maior.]* in quo maior eſt calor, & omnia ſymptomata peiora quàm in prioribus. Vrina aliquando eſt uiridis, aliquando nigra, aliquando liuida & diſcolorata, quæ omnia ſigna ſunt mortis. ſumma in afflictione horas habet. xl. in nõ ſummo. xij. Cæterũ tales febres difficile eſt cognoſcere. Minor Hemitriteus difficulter curatur, medius uix, tertius ſiue maior nunquàm, niſi per diuinæ potentiæ miraculum. In febribus item acutis ægrum iacere in latere, præcipue dextro, bonum ſignum eſt, quoniam ſignificat latera & loca uicina nõ eſſe apoſtemâta. quære in dict. dormitio. Vomitus etiam in febricitantibus aliquando bonum ſignum eſt, aliquando malum. frequens enĩ uomitus in muliere ſignum eſt imprægnationis ut refert Gale. Si autem fiat ex debilitate uirtutis retẽtiuæ, & fortitudine expulſiuæ, quia ſtomachus recepta non ualens retinere, euomit & reijcit, malũ eſt. uomitus aũt eſt laudabilis quando fit cum adiutorio medicinæ uti debet. Si fiat in die tertio febris, exqúe tali uomitu infirmus alleuiatur, tunc eſt laudabilis. Vomitus enim laudabilis ſtomachum mundificat, uirtuti

digeſtiuæ ſeruit & miniſtrat, totam naturam ab infinitis infirmitatibus exonerat, totum corpus hominis alleuiat & purgat. Si uero uomitus fuerit illaudabilis, contraria operatur. Omnem autem uomitum generaliter præcedit motus & tremor labiorum, conatus & anguſtia membrorum ſpiritualium, nauſea & abominatio, oris apertio, linguæ diſtenſio, uenarum extenſio, arteriarumque & neruorum, oculorum lachrymæ, ſudoris emiſſio, immutatio & amaricatio gutturis, multaq; alia. Si itaq; ſtomachus nimis ſit repletus nimio cibo & potu, uel corrupto humore, aut ueneno, ſeu cibo corrupto, prouocandus eſt uomitus. Si talis cauſſa non ſubſit, non eſt prouocandus. Si uero uomitus accidit, & naturæ noceat, eſt reſtringendus. Contra uomitum qui frigida ex cauſſa procedit, ualent calida & confortatiua tam cibaria & electuaria, quàm unguentaria. Valet etiam diacitoniton, calidum dianiſum, diacuminum, & huiuſmodi quæ confortant ſtomachum. quære in dict. confortatiua, ſtomachus. Si autem uomitus ex cauſſa procedit calida, ualent frigida & ſicca, reſtrictiua & confortatiua, ut zuccarum roſaceum, diarodon, triaſandali & ſimilia. Quod ſi anhelitus ſit paruus & uelox, calorem ſignificat alienum, qui uirtutem ſuffocet & extinguat, potiſſime ſi uincet. Si tactus fuerit calidus, & ſitis ſubſequatur atque linguæ exiccatio, anhelitus uero paruus & frigidus, in peracutis febribus ſignum eſt mortis. Eius autem tarditas uirtutis expulſiuæ defectum ſignificat, frigiditas uero caloris naturalis deſignat extinctionem, defectum etiam uirtutis in corde, & inſtrumentorum ſpiritus. Anhelitus etiam ex interiori corruptione imminuitur, ut patet in leproſis, quibus anhelitus fœtidus eſt & corruptus, uiciniq; aëris infectiuus, propter quod minime tutum eſt propè eos ſtare, quia uicinum aërem inficiunt, qui aër infectus aſtantes inficit, quemadmodum Reguli flatus aërem inficiendo uolantes aues inficit ut refert Auicenna & Conſtantinus. Sternutatio ex diuerſis cauſſis naſcitur. aliquando enim ipſa natura per ſe hoc operatur, cùm fumos ſuperfluos à ſtomacho ad cerebrum aſcendentes, à cerebro expellere nititur, qui uel ſunt cauſſa morbi, uel cauſſa fumi uicini. humanum enim cerebrum aliorum animalium cerebris eſt humidius, unde & humores ibi adunantur infrigidanturq;, qui cooperante natura inde cum ſternutationibus expelluntur. Quandoq; fit ſternutatio uigore cerebri & naturæ. ſi fiet in acutis febribus ſeu continuis ſine rheumate, bonum ſignum eſt. ſignificat enim naturam confortatam in expellendo illud quod ſibi eſt nociuum. Si uero fit cum rheumate, malum ſignum eſt. ſignificat enim materiam exuberantē, unde ſymptomatica eſt ſternutatio, ideo in Pleureſi, ſimilibusq; malum ſignum eſt. Si ergo ſternutatio fiat modo debito, totum

Vomitus frigida ex cauſſa procedentis remedia.

corpus, maxime caput cerebrumq; alleuiat. Si autem post expulsionem superflui fumi plus debito continuetur, cerebrum lædit, quoniam nimis dissoluit, atque graues aliquando passiones excitat & inducit. Tali in casu restringatur per medicinas, per fumigationes scilicet constringentes, spiritus reparantes, & superfluitates consumentes, sicut per fumigationem Chamomillæ, mentastri, rosæ, & nigellæ, & huiusmodi. quære in dict. cyminum, synapium uel synapis. Fumus item cornu capræ adusti sternutationem prouocat. item forte acetum naribus infusum, atq; etiam odorifera naribus applicata. Febricitantium item signa bona & mala accipiuntur ex fluxu sanguinis qui fit in masculis tribus de caussis. Quandoq; est fluxus sanguinis à cerebro, & tunc fit cum sternutatione, cumq; dolore frontis & punctione. Quandoq; ab hepate, tuncq; dolor in sinistro sentitur latere, & sanguis per narem sinistram fluit. præter hoc etiam in mulieribus fit à matrice, & tunc dolor est circa umbilicum. Iste sanguinis fluxus quandoq; est utilis, quandoq; nociuus. In acutis enim febribus, & in Phrenesi, die cretico fieri solet motu naturæ, & tunc bonum est signum. Fluxus etiam bonus non est, quando ante diem creticum nimia fit sanguinis interioris ebullitione & feruore, unde acumine suo uenas aperit, fluxumq; sanguinis facit. Fluxus autem siue fuerit creticus, siue symptomaticus, in principio fluxus non restringatur, ne crisis impediatur, neúe sanguis alias ad partes fluat, suffocationemq; faciat, aut passiones alias. Si autem fluxus nimium augetur, pacienti (si fortis sit) in tempore facienda est minutio, tibiarum extremitates, brachiorumq; fortiter ligandæ & stringendæ. medicinæ restrictiuæ & emplastra frigida temporibus sunt apponenda, facies aqua frigida cum aceto mixta frequenter est perfundenda. acetum etiam in scutella naribus apponendum. Et si nimis fuerit periculosum, in aceto ponenda sunt genitalia. Si autem fluxus fiat ab hepate, ponatur uentosa super regionem hepatis. si à splene, super splenem. si à matrice, super matricem uel super mamillas. De febre quære in dict. calor, gallus, colica, capo, Balsamum, cucurbita, urina, infirmitas, signa febris, sambucus, salix. Nulla pinguedo aut unctuositas danda est febricitantibus, ideo eis carnes dantur. Sapphirus iuxta cordis uenas pulsatiles si suspendatur, febricitantes multum iuuat, quia caloris est repressiuus. De oris fœtore in dict. anhelitus. De humorum fluxu in dict. Oleaster. De fumo in dict. odor, asinus, caput. De fluxu generaliter in dict. myrrha. De capillorum fluxu in dict. caluitium, capilli, pili, alopecia, eunuchi, castrati, lepra, animalia, mus, Myrtus, nux, Oleaster,

Febricitantium signa bona atq; mala tribus ex caussis sumuntur.

oleaſter,aloe. De cauſſa fluxus & refluxus maris in dict. luna,mare. De fluxu ſeu contra fluxum rheumatis in dict.thus. De fluxu ſanguinis per nares,per uenã,per os,de utilitate & nocumento, deq; remedijs, in dict.febris cotidiana,acetum,argilla,Balauſtia,complexio,cyminum, corallus,cos,cypreſſus,ferula,faba,emplaſtrum,ſputum, aper, ſapphirus,Iaſpis,margarita,oleaſter,plumbum,plantago,populus, pôticus ſapor,roſa,ruta,ſmaragdus,topaſius,triticum,uitis, maſtix. Item fimus muli tritus & combuſtus, aceto mixtus & temperatus, atq; naribus adplicatus,ſanguinis fluxum per nares reſtringit. eius etiam fimus poſitus ſuper ſcorpionis puncturam multum prodeſt. De fluxu uentris quære in dict.Dyſenteria,Roſmarinus,aqua,anhelitus,acetum, Balauſtia,Bdellium,buxus,cyminum,cypreſſus,coagulum,conſtipatiua,conſtrictiua,fraxinus,dolor uentris, ſtomachus, hedera, lappa, uenter, pinea, pirus,roſa,rubus,maſtix,milium,myrtus,Iuniperus,lepus,margarita,Mandragora. Contra fluxum uentris.Recipe oleum maſticinum, illoque tepido uentrem unge ſuper ſtomachum, & ſi fluxus fuerit cum uentoſitate, cum prædicto oleo miſce oleum Nardinum, & cum tali oleo miſto tepido uenter ungatur ſuper locum ſtomachi,paciens utatur cibarijs digeſtibilibus & ſtipticis, præterea deſiccatiuis, ut cinnamomo & ſimilibus. Vinum item potet rubeum & maturum, pluuiali aqua uel ciſternæ lymphatum, uel cum aqua in qua ſit chalybs, uel ferrum ignitum mundum extinctum. Si autem magis uult reſtringere,in farina de qua fit panis quem comedit, miſceatur aliquantulum de puluere boni maſticis albi & lucidi. Item limatura ferri, quæ uocatur ferrugo & ſquama, quæ euolat quando ferrum mollitur, uirtutem habet deſiccandi,attenuandi. ideo contra ſplenis ualet oppilationem. uomitum nimis excitat, & intantum quod aliquando ducit ad mortem,niſi Adamantis puluere,uel aqua in qua adamas per noctem iacuit,eius uiolentia reprimatur. Dyſenteriam & omnem uentris fluxum, ſi cum pulmento aut potu ſumatur, reſtringit. De ferro ignito ut manu capi poſſit,in dict.manus,puluis. Ferrum etiam Adamanti obedit, ipſumq; ſequitur.nullaq; re citius rubiginatur, quàm ſi humano ſanguine intingitur. Ferrum item ſi ceruſa intingatur, ſiue medulla ceruina, aut oliuarum etiam oleo,ſeu alumine uel aceto,non rubiginatur. Item ſi ferrum candens in uino uel in lact eſæpius fuerit extinctum,uinumq; illud aut lac bibatur à ſpleneticis,eos ualde iuuat,taleq; uinum contra multas ualet infirmitates. de hoc in dict. Balauſtia,buxus, bdellium,cyminum, hedera,fraxinus.

Ad fluxum uentris reſtringendum.

De Geneſta. Cap. CLXXXVI.

GEnesta est arbustũ crescẽs in locis desertis et incultis, multos habet ramos graciles, duros & nodosos, flores glaucos siue croceos. ex illa scopæ ad emundandum domos fiunt. Florum, foliorumq; eius elixatura, siue aqua in qua fuerit bullita, splenis tumorem compescit, dentium dolori subuenit, menstrua, fluxus uẽtris, ac Dysenteriam stringit. foliorum succus atq; florum lendes & pediculos necat, quære in dict. Iuniperus, myrtus, mandragora. Item Cabi, qui alio nomine Bolus uocatur armenus, & est uena terræ quasi lapis, uirtutem habet constringendi uentrem, fluxum sanguinis undecunq; fluat. De impressionibus faciendis in ferro, quære in dict. puluis.

De Felle. Cap. CLXXXVII.

FEl Capræ (ut fertur) palpebris uel supercilijs superpositum, facit ea deoppilando non apparere, quia est acutissimum. Idem forte facit alijs pilis quacunq; in parte corporis. eandem uim habet Myrrha. Hoc etiam fel in uase aliquo positum, ad feranas congregare dicitur. Item accipe fel tauri, & quẽcunq; cibum comestura sit auis, cum illo cibo illud misce, si de illo comederit, statim cadet, uide in dict. mus. De felle in dict. aquila, animalia, canis, collyrium, color, hepar, mus. De fœmina in omni specie tam humana quàm in animalibus, quære in dict. mulier, assimilatio, audatia, aries, uox. De faba lupina in dict. anhelitus, dens. De frumento in dict. panis, farina, triticum, arbor. Frumentum in uini fecibus per triduum positum cum succo rutę, auibus ad comedendum datum, cum gustauerint, uolare non poterint. Vel accipe Hyssopum & sal, misce cum frumento, da illud ad comedendum auibus, & non uolabunt. De frigidis seu frigidatiuis in dict. appetitus, complexio, conseruatio, cholera, aqua, mandragora, cucurbita, cucumer, melones, pepones, lactuca, coriandrum, populus, uiola, caput, febris cotidiana. De fronte in dict. complexio, caput, febris. De faucibus in dict. anhelitus. De fractura ossis in dict. Ebulus. De fimo bouis in dict. dolor anchæ. De fastidio in dict. appetitus, casus appetitus, uomitus, stomachus.

De Gutta. Cap. CLXXXVIII

GVtta in manibus multiplici passione procedit. Patitur eñ manus propter cõtractionem, arefactionem, pustulationẽ, scissionem, uermium erosionem, pruritum & titillationem, iuncturarũ dissolutionẽ, guttam chiragricã. Causatur autẽ contractio quandoq; ex calidis & siccis humoribus neruos desiccãtibus

aut ex frigidis & humidis eosdē inficientibus, spirituūq; trāsitum includentibus, ut patet in Paralyticis & leprosis, quorum manus ex putridis corruptisq́ue humoribus neruos consumentibus & desiccantibus, contrahuntur. Manus etiam ex debiti nutrimenti subtractione arescunt, ut patet in decrepitis, squalidis, fame & inedia confectis. Quandoq; ex distemperantia caloris & excessu tertiam humiditatem consumente, ut patescit in phthisicis, hecticis & huiusmodi. Quandoq; ex neruorum uitio & uenarum, quæ oppilantur, unde ex humorum defectu & spirituum uirtus regitiua impeditur, ex quibus manus arescit, & à uigore corpulentiaq́ue depauperatur. Pustulæ autem & uesicæ turgentes ex prauis corruptisq; humoribus extrema corporis petentibus, generantur. unde & caro intus superficialiter corrumpitur; & cute eleuata in uesicas pustulasq; mutatur. Scissuræ autem, pruritus & huiusmodi, manibus accidunt ex humoribus calidis, acutisq́ue fumis intercutaneis, qui cutem scindunt, ac suo acumine carnis superficiem diuidunt. et primo quidem pruritum titillationemq; faciunt, postea uero dolorem haud modicum superinducunt. Humor etiam corruptus quando non expellitur, nec à calore naturali consumitur, paulatim magis atq; magis corrumpitur, inq́ue paruos uermiculos conuertitur, qui paulatim cutem corrodentes titillationem prouocant & pruritū. Iuncturarum dislocatio quandoq; accidit ex casu uel percussura, uel nimia compressione, quoniam per talem uiolentiam iuncturarum locum suum exit, & dolor grauis superinducitur, totaq́ue manus ad operandam aliquid impotens redditur. Quandoq; accidit ab intrinseco, scilicet à nimio humore iuncturæ neruos infrigidante, lubrificante & relaxante, ex quo facile iunctura dislocatur. Chiragra uero eadem dicitur passio in manibus, quæ Podagra dicitur in pedibus. Generatur autem grossis ex humoribus atq; crudis in iuncturis coadunatis & globatis, ex quo articuli & iuncturæ indurantur, quasiq; nodosæ efficiuntur. talis infirmitas est longa, arthetica, & si fuerit diuturna uix curatur. Sciendum item quod mulier ob naturæ inbecillitatem uix aut nunquàm est ambidextra, id est, sinistra utens pro dextra, quia dicit Gal. Masculi ambabus manibus &c. uix enim mulier ad operandum fortis est cum dextra, quanto minus cum sinistra. Masculi autem fortes habent neruos & lacertos in dextra, & in sinistra calorem habent mulieribus fortiorem. ideo frequenter contingit ut sinistra perinde ac dextra operentur. De gutta quære in diuersis suæ speciei dict. scilicet arthetica, schiatica, serpigo, scabies, dolor anchæ, manus, chiragra, podagra, radix, rosmarinus.

De gallis & gallinis. Cap. CLXXXIX.

GAllorum carnes crudæ & calidæ super serpētis morsum positæ, uenenū ad se trahunt. Ad idem ualet eorū cerebrum cum uino potatum. Ossa item gallorum gallinarumúe liquescenti auro si misceantur, ipsum consumunt. unde os gallinaceum auri est uenenū, quod mirum est. Gallus calidæ est & siccæ complexionis, ideò multum habet animositatis. Galli iuuenes siue pulli ad digerendum sunt duriores, minorisq; humiditatis quàm gallinæ siue pullæ. De gallo & gallina quære in dict. capo, basiliscus, carnes, canis, colica, febris.

De Gentiana. Cap. CXC.

CAncrorum cinis fluuiatilium cum Gentianæ puluere, contra rabidi canis morsum, atq; adeo hominis rabidi, singulare est remedium. Contra morsum etiam rabidi canis quæ sequuntur plurimum ualent. Succus Caprifolij, cepæ, nuces, allia, sal, frondes, ficus, menta, orobus. hæc omnia simul, aut eorum aliqua cum aceto & melle mixta talibus uenenatorum rabidorūq; morsibus apponuntur, teste Constant. quoniam hæc omnia uenenum attrahunt, suaq; caliditate ac siccitate dissoluunt, destruunt, & cōsumunt. Cōtra scorpionis quoq; morsum plurimū ualet oleū in quo suffocatur aut decoquit̃ scorpio, si cum ipsō scorpiōe suffocato super uulnus ponatur, idq; summū est remediū. Et si idē scorpio qui momorderit, aut alius cōtritus siue pistatus super uulnus ponatur, optimum est. uenenum em̃ infixum ad corpus reuertitur unde exiuit, uel ad simile. Item Butyrum bouinum si super scorpionis puncturam ponatur, plurimū ualet. nam butyrum sua unctuositate oppilat, caliditate dissoluit & cōsumit, uiscositate & humiditate sua mundificat & abstergit. butyrum ergo comestū meatus ne ueneni fumus ad cor ascendat, claudit. Gentiana (ut fertur) uocem mire clarificat, uide in dict. uinum. De gingiuarum cura quære in dict. dolor dentium, rosmarinus, dentes, mastix, menta, myrrha, morus, nardus, oleaster, thus, plantago, rosa, aqua ardens, ramnus.

De Galbano herba. Cap. CXCI.

GAlbani odor omnia uenenosa fugat animalia. Si quis Galbano se liniat, nulla ei uenenosa appropinquabunt. & si aliq̃ casu ei appropinquāt, nisi cito recedant moriunt̃. uenenosis em̃ ualde resistit, sicut expertū est. Galbanus est herba cuius fructus dicit̃ Galbanū, quæ herba similis est Ferulæ in ramis, cuius gutta siue gummi similis thuri in colore, grana habens lapidea. Virtutē habet attrahendi, dissoluendi, leniendi, relaxandi, mitigandi. fumus eius lethargicos excitat, splenis dolorē & oppilationes cū aceto sanat, matricem pur-

cem purgat. Galbani puluis cum melle mixtus lumbricos necat. eius fumus serpentes & uenenosa fugat, dentium dolorem mitigat. Galbanum autem quando in medicina ponitur, primum super ignem debet in testa liquefieri, liquefactum in aqua fundi, quodq; purum est supernatabit, quod uero est inutile, in fundo residebit. Quidam dicunt quod Galbanum in aqua feruenti poni debeat, quodq; fundum petit colligi, & quod supernatat, ut cortices & lapilli qui sunt mixti, debent amoueri. Glacies tempore hyemali si in farina recondatur, per anni spatium ibi conseruatur. alij dicunt quod in tritici paleis conseruetur.

De gutta aromatica. Cap. CXCII.

GVtta aromatica est lachryma stillans de arbore. & hæc quanto clarior tanto melior. terræ impermixtior, candida & pinguis ad modum thuris. Est autem calida in tertio gradu, sicca in secundo. Virtutem habet dissoluendi, relaxandi: cuius syrupus cum oxymelle potatus, spleneticos curat, oculorum asperitates immundiciasq; curat & mitigat. Cum Absinthij succo potata, lumbricos necat, contra artheticam & Schiaticam passionem cum pice dura per emplastri modum superposita, multum iuuat. urinam prouocat, omnes tumores inflationesq; sedat.

De Gariophylis. Cap. CXCIII.

GAriophyli si fuerint boni, nec sophisticati, uirtutem habent confortandi propter aromaticitatem, dissoluendi & consumendi. cerebrum confortant, & uirtutem animalem. ualent etiam cõtra defectum cordis, & uirtutem spiritualem confortant. ualent contra indigestiõem, stomachiq; dolorem qui ex frigiditate procedit & uentositate. De Genesta in dict. fluxus uentris, Iuniperus.

De gutture. Cap. CXCIIII.

GVttur multas periculosas passiones patitur. Quandoq; per incautam cibi potusúe sumptionem, quoniam quando quis comedendo loquitur, aut nimis auide & festinanter cibum sumit, contingit quod cibus meatum intrat per quem aër attrahitur, & nisi cito uentrem intrauerit aut euometur, contingit aliquem suffocari. Quandoq; patitur ex fluxu rheumatis à capite ad gutturis canale descendentis, ubi interdum facit apostema. Quod si materia fuerit cholerica & furiosa, paciens cito moritur & suffocatur; quia meatus ita angustantur, ut infirmus uix aut loqui aut cibum sumere possit. Si autem materia fuerit sanguinea,

infirmus corpore plenus apparet, in facie rubet, uenæ sunt inflatæ, pulsus plenus, humor calidus & dulcis in lingua sentitur ex sanguinis habũdantia, tuncq; statim facienda est minutio. Si uero rubea ex cholera procedat, dolor est frontis, angustia nimia, calor cum siti, maxima uigilia, amaritudo in gustu. Si autem sit ex phlegmate, dolor non tantum in fronte, sed lingua tumet & mollescit. Si autem fit ex salso phlegmate, omnia quæ fiunt, sibi salsa uidentur, quoniam illum saporem in gutture recipiunt. pacientis uox sicut paruulorum catulorum efficitur, quia ex salsi phlegmatis siccitate trachea arteria coartatur angustaturq;. Contingit autem totam istam malam materiam quandoq; recolligi interius in pellicula quæ aeris uiam diuidit, quæ dicitur trachea arteria, à uia per quã transit cibus, quæ dicit̃ hysophagus, & tunc facit Anginã, quæ uno *Angina uno die suffocans.* die suffocat. Ex compressione aũt tracheæ arteriæ liber aeris transitus ad cor denegatur, sicq; suffocatur. Quandoq; materia partim intra, partim extra, & tunc facit Anginam quæ non ita cito interficit. Quandoq; tota materia est extra, & est minus periculosa. In omnibus his dolor est uehemens gutturis aspirandi respirandiq;. In omnibus istis gutturis infirmitatibus bonum signum est uelox anhelitus aspiratio & respiratio, quoniam trachea arteria non nimium est compressa, ideo non est tantum periculum de suffocatione. De remedijs quære in dict. Angina *Anginæ cura præcipua.* apostema, sanguis. Istius passionis prima cura est sanguinis extractio in magna quantitate de utroq;. uenæ etiam sub lingua incidantur. fiant scarificationes cum uentosis in collo & in scapulis. deinde apponantur lenificatiua, maturatiua, mundificatiua. quære in dict. morus, ouum, anhelitus. De generatione in dict. salix, aries, assimilatio. De quattuor humoribus in dict. aper, sanguis, cholera, phlegma, melancholia, rosa, sinapis, triticum. De humiditatibus in dict. humida, caduci. De humectatiuis in dict. ouum, pinea, zuccarũ. De Ictericia (quæ faciei est decoleratio, ut patet in hepaticis) in dict. color, hepar facies, macula faciei. Sanguis Hirci hederæ folijs enutriti, calculum in renibus & uesica miro modo dissoluit. Cornu eius exustum serpentes fugat. eius cinis fistulas & cancros, aliosq; morbos ulcerosos sanat. Polypum etiam corrodit & emundat. Iecur hircinum contra rabidi canis morsum ualet, ubi recens super morsum ponatur. fel hircinum uisum clarificat, pannum, oculiq; telam corrodit. Vrina hirci cum eius felle mista confert leprosis & lentigines tollit.

De Igne sacro, deq; ignis conditionibus. Caput. CXCV.

Ignis hy-

IGnis hyeme eſt calidior quàm in æſtate. quia propter frigus circumſtans in aere eius uirtus fortificatur,& contrarium iuxta ſuum contrarium poſitum fortius agit.ideo aqua calida hyeme citius congelatur quã aqua frigida. Frigiditas tamẽ eſt qualitas conſtrictiua,& ingroſſatiua, quia dum per actionẽ frigiditatis partes uicinis partibus cohærent,magis uniuntur,fortioresq; ad agendum efficiuntur.quoniam uirtus unita fortior eſt &c.quære in dict.dolor,Iuniperus,emplaſtrum. De hyeme in dict.tempus, apoſtema, dormitio. De cauſis & remedijs infirmitatum,generaliter in dict. tempus,medicina,medicus, abſtinentia,guloſitas,ebrietas, ſignum bonum & malum infirmorum,mors,cantus muſicus,phreneſis,pulmo fel,color,epar,medulla, alimentum,comeſtio,crapula, abſtinentia,ſomnus,fluxus ſanguinis, oriens, paralyſis,ſmaragdus, apoplexia, autumnus,complexio.De inciſiuis in dict.acetum. De utilitate ieiunij non ſolum quo ad animam,ſed etiam quantum ad corporis ſanitatem, in dict. abſtinentia,guloſitas,complexio,alimentum , ſaliua.

Frigiditas constrictiua & ingrossatiua qualitas.

De Hydropiſi. Cap. CXCVI.

MVltæ ſunt ſpecies Hydropiſis,& maxime quatuor,ad quas aliæ reducuntur. In prima ſpecie inflatio eſt per totum corpus,tuncq; ſuperficies alba eſt & mollis. Si carni illi digitus imprimatur , foraminis ibi ſignũ facit & relinquit , perinde ac molli in paſta inprimeretur. Sed illud foramen paulatim ad æqualitatem reuertitur cum eadem carne ſicut ante impreſſionem.urina diſcolorata eſt & tenuis.In tertia ſpecie uenter eſt inflatus,& ſi percutiatur,ſonat quemadmodum uter plenus uento.urina colorata eſt & tenuis.Collum & extrema efficiuntur gracilia,nares acutæ,oculi concaui & rotundi. Primæ duæ ſpecies ante confirmatiõem curari poſſunt,poſteriores uero duæ uix aut nunq; curantur. Hydropicus eſt grauis,inflatus,mollis,ponderoſus,ſitibundus,qui quanto plus bibit, tanto plus ſitit. quantoq; plus bibit,tanto plus paulatim deficit,& amplius intumeſcit. Talibus diuerſa dantur remedia ſecũdum diuerſas infirmitatis cauſas. Iſtos omnia illa iuuant quæ uentoſitatum ſunt extenuatiua, humoris intercutanei conſumptiua,& uirtutis hepatis,ipſiusq; hepatis confortatiua. Remedia contra iſtam infirmitatem quære in dict.ſal,alliũ, ebulus, ſinapis uitis,aloe,hepar,fumus terræ,fœniculus,aqua,mel, magnes, lac,nitrum plantago,porrum,remedia,radix,ſambucus. De Iliaca paſſione in dict. Colica,electuarium,Balſamũ,Cypreſſus,calculus,iuniperus. De impetigine in dict.ſcabies.ſerpigo,fumus terræ,gutta roſacea,auripigmentũ unguentum, morphea,triticum,zizania.

Hydropicorum natura.

De Impetigine. Cap. CXCVII.

IMpetigo eſt paſſio procedens ex intercutaneo humore corporis, cuti pruriginem ingerens. Vnde tales ſcalpendo delectantur, & lacerando cutem ſuam ſiue pellem, tuncq́ in cute ſentit ardor, quia cholerica ſuperfluitas fumoſa & ardēs ab interioribus ad exteriora corporis reiecta, cutem inficit, eamq́ minutiſſimis replendo puſtulis ſcabioſam, quaſiq́ furfure reſperſam, ſciſſam & pruriginoſam efficit. & iſta infectio de materia melancholica uel cholerica nimis incenſa oritur. Eadem iſta paſſio dicitur Serpigo, quia ad

Serpigo. ſerpentis modum in cute undiq́ ſerpit atq́ repit. Hæc tamen Impetigo à Serpigine differt, quoniam fit de materia magis impetuoſa, & magis ignita, quia de cholera, ideo oblonga facit foramina, ſtricta, ſed ualde parua, & inſtar ignis ſemper mouetur ſurſum. Serpigo fit de materia minus ignita, ideo non mouetur ſurſum, ſed circumcircuit membra, & circumquaq́ue ſe diffundit. Iſta paſſio curanda eſt ſubfumigationibus & balneis cum herbis aperitiuis, conſumptiuis, mundificatiuis, exterſiuis ac ſimilibus, unguentis inungantur illæ partes cum ſucco Ebuli, ſambuci, Lapatij, fumi terræ & ſimilibus. poſt iſta aſueſcat balneum aquæ dulcis. Contra iſtam paſſionem (ut fertur) ualet ſputum hominis ieiuni, ſi tali ſputo læſæ partes inungantur. Iſtam paſſionem ſemper comitatur pruritus, & immoderatus appetitus continuæ fricationis, quæ calido ex fumo procedit & acuto, cutem mordicante, calida à materia ſcilicet cholera, reſoluto. Talis autem pruritus, ſi paciens cutem unguibus frangat, ulcera ingerit, calorem, doloremq́ue. Item tartarum, quod eſt alumen ſeu uini fæculentia circa partes dolij indurata, cuius natura calida eſt & ſicca in tertio gradu, ualet contra ſcabiem, ſerpiginem, impetiginem, contra capitis immunditias, quia uirtutem habet attenuandi, conſumendi, mundificandi, laxandi. De imprægnatione in dict. mulier, cōceptio, prægnans, aborſus complexio, lac mulieris, mandragora, ſalix.

De Hyſſopo. Cap. CXCVIII.

HYſopus eſt herba breuis inter petroſa creſcens, in petra radices figens, calida & ſicca in tertio gradu. Maxima eius uirtus cōſiſtit in floribus magis atq́ folijs, quàm ſtipite uel radice. In æſtate producit flores, qui colligi debent in loco umbroſo, mundo, non fumoſo, ibiq́ deſiccari. Virtutem habet diſſoluendi, conſumendi, attrahendi, mundificandi pulmonem, ſed cum ficubus ſiccis in uino decoquatur, & pacienti in potum præbeatur. Stomachi dolorem & inteſtinorum tollit. fomentum ex aqua decoctionis eius matricem à ſuperfluis humoribus purgat & mundificat. Iſta herba in

teſta

teſta calefacta, atq; calida capiti ſuperpoſita, catarrhum ſiue rheuma frigidum compeſcit, uuulam cadentem reprimit, dolorem ex uentoſitate reprimit & tollit. Verſus. Ad pulmonis opus cōfert medicamen Hyſſopus. Puluis eius contra Hydropiſim ualet, liuorem à corpore mūdat, ac uultui optimum colorem adminiſtrat. dentium dolorem mitigat, auriū tinnitum ſedat, atq; lumbricos necat. De inteſtinis in dict. ſal, dolor uentris, torſiones, abſinthium, colica, alimentum. Quo tempore arbores inſeri debeant, quoue non, quære in dict. arbor, medulla, luna, uitis, meſpila, palmes. De iuuenum conditione in dict. apiū, aſſimilatio, febris, mel, paralyſis, puer, infans; De tempore quo ligna incidi debeant ne putreſcant, in dict. arbor, luna, inciſio, medulla. De incenſo in dict. thus, anhelitus, Bdelllium, dolor oculorum.

De uirtute Iaſpidis. Cap. CXCIX.

IAſpidis uirtus reprimit febres & hydropiſim in his qui ipſum caſte geſtant. parturientes iuuat, phantaſmata fugat. hominem inter pericula reddit tutum, ardorem interiorem refrigerat, ſanguinis fluxum reſtringit & ſudoris. Luxuriā cohibet, conceptum impedit, menſtrua reſtringit & hæmorrhoides, ſi pulueriſetur & lacte mixtus in potum datus fuerit. ulcera inueterata ſanat, oculorum ſordes purgat, uiſum acuit & confortat, maleficijs & incantationibus reſiſtit; in argento poſitus maiorem habet efficatiam quàm in auro.

De Iunipero. Cap. CC.

IVniperus eſt arbor aculeata, cuius ligna ſi comburantur, ſuoq; cinere carbones operiantur, ignis in eis remanet, atq; per annum conſeruatur. Iuniperus arbor calida eſt & ſicca in tertio gradu. fructus eius colliguntur in uere. Virtutem habet diſſoluendi, confortandi, conſumendi contra fluxum uentris qui ex acumine procedit medicinæ. decoctio baccarum eius in aqua pluuiali multum ualet ſi in eadem paciens balneetur. Ex Iunipero oleum fit Iuniperinū contra Quartanā ſi cotidie pondus drachmæ cibo, alioue modo ſumatur. Valet etiam contra Iliacam paſſionem ſi dolentis partes inde perungantur. Epilepticis & caducis ſubuenit, lapidem in ueſica frangit ſi per chirurgiam immittatur. Chirurgia eſt fiſtula ſubtilis, qua medicina ueſicæ immittitur. Vinum decoctionis Iuniperri ſiccis cum ficubus pectus purgat, tuſſim tollit. In locis creſcit ſaxoſis, incultis, & deſertis. fructus eius ualet contra uenenum. Iris lapis qui communiter inuenitur in Hybernia, ſi ad ſolis radium ponat, Iridis colores

ſiue arcus cœleſtis generat in aëre circũfuſo. Eaſdem habet uirtutes quas & Beryllus. ſed non inuenitur tantæ quantitatis. Eſt autem in colore conſpicuus Cryſtallino ſimilis. iſte lapis parturienti mulieri cooperatur quo citius pariat, utq; tantos dolores partus non ſentiat aut timeat. quære in dict. pluma.

De Iuſquiamo. Cap. CCI.

SI Iuſquiamus, quę eſt ſubſtantia uel eius flos niger proijcia-tur in lacunis uel ſtagnis, quando incipit putreſcere, piſces hinc inde quaſi ebrij fugiunt, & quaſi exire nitunt. cum non poſſunt exire, illo ex fœtore moriuntur. Idem facit linum poſitum in lacunis aut ſtagnis quando ibi putreſcit. Vnde qui ſtagnũ habent, caueant ne mulieres linum illic ponant ad putreſcendum. De cibis inflatiuis in dict. faba, zuccarum, zizania. De infrigidatiuis in dict. dolor anchæ, frigida, dracontia, uitis, urtica, roſa, uiola, ſalix. De inflaturis in dict. tumor, apoſtema, dolor capitis, emplaſtrum, Ebulus, faba, gutta aromatica, roſa, ſal, ſapphirus, terebinthus, uitis, anhelitus, laurus, mandragora, roſmarinus, abſinthium.

De Lepra. Cap. CCII.

Lepræ ſpecies quatuor.

LEpræ ſpecies ſunt quatuor, ſecundum quatuor humorum mutuam intermixtionem. Prima ſpecies eſt ex pura melãcholia, quæ dicitur Elephantia, & inter omnes peior eſt. Secunda fit ex melancholia ac phlegmate, iſtaq; Tyria dicitur uel Serpentina. qui autem iſtam lepræ ſpeciem patitur, iſtius pellis facile excoriatur, & in ſquamam quandam reſoluitur. Tertia ſpecies fit ex melancholia atq; ſanguinis infectione, & dicitur Alopecia. cuius proprietas eſt, ex calefactione ſanguinis in hepate æſtiuo tempore deoppilari. Iſtam lepram paciẽs ſupercilijs, alijsq; corporis pilis depilari ac ſpoliari notabiliter conſueuit. Quarta lepræ ſpecies eſt ex cholera rubea in membris corrupta cum melancholia, & dicitur Leonina, quia ad modũ leonis corpus deuorat. Eſt itaq; prima ſpecies ſcilicet Elephantia ex melãcholia, Tyria ex corrupto phlegmate, Alopecia ex corrupto ſanguine, Leonina ex cholera rubea peſſima. Iſtæ quatuor ſpecies ſigna quædã habent cõia & generalia oĩbus, & quædam ſpecialia quibus earũ cognoſcitur diſtinctio. Signa cõmunia ſunt iſta, quoniã in quibus una iſtarum ſpecierũ fuerit, in eiſdẽ caro notabiliter corrupta eſt, & faciei ſpecies immutat. oculi rotundant, palpebræ corrugantur, aſpectum habent ſcintillantem, maxime in Leonina. nares anguſtantur & contrahuntur, uox rauca efficitur præcipue in Elephantia. in corpore creſcunt rubedines,

multa

multa ulcera minuta, dura ac rotunda. crurum fit quædã insensibilitas, & aliorũ etiam extremorum. Vngues ingrossantur quadam cum inæqualitate, quasiq; scabiosi efficiuntur. Digitorum articuli contrahũtur, & manus quasi aridæ efficiuntur. eorum anhelitus corrumpitur, atque eius fœtore sæpe etiam sani corrumpuntur. Carnes & cutis superficies redduntur unctuosa adeò, quòd cutis aqua aspersa non madescit, sed fit perinde ac si aqua super pannum lineum sepo unctum, proiecta seu aspersa fuerit. Pruritum sæpe sine scabie paciũtur, maculis uarijs, nunc rufis, nunc liuidis, nunc nigris, nunc subalbidis in corpore respergũtur. Tibiæ illorum maculis & pustulis plurimum deformantur. quæ quidem pustulæ nunc apparent, nunc disparent. nunc exterius erumpunt, nunc interius se profundant. Si uero inter tibiarum pustulas unam maiorem, aliam minorem inueneris, signum est lepræ confirmatæ. Signa autem lepræ maximè apparent in extremitatibus, ut in manibus & pedibus, cruribus & facie, præcipue autem in musculorum corporis consumptione & minoratione. Prædictæ istæ conditiones atq; signa sunt omnibus lepræ speciebus cõmunia. præter signa aũt ista cõmunia, quælibet species signa sua habet propria. Nam pacientes Leoninam, colorem habent magis croceum & citrinum alijs, oculos magis scintillantes eminentesq;, multum etiam mobiles. Cutem habent alijs asperiorem, scissam præ alijs. sunt etiam pruriginosi, serpiginosi, & in fine omnibus in membris plus corrosi. Alopeciam uero qui paciuntur, eorum supercilia, ciliaq; in totum depilantur. admodum tument & inflantur, eorum oculi ualde rubent, pustulas habent in facie rufas, ab illis pustulis sanguis sæpe cum sanie manat. Nasus in talibus ingrossatur, & odoratus deficit. anhelitus ualde fœtet, inq; gingiuis maximam corruptionẽ sustinẽt. Pacientes Tyriam, rubrositates atq; pustulas habent molles, cutem mollẽ, subalbidam & tumidam, et quodammodo relucentem squamositatem, pediculorum, uermiumq; non modicam multitudinem. Istas atq; alias conditiones pessimas habent, quæ ex corrupto phlegmate originem trahunt, ut sputa immũda & uiscosa. Nares habent obturatas ita, quod uidentur formare uocem infra nares. oculi eorum lachrymantur & fluũt propter superfluitates atq; humidam resolutionem. labiorum putrefactionem & gingiuarum, necnon tracheæ arteriæ asperitatem paciuntur efficiunturq; rauci. Sanguis eorum post flebotomiam in liquidam defluit substantiam. illud autem quod in illo sanguine liquidum est, album est uel subpallidum, & cum lauatur citò coagulatur, & in multa quantitate. Elephantiam uero patientes colorem habent ceruleum, faciem plũbeam, superciliorũ paciuntur depilationem, eorũ oculi rotũdantur, nares constringuntur, musculi consumuntnr, hocq; commune est in omni

Lepræ confirmatæ signa.

Leonina.

Alopecia.

Tyria.

Elephantia.

lepra. Insensibilitatem precipue maiorum digitorum paciuntur, sanguis de uena extractus liuidi est coloris uel subnigri, cito coagulat, & quanto magis fricatur, tanto magis denigratur induraturq;. In illius sanguinis medio sunt quasi uenæ albæ, uel quasi neruorum rami, & illud est commune in omni lepra. Lepra autem uarijs ex caussis nascitur præter quã ab humoribus prædictis, sicut ex cohabitatione & conuictu, ac frequẽti collocutione cum leprosis. contagiosus est enim morbus, & astantium infectiuus. Accidit etiam hæc infirmitas, si quis coeat cum muliere quæ à leproso statim fuerit præcognita. Quandoq; accidit ex primis generantibus, ut à leproso patre leprosus generatur filius, quia iste morbus hæreditario iure à parentibus transit in prolem. Aliquãdo accidit cum fœtus tempore menstruoso concipitur, uel quando infans ex corrupto lacte mulieris leprosæ enutritur. Quandoq; ab extrinseco, sicut ab aëre corrupto & infecto, ex malo cibo & potu, ut ex cibis melancholicis nimis frigidis atq; siccis, ex carnibus .s. bouinis, asininis, ursinis, & huiusmodi. Aliquando lepra accidit ex cibis corruptis, qui cito corrumpuntur. Ex his multisq; alijs caussis lepra in humano corpore generatur. Curari autem, quando genita est, uix potest nisi miraculo. palliari tamen potest, & impediri cursus eius ne cito præualeat. Cauere debet paciens ab omnibus cibis generantibus melancholiam, & à cibis qui sanguinem incendunt, uel ab omnibus acutis, subtili diæta est nutriendus. Si autem sanguis sit in caussa ut in Alopecia, primo debet flebotomari, deinde purgari debita medicina. In alijs autem speciebus præcedere debet minutio, deinde contra humorem peccantem congrua dari debet medicina, exterius uti debet emplastris & unguentis. Ad curationem uel potius palliationem Lepræ ualet serpens rufus uentrem habens album, qui euacuato ueneno, scilicet præcisa cauda & capite sumatur decoctus in cibum. & de uino in quo serpens diu putrefactus ibidem steterit, sæpe pacientibus propinetur. Hæc autem medicina utilis est multis morbis, ut patet de quodam cæco, de quo narrat Platearius, quod uxor ei dederit serpentes cum alijs comedere pro anguilla, uolens eum interficere, & cum cæcus illud comedisset, multo sudore emisso uisum recuperauit. Nimia siccitas est caussa Lepræ, uide in dictionibus caluitium, complexio hominum, frons.

Lepra morbus contagiosus.

Sciendum est item quod ulcera quædam dicuntur uesicæ seu uesiculæ, quæ ex humore intercutaneo sæpius in corpore undique oriuntur, quod fit ex acumine humoris, quod cutem scindit, & illas uesicas facit. quarum materia est subtilis humiditas sanguinis, uel choleræ ab interioribus ad exteriora in uere expulsa. Talia ulcera cutem fœ-

tem fœdant, pruritum generant, cutem à carne eleuant, & alij si continua sunt, lepræ periculum præconisant: Qui ab eisdem uult mundari, à superfluis infectisque humoribus purgetur. Deinde balneis siccis & mediocriter consumptiuis, secundum qualitatem & quantitatem carne & cute ulceratis, se exponat. à crapula omnino & diæta nimis laxa abstineat, labori & exercitio se exponat. Sanguis uulturum cum herba quæ dicitur Combetonte & Cedria, leprã sanat. De lepra in dict. allium, calamentum, hæmorrhoides, morphea, piper, pustula, remedia, sambucus, ulcera, assimilatio, anhelitus, auris, complexio.

De Linguæ passionibus & remedijs. Cap. CCIIII.

Lingua multipliciter patitur. Aliquando paralyticatur, & tunc sermonis usum perdit, & hoc accidit ex neruo animalis uirtutis uehiculo oppilato. dolet apostemate, uel ex mala complexione linguæ, & distemperantia, infrigiditate, calore & siccitate, uel humore. Quandoq; lingua apostematur & intumescit, & tunc sermo linguæ impeditur. Aliquando ex superhabundãtia humoris liquidi relaxatur, & nimis remollitur linguæ neruus, tũcq; debitus sermo propter nimiam nerui remollitionem non formatur, ut patet in ebrio. Multis alijs modis lingua patitur, & in suo usu ac debiti sermonis prolatione impeditur. Si ergo linguæ substantia sit sana nullas habens maculas, loquelam tamen perdiderit, uitium surgit à cerebro uel à neruo oppilato. Quandoq; perditur loquela ex perdita mente, ut in phrenesi. & in quibusdam mente alienatis, & in illis qui talem incurrunt passionem ex nimia comestione ceparum, alliorum, uel scalonisarum, aut aliorum acutorum, ex quibus cerebrum læditur, atq; etiam grauiter imaginatio & memoria, & sermo amittitur. Quod si lingua nimis uideatur tumida, caloris excessum significat. si uero alba, frigiditatem. ubi autem mollis, humiditatem. at si sicca fuerit & aspera, nimiam siccitatem designat. Quandoq; accidunt pustulæ latæ & extensæ in pelliculis linguæ exterioribus, sicut accidit pueris lac malum sugentibus. & quandoq; sunt coloris albi, quandoq; nigri. Quandoq; accidit linguæ apostema, quo sic intumescit ut ab ore exire non possit. Aliud est genus apostematis linguæ quod uocatur Rana, eo quod paciens quemadmodum rana obmutescit. *Rana genus apostematis.* De linguæ impedimentis & remedijs in dict. ebrietas, aspis, menta, nardus, remedia. Sciendum quod lignum quantumuis etiam magnum, aqua non mergitur, sed supernatat. modicus uero lapillus, modicumúe aurum uel ferrum mergitur, quamuis lignum multò plus ponderet. huius ratio est ligni porositas. nam aer

ligni poros ingrediens, ipſum ſupernatare facit, ſecus fit in ferro, lapide aut metallo. Cæterum ligna magnæ ſoliditatis & compactionis, ut patet in Hebeno, merguntur ut lapides. uide in dict. medulla.

De Lana ſuccida. Cap. CCV.

LAna ſuccida, quemadmodum de oue accipitur, ſi abſq; ablutione ponatur ſuper iuncturam diſlocatam, uel ſuper iuncturarum dolorem, plurimum prodeſt. Lupus ſi ouem interficiat, eius quoq; morſus & lanam inficit. Veſtem præterea tali ex lana factam reddit pediculoſam. tale etiam ueſtimentum cuius lanam dens lupi tetigit, tineas generat & pediculos. Tinea enim ex pannis generatur laneis ex corruptione lanæ, quod fit quando ueſtes laneæ, uel panni diu in aere groſſo comprimuntur, nec uento perflantur & in puro aere non explicantur. Tineæ amara & odorifera fugiunt, & ad ueſtes talibus reſperſas non facile accedunt. ideo Lauri folia, Cypreſſi, Cedri, lauendula & huiuſmodi inter ueſtes poſita, ſeu pannos aut libros, à tineis corrumpi non poſſunt, ut refert Conſtant. Lacerta ſentiens ſerpentem inſidiari homini dormienti, ſuper dormitantis hominis faciem ſaltat, pedibus ſcalpit, & dormientem excitat. teſte Auicenna *Lacerta.* Lupus morſum habet ualde uenenoſum, eius uulnera ſicut rabidi canis morſus ſanantur. uide in dict. canis rabidus. Lupus multum timet lapides, unde ſiquis duobus lapidibus aut calculis, eoſdem ad inuicem percuciẽdo collidendoúe ſonitum fecerit, lupus eo ſonitu audito audatiam amittit atq; fugit. Si intret ouile, totum gregem ſi poſſit interficit, quia à tota ſpecie aduerſatur naturæ eius. Vnde chordula de lupi inteſtinis facta, & adiuncta chordis citharæ factis de inteſtinis ouis, eas deſtruit et corrumpit. quemadmodum aquilæ pluma columbæ plumis adiuncta, eas excoriat & corrodit ſi diu ſimul teneantur. Tympana item de luporum corio facta, ſurdos faciũt audientes. Cauda lupi ad præſepe boum ſuſpenſa, boues ab eſu prohibet. Et ſi eadem lupi cauda in columbario ſuſpendatur, non accedit murilegus, nec furetus, nec aliquid nociuum columbis. Item magnum tympanum de lupi corio factum, alia tympana facit crepari ſi pulſentur. Itẽ ſi lupi cauda in uilla alioúe loco ſepeliatur, lupos atq; muſcas ab interiori uillæ, quã diu durauerit, ꝓhibet. Lupus etiam ſiquem inſequatur, & ille ſubſiſtens inter ſe & lupum aliquod ponat ſignum, quaſi pararet ſibi rete, lupus illaqueari timens ſubſiſtit. De remedijs contra infirmitatẽ quæ uocatur Lupus, uide in dict. apoſtema

De Lepore. Cap. CCVI.

De Lepore

DE lepore,eiusq; sanguine & carne in dict.ceruus,caduci. Leporis coagulum ualet contra uenenum, & uentris fluxum restringit. sanguis eius oculorum dolorem mitigat.eius autem coagulum quanto est uetustius,tanto melius. Sanguis item leporis calidus contra Morpheam ualet,si locus inungatur . nam sanguis ille sanguinem intercutaneum , seu ipsius Morpheæ diuidit, repercutit & consumit teste Constant. Si quis dentis dolorem patitur,& in parte qua dolor est,unum leporis dentem posuerit,dolorem sanat. De remediјs cõtra Lethargiam in dict.caput. Galbanum,cerebrũ,apostema,agnus castus,apoplexia,cepa,mustela,aqua,amygdalus.

De Venere. Cap. CCVII.

QVi frequenter & nimio coitu utuntur , his superciliorum pili cadunt,uel albescunt.quod quidem accidit propter humiditatis cõsumptionem,uirtutis defectum,& propter frigiditatis cerebri augmentaionem.Galenus item in libro de spermate refert, quod animalia superflui coitus breuioris sunt uitæ quã illa quæ raro coeunt. Et ob hoc eunuchi diutius uiuunt,quia neruus eis præscinditur per quem semen descendit.& huiusmodi rationem ponit Auicenna lib . de animalib . ubi sic inquit.Sperma de sanguine bono et plene digesto,qui iam est conuertibilis in membrorum nutrimentum, accipitur.Ideo quando homo seminalem illum humorem eiјcit, corpus eius multum discoloratur,debilitaturq; magis quã si quadragesies tantum sanguinis exiret de corpore,quia sperma res habilitata ad trãseundum in membra,& quando exit,naturale membri nutrimentum aufert uide in dict.plumbũ,ruta,cõplexio, dolor Anchæ. Lamia animal est de quo in trenis dicitur.Sed & lamiæ denudauerunt mammas. Lamia,ut dicitur, est animal caput habens uirgineũ,corpus uero belluinum. Lamiæ siquando hominem quenpiam apprehendere possunt, primo muliebri facie ei blandiuntur,ac secum coire compellunt usq; ad defectum & quando ulterius eorum libidini satisfacere non possunt,morsibus ipsum dilaniant & manducant.

De Luna. Cap. CCVIII.

LVna est omnium humorum augmentatiua, quia per occulta lunæ spiramina fluxus & refluxus maris augmentantur, unde in eius incremento multiplicantur , atq; eius decrementum omniũ inferiorum est detrimentum. Medullæ itẽ hominum in corporibus & animalium ex natura lunæ mutantur.nam crescente luna crescit & medulla , decrescente uero decrescit.hoc est ui-

dere in quibusdam, & etiam in arboribus, in quibus humor medullaris in plenilunio superhabundat, & in nouilunio depauperatur, tuncq; arbores inserere non est bonum, quia fructus efficiuntur uermiculosi, & facile putrescunt. & hoc accidit propter superfluam humiditatem, quã surculus tunc insertus in medulla concipit. cuius superfluitas à natura tunc regi atq; dirigi non potest. Ideo talis humor indigestus ad fructus eius transmissus, est caussa uermiculationis, ac celeris putrefactiõis. Medulla autem ualde est medicinalis, præcipue uolatilium & animaliũ syluestrium. Nam labiorum sanat excoriationes, ulcera quoq; eorum & scissuras conglutinat. aurium dolorem mitigat, gladij duriciem emollit, pedum uesicas sanat, gutturis dolorem mitigat, insuper etiam Phthisicis & hecticis singulare est remedium. Virtutem habet resumptiuam, unde & in membris deperditum humorem restaurat. Medullæ bouis & uitulorum neruos contractos & induratos mollificant, humectant, & remolliunt. Item luna attrahit aquas maris sicut Adamas post se ferrum, mouetq; post se mare Oceanum. Vnde suo in ortu mare ex parte occidentali intumescit, & ex parte orientali decrescit, & econtra. Quando scilicet est in occasu, crescit mare ex parte occidẽtis, ex parte uero orientis decrescit. Et luna secundum quod plus uel minus perficit in lumine, sic in suo fluxu plus & minus extendit uel retrahit ipsum mare teste Macrobio. Oceanum autem mare in Lunæ incremento retinet istum modum. Primo enim die crescit scilicet in nouilunio, fitq; fluxus solito copiosior, & tunc in summo habundat. Secundo minuitur, diminuiturque, & decrescit fluxus & extensio maris usq; ad diem septimum. Iterũ crescit per septem dies ita quod. xiiij. die iterum plenus est in fundo. unde in nouilunio est mare semper plenissimum, codemq; modo in plenilunio. Luna etiam est mutatiõis temporum designatiua. Nam si in principio ut aurum rubeat, uentos indicat. Si in summo eius corniculo maculis quibusdam nigrescit, pluuiosum mensis exordium prædicit. Si uero sui initio in medio nigrescit, plenilunium serenum ostendit & prætendit. Quando autem circulus in quo apparent colores quasi in iride, quẽ Aristot. in lib. Meteororũ Alloleti uocat, circa lunam incipit inspissari, signum est futuræ pluuiæ. Si autem ille circulus post eius generatiõem rarefit, signum est futuræ serenitatis. Luna uero in nocturna nauigatione scintillante ad remos, signum est, quod tempestas breui futura erit ut refert Beda. Item Luna sua de natura frigida est & humida teste Albumasar, suoq; motu continuo aerem mundificat, rarefacit & subtiliat. nam dicit, si motus sphæræ Lunæ non esset, tanta grossities aerem inficeret ex nocturno uapore exhalante, ut inde corruptionem non modicã uiuentium generaret. Luna item secundum astrologos inter planetas

maximam

maximam habet potestatem ac dominium super corporis humani dispositionem. nam ut refert Ptolemæus in lib. de astror. iuditijs, Sub luna continetur ægritudo, amissio, tumor, damnum & huiusmodi. Vnde circa humanam corporis mutationem luna eiusq; uirtus potissime operatur. Hocq; accidit tum propter motus sui uelocitatẽ, & ipsius ad nos uicinitatem, tum propter occultam sibi naturaliter insitam potestatem. Proinde morborũ mutationẽ medicus perfecte non discernit, qui lunares effectus in humanis corporibus non cognouit. Luna quoq; secundũ suam uarietatem in mulieribus & hominibus uarias passiones excitat, quod patet in lunaticis & caducis, de quibus in dict. lunatici, arbor, cerebrum, caduci, dolor anchæ, medulla, incisio, insertio, planetæ, mulier. Secundum lunæ etiã uarietatem cerebrũ in animalibus crescit & decrescit. Mare itẽ suis in actionibus lunã imitat̃, quoniã luna quãdocunq; aliqua in hora diei uel noctis orit̃, ipsum mare ostendit ita, quod illius fluminis aqua redit ad partes loci à quo cucurrit, ac si esset per uiolentiam repercussa. Et cum luna est in cardine, in se aqua incipit diminui, sicut quãdo luna uult oriri, aqua incipit augmentari. Igitur quemadmodum ferrum sequitur Adamantem, ita mare lunæ cursum, eiusq; uirtutem sequitur. Ostreæ item alijq; pisces qui in testis seu conchis sunt, deficiente luna interiori substantia euacuantur, depauperanturq;. Quum uero luna fuerit in augmento, tales pisces crescunt, meliorant̃, ac ingrossantur. & ut breuiter dicam, omnis humor deficiente luna diminuitur, eadem uero crescente, crescit. ideoq; omnes pisces conchis clausi lunæ in incremento turgescunt, & in eius defectu euacuantur, quod patet in locustis marinis. Et quemadmodum luna super omnia humida dominiũ habet, ita & super hominis cerebrũ. Idcirco lunatici & caduci una in parte mensis peius habent quàm in alia. & secundum incrementũ & decrementũ, lunæq; cursum lætantur ac tristantur. Item retentio sanguinis menstrui signum est impręgnationis, quod enim de menstruali sanguine superfluit, ad mamillas attrahitur ut inde lac generetur. lactis em̃ materia est sanguis decoctus in mamillis teste Aristot. uide in dict. abòrsus, impręgnatio, mulier. Puer calido lacte nutritus, eius dentes citius oriuntur. post partũ autem & mundificationem mulieris lac multiplicatur. Quædã etiã mulieres lac solum in cono mamillarum habent, quædam in alijs ipsarũ partibus. sed quando lac bene digeritur, coagulatur, et mamillæ indurescũt. Mulier item nigra lac melius habet & nutribilius quàm alba. Omne lac ex tribus est compositum substantijs, in uirtute & actione uarijs diuersisq;. Vna est subtiliatiua & mundificatiua. altera grossa & oppilatiua. tertia mollificatiua & extenuatiua. Si enim substantia aquosa & serosa, acuta est & subtiliatiua; grossa & caseatiua, frigida est & oppilatiua;

Butyrosa uero, unctuosa est & mollificatiua. Vnde lac sua cũ substantia aquosa et acuta, est grossorum humorum incisiuum, subtiliatiuum, atq; lauatiuum, uiscerum, intestinorumq; mordificatiuum, uentris solutiuũ, facile etiam fecis expulsiuum, corruptorum humorum in corpore intus & extra abstersiuum, uenarum penetratiuum, oppilationũ splenis atq; hepatis aperitiuũ, maxime si fuerit ex calidæ complexionis animalibus ut ex Camelis. & tale lac hydropicorum est iuuatiuum. Vnde lac laudabile, & ex istis tribus substãtijs sua aquositate temperatum, est mẽbrorũ mundificatiuum, sua unctuositate uenenis repugnat, mẽbra humectat, sua caseitate cibariorum ab orificio stomachi ad fundum est depressiuum. Est & alia laus lactis. quia si temperate & opportuno tempore, mundato prius corpore cum Cassia fistula, aut alia congrua medicina, accipiatur & bibatur, corpus laudabiliter nutrit, & sua substantia sanguini assimilatiuum. Si autem corpore non mundato, aut tempore non congruo bibatur, in malos conuertitur humores, quos in corpore non mundato inuenit, ipsosq; augmentat, & in fumos calidos resoluit, & per hoc capitis dolorem generat. Est etiam febrilis dispositionis, seu febris inflammatiuum. & si calorem naturalem inuenerit debilẽ, facile acescit, & fit in stomacho acetosum, ideo lac non est frequenter bibendum, nisi corpore mundato temperatoq;, & stomacho à cibis uacuo. Si autem lac bene digestum fuerit, corpori bonum & multum præstat nutrimentum. laudabilem sanguinem generat, carnem humectat, corpus in superficie intus & extra pulchrum reddit, clarum & tenerum. Lac item ieiuno stomacho bibi debet calidum, quando scilicet emulgitur. nec post lactis potum quidquàm comedendum est, donec lactis substantia sit digesta. Post potum etiam lactis cauendum est à nimio labore atq; motu, quoad lac ad digestionis locum descenderit, ibiq; fuerit digestum & concoctum, quia ex inordinato motu, ex calore nimio repente generato, eius unctuositas in fumũ nociuũ subito resoluit, & grossiori parte lactis manente indigesta multiplex corruptio generat. Electum autẽ lac & ad bibendũ utile has habere debet qualitates, scilicet colorem, odorẽ, liquorem, saporem. Colorẽ albissimum, clarum, à citrinitate, rubore & liuiditate maxime alienum. Odorem gratum, ab horrore & grauitate alienum. Liquorem inter grossum & subtilem medium, cuius mediocritatis signũ est, si gutta lactis super unguem posita remaneat in sua rotunditate continua, & non diffundatur nec liquescat. cuius etiam guttæ forma inferius est lata, & superius acuta. Saporem habeat acceptabilem qui nec amaritudini, nec salsedini, nec acetositati sit admixtus. Has omnes cõditiones habet lac mulieris ultra omne aliud lac, & ideo est magis temperatũ quàm aliquod aliud lac. quoniã omne lac naturaliter imitatẽ

naturam

naturam & complexionem animalis ex quo extrahitur. Humana autē complexio magis eſt temperata, ideo lac mulieris maxime temperatum eſt, propter quod maxime nutritiuum, aſperitatum oculorum maxime mitigatiuum, unde ſummum gradum tenet in omni lacte animalium.

De lacte Cameli. Cap. CCIX.

LAc Cameli, quoniam animal calidæ complexionis, eſt multum calidum, atq; alijs plus ſubtile, & minus nutritiuum, diureticum, oppilationum aperitiuum, ideo iuuat hydropicos. Lac uaccinum eſt ualde unctuoſum, ideo ualde nutritiuum plus quàm lac cuiuſcunq; pecoris, unde lac uaccinum ſua aquoſitate ad inferiora penetrat, unctuoſitate ſua calorem naturalem roborat caſeitatis ſuæ paucitate naturam non multum aggrauat, ſed potius adiuuat & ſuſtentat. Vnde modo alio eſt utendum lacte ad nutriendum, quia tribus eius ſubſtantijs in ſimul eſt utendum, ut ſcilicet lac ſtatim cū ab ubere mulgitur calidū bibatur. Alio modo eſt eo utendū ad mundificandum, & calorem mitigandum, quia tunc ſeroſitas eſt relinquenda ſeparandaq; à butyroſitate. Alio modo ad calefaciendum & humectādum. qui enim ſic lacte uult uti, unctuoſitate butyri uti debet. Lactis eī uſus conſideratur ſecundum ſubtilitatem, groſſiciem & mediocritatem. Subtilitas autem attenditur in ſubſtantia & actione. In ſubſtantia, utrū ſit melius quod eſt humanæ complexioni uicinius, quale eſt lac mulieris Omne item lac tanto eſt utilius, quanto citius ſumitur quum de mamilla extractum fuerit. efficatius enim eſt contra uenenum, contra renum & ueſicæ mala, cōtra pulmonis uulnera, ſi poſtquàm de mamilla extractum eſt, aërem non tangat, ſed ſtatim ſumatur. quoniam ex tactu aëris eius uirtus immutatur. Subtilitas uero in actione, quando eius butyroſitas à ſubſtantia caſeoſa ſeparatur, & aquoſitas cum acumine tunc augetur. Lac itaq; uaccinum eſt groſſiſſimum, cæteriſq; minus liquidum & aquoſum, minus acutum, magis butyroſum. unde bene nutrit, ſtomacho competit, membra confortat, calorem hepatis ac ſtomachi refrigerat, corpus inpinguat & augmentat. inteſtinorum uulnera & matricis ſanat. Melius autem eſt & ſalubrius, ſi lapidibus fluuialibus ſiue calculis accenſis & ignitis, in lacte extinctis tota aquoſitas inde maxima pro parte exit.

Lacte quomodo utēdum ut ſanitati optime conferat.

De lacte Caprino. Cap. CCX.

LAc Caprinum poſt fœmininum in tribus ſuis ſubſtantijs, ſcilicet in ſubſtantia caſeoſa, ſeroſa, butyroſa eſt potiſſime temperatum, ideo ualet contra pulmonis uulnera, renum ac ueſicæ uitia, ubi zuccarum eī

admiſceatur. Eius ſerum à caſeo ſeparatum, maxime eſt colatiuum, *Lac Caprinum.* mundificatiuum, & choleræ repreſſiuum. Lac autem Caprinum per ſe multum bibitum in ſtomacho facile coagulatur. ideo ne noceat, modico cum melle & ſale temperetur, & nunquàm coagulabitur. & ſi incipit coagulari in ſtomacho, diſſoluetur. Lac autem Capræ minus eſt aquoſum, magis ſtipticum & ſtomacho congruum. lac enim ex paſcuis atq; cibo quo capræ utuntur, diuerſificatur. Nam quæ teneris ac recentibus herbis paſcuntur, lac faciunt aquoſum, ſubtile, ac ſtomacho nociuum. quæ uero laxatiuis paſcuntur, lac faciunt mordificatiuum, & neruorum pungitiuum, & tale eſt nociuum ac laxatiuum. Lac *Lac ouinum.* ouium multum habet de ſubſtantia groſſa caſeoſa, & parum de butyroſitate. unde ad bibendum minus ualet quàm Caprinum aut uaccinū. *Lac aſininum.* Lac aſinæ eſt temperatum & nutritiuum, reſumptiuum, uentris tamen ſolutiuum ac laxatiuum. neruorum remollitiuum, & membrorum ſiccitate & calore induratorum humectatiuum, pectoris iuuatiuum, tuſſis & anhelitus difficilis mitigatiuum. uulnerum, renum, & ueſicæ curatiuū hecticos, & conſumptos reſtaurat. uide in dict. aſinus, hectica.

De lacte prægnantis. Cap. CCXI.

LAc animalis quod eſt propinquum partui, ſubtile eſt & aquoſum, quia aquei humores in animalibus tempore partus adunantur, quoniam tunc os matricis clauditur, atque lac aquoſis humoribus commiſcetur. Ideo eo tempore eſt nociuum, uomitus & faſtidij prouocatiuum, aſperitatis remollitiuum, uentris laxatiuum, durum ad digerendum, ſtipticum, & in ſtomacho coagulatiuum. peſſimarum infirmitatum cum fumo aſcendente cerebri percuſſiuum, & doloris capitis cauſatiuū, fœtoris dentium & anhelitus inductiuum. Vnde ſi lac fuerit corruptū, uel plus debito ſumptum, aut alio tempore quàm expedierit bibitum, multarum infirmitatum eſt generatiuum, malorum humorum & lumbricorum nutritiuum, bonorū uero humorum corruptiuum. arenarum in ueſica & in renibus adunatiuum & putrefactiuum. caloris naturalis debilitatiuum, caloris innaturalis & febrilis inflãmatiuum. gingiuarū & dentium infectiuum, puſtularum peſſimarū & ſcabiei in paruulis cauſatiuum. rugitus & ſiccitatis effectiuum, oppilationū renum, ſplenis atq; hepatis effectiuū, ſtomachi grauatiuū, & ſua lubricitate ſumpti cibi ante digeſtionem expulſiuum, & ſic Dyſenteriæ inductiuum uel diſpoſitiuum. Serpentes plurimum diligunt lac, eiusq; odorem ſequuntur. quare ſi quis lac bibiſſet, & obdormiret, lactis odorem ſerpens ſentiens, per os uentrem intrare nititur. Si autem acciderit quod uentrem ingreſſus ſit, tale remedium

dium est. Habeat uas in quo multum lactis ponatur, & ille aperto ore super uas lactis. nam serpens lactis odorem sentiens, per os statim exibit, uas illud ingrediens. Si mulier quæpiam sterilis est, & non concipiat, illiq; lac equinum ipsa ignorante datum fuerit ad bibendum, ferũt eandem à marito postea cognitam frequenter concipere. Item si modicum zuccari in lacte ponitur, non poterit coagulari.

Literam scribere quæ non possit legi, nisi prius ad ignem calefacta. Cap. CCXII.

Accipe cepas, sal, urinam, tere & simul distempera, deinde succum exprime, & cum illo scribe quod uelis in papyro, & non apparebit, nec legi poterit litera. Cæterum papyrus ad prunas calefacta, literæ ut legi possint apparebunt. Si autem uis literas delere, aut scripturã sine rasura, combure carnem leporis bene salitam, atq; eius puluerem misce cum calce uiua, & pone super illas literas quas uis delere, sicq; ita per diem aut noctem super eisdem steterit, literas omnino deletas inuenies.

De Lactuca herba. Cap. CCXIII.

Lactuca à lacte dicitur, quia lactantes mulieres lacte implet. In uiris arcet luxuriam. frigida est & humida, non autem nimis aut nociue. In cibo sumpta fastidiosos iuuat. corpus tamen reddit imbecille, oculos obscurat, sanguinem mundat. trita cum sale, & super combusturas posita, eis medetur. si recens comedatur cito digeritur. stomachi arsuram & morsuram ex cholera rubea sedat. Sanguinis ebullitionem refrigerat, somnum prouocat, capitis dolorem ex fumo cholerico sanat. lac in mulieribus multiplicat, & semen in uiris generat, bonum sanguinem in quantitate & qualitate generat. *Lactucæ uires & medicinæ.* Lactuca antiqua non competit usui, quia multas infirmitates generat. Est autem quædam Lactucæ species quæ sponte nascitur, quam Caprinam uocant, qua in mare proiecta pisces qui eius odori sunt uicini, necantur. Cuius lac cum aceto & uino iuuat hydropicos. Folijs eius si conterantur cum sale, nerui incisi sanantur. Est & alia Lactucæ species, rotunda habens folia, quam quidam Erucã uocant. Cuius herbæ succus omnia oculorum uitia sanat, maxime quãdo ei mulieris lac admiscetur. Serpentum & scorpionum ictibus medetur ubi succus eius cum uino, & folia trita super uulnus emplastrentur. Omnis Lactuca libidinis imaginationes compescit, corpusq; pollui non permittit si frequenter comedatur. Eius tamen usus frequens, uisus claritatem obfuscat.

uide in dictione oculus.

De Lauro. Cap. CCXIIII.

LAurus ſemper hyeme & æſtate uiret.hæc inter arbores ſola fulmine non percutitur. Laurus eſt arbor admodum aromatica & magnæ uirtutis. Folia eius inter pannos poſita tineas fugant. eadem ſi uiridia conterantur,ponanturque ſuper apum puncturam & ueſparum,mitigant.eodem modo ſuper tumores poſita inflaturam ſpargunt. Oleum baccarum lauri admodum eſt precioſum,ualetq; contra omnes frigidas paſſiones. uide in dict.Anethum,acetum.

De Lilio. Cap. CCXV.

LIlium eſt calidum & humidum, eſtq; uirtus eius maturatiua.ideo ualet contra apoſtemata ſi cum axungia ſimul conteratur. Virtutem quoq; habet remollitiuam, igitur contra ſplenis ualet duriciem, ſi eius ſucco ueteri admiſto oleõ ac bene incorporato,ſplenis regio inungatur. Item habet uim mundificatiuam,unde ualet ad faciem colorandam,ubi puluis eius cum aqua roſacea miſceatur,& inde facies abluat. Habet præterea uim mitigatiuam ideo folia eius decocta ad loca ualent combuſta. Idem facit radix eius trita cum oleo mixta,& loco combuſto appoſita. Habet item uim aperitiuam, & compactorum diſſolutiuam, ideo purgationem menſtrualem educit. Tumores quoq; & inflaturas reprimit,idcirco contra apoſtemata ualet ex uentoſitate & inflaturis, ubi radix eius trita cum oleo ſæpe apoſtemati ſuperponatur. Lilij item folia,& radices cum uino potæ,ſerpentum ictus ſanant, ualentq; contra fungorum maliciã,& cõtra uenenum. In uino decoctæ admiſto oleo,pedum clauos nodoſque ſoluunt, pilos quoq; locis aduſtis reddunt. In uino autem decoctæ addito melle,præciſis uenis ſubueniunt. foliaq; eius uino cocta uulnera ſanant. Semen eius tritum,ſacro igni adpoſitum, ipſum curat. flos eius atq; folia neceſſitati ſubueniunt. De lilio oleum fit precioſum, ueluti de roſis oleum roſaceum. Flos lilij ſi non tangatur nec confricetur,candorem & odorẽ pariter conſeruat. ubi fricatus atq; manibus attractatus, plurimum fœtet.idem eſt de uirginitate & caſtitate.

De Lappa herba. Cap. CCXV.

LAppa eſt herba lata habens folia amplaq; propè terram ſparſa, fœtida ac mali odoris.in ſummitate haſtularũ quædam habet capitella

ſpinoſa, quæ capillis & hominum ueſtibus, quando ſunt deſiccata, plurimum adhærent. Huius herbæ ſuccus ualet contra ictus ſcorpionũ, nec hominem feriunt qui eius ſucco unctus fuerit. Radicis eius decoctio dentes iuuat & confirmat ſi tepida in ore tenetur. ſemen eius ſtomachi uitia curat, ſanguinem reijcientibus prodeſt, Dyſentericis ſubuenit. Nam radix eius cum uino uentris fluxum reſtringit. folia eius cum ſale miſta, uentrem laxant. Semen eius potui datum calculoſos iuuat. tota iſta herba trita contra ſtrumam ualet. Virtutem habet diſſoluendi, relaxandi, aperiendi, ideo cõtra ſcabiem, pruritum, & ſerpiginem ualet, quoniam intercutaneum conſumit humorem, apoſtematum duritiem diſſoluit et tumorem, ualet contra frigidam Hydropiſim, contra ſplenis oppilationem. Succus eius cum Rutæ ſucco miſtus, cerebrum à phlegmatica paſſione ſeu ſuperfluitate purgat, ſi modica quãtitate naribus in balneo uel in aere calido inſtilletur.

Lappa contrita ſtrumis medetur.

De Leguminibus. Cap. CCXVII.

LEgumina ut piſa, cicera, fabæ, lenticulæ & ſimilia, ſubſtantialiter ſunt groſſa, frigida atq; ſicca, ad digerendam dura & compacta, propter compactionem igitur ad coquendũ difficilia. nec etiam in aqua puteali facile decoqui poſſunt. imo ut bene decoquantur in aqua poni debent fluuiali aut fontana. De leguminibus itaq; fit cibus rudis & groſſus, fortioris naturæ & complexionis hominibus competens, quia talis cibus de ſe durus eſt ad digerendum, cæterum legumina digeſta, multũ nutriunt & confortant, ſuntq; naturaliter inflatiua, & uentoſitatis generatiua. Eorum tamen uentoſitas diminuitur ſi in cibo uel potagio ex eis facto, illa ponantur quæ uentoſitatis ſunt extenuatiua, ut Cyminum, Anethum & ſimilia, ſiq; cortices quæ ſunt quaſi indigeſtibiles, in decoctione ab eis amoueantur. uide in dict. aqua. De laxatiuis in dict. nitrum, porrum, ponticus ſapor, roſa, medicina, Terebinthus, Malua, ſyrupus, auena.

De Lino herba. Cap. CCXVIII.

LIni ſemen calidum eſt & humidum, uel inter humidum & ſiccũ temperatum. unctuoſum, parum nutrit, ad digerendum durũ, ſtomacho nociuum, inflatiuum, diureticum. cum melle tamen ſumptum melius eſt, & contra Tuſſim ualet. Cum melle etiam & pipere comeſtum uentrem excitat, & ad amorem ſtimulat. Valet ad apoſtemata maturanda, habet enim uim mitigatiuam, ſubtiliatiuam, rarefactiuam & maturatiuam. quare matricis apoſtema ſoluit ſi paciens in eius decoctione ſæpius foueatur.

De Leone. Cap. CCXIX.

Leo ob naturæ ſuæ caliditatem Quartanam patitur.

LEo tantæ caliditatis eſt,ut quartanas febres ſemper paciatur,idq; ſolum quo eius edometur ferocitas. Leonis carnes quoniam nimis calidæ,ad eſum ſunt nociuæ. Adeps eius uenenis eſt contrarius, nam eodē quicunq; perunctus fuerit, aliorum animalium uel reptilium in illo tempore morſus non timebit. Oleo roſaceo mixtus,faciei cutem à uitijs cuſtodit,clarificat, candoremq; præſeruat. combuſturas ſanat,oculorum tumores ſedat. Valet etiam contra morbos comitiales ſeu caducos. Cor eius in cibum ſumptum quartanam febrem ſoluit.fel eius cum aqua diſtemperatum uel collyriatum uiſum acuit. Labiorum tremor in phrene ſi atq; febribus acutis, ſignum eſt mortis. Item ut ferrum ignitum manu tangas, aut in bullienti aqua absq; læſione ponas. extrahe ſuccum herbæ quæ dicitur Palma Chriſti, & manum intinge ſeu inunge.

De Morphea. Cap. CCXX.

MOrphea eſt macula in cute cauſata ex humore intercutaneo. Quædam autem Morphea eſt alba ex phlegmate. quædā nigra ex melancholia. quædam rufa ex cholera ſiue ſanguine. Illa autem quæ ex melancholia atq; phlegmate, difficilis eſt curatu. Quæ uero ex ſanguine,ad curandum eſt facilior. Morphea autem tunc eſt incurabilis, quando faciei cutis acu puncta ſanguinem non emittit. Si uero ex punctura ſanguis exiuerit, curabilis iudicatur. Morphea igitur tota in cute eſt. ſed lepra & in cute & in carne exiſtit. Hæc infectio parū differt à gutta. uiſcera inficit, faciē quibuſdam paruis & mollibus puſtulis, quæ ex uiſcoſis humoribus ſanguineis aut cholericis intercutaneis generantur. Iſta Morpheæ paſſio primo ſanguinis ſubtractiōe minuatur, ex interiorum humorū mundificatiōe curet. deinde ſubfumigatione & balneatiōe facies fomentet, tūcq; apertis poris inde mundificatiuis & deſiccatiuis locus pacientis abluatur, unguentis etiam debitis inungatur. Contra iſtam paſſionem ualet ſi locus calido ſanguine leporino ungatur. nam ſanguinem intercutaneum diuidit, repercutit & conſumit. Præcipue autem & ſuper omnia contra hanc paſſionem humoris intercutanei ualere dicitur Fumus terræ, in balneis & ſubfumigatiōibus, in medicinis & ſyrupis potui datus. quoniam potui datus ſeu potatus ſcabiem & puſtulam, pruriginemq; mūdat, ſuperfluos humores inter carnem & cutem deſiccat, & ad lepram diſpoſitos iuuat. uide in dict. lepus.

Fumus terræ contra Morpheam, ſcabiem, puſtulas & pruriginem præcipue ualet.

De Maſtice. Cap. CCXXI.

MAſtix eſt quoddam Gummi ſtillans de arbore quæ dicitur Lentiſcus, quod gummi aſſimilatur incenſo, & eſt ualde calidum & ſiccum. Virtutem habet conſtringendi, conſolidandi atq; confortandi, ideo ualet contra uomitum, omnemq; fluxum tam ſanguinis quàm aliorum humorum. Maſtix autem à maſticando dicitur, quoniam inter dentes maſticatum, durum efficitur & glutinoſum ad ceræ modum circa dentes. Sic autem maſticatū gingiuas à putridis humoribus purgat, dentes mobiles confirmat ac dealbat, eorumq; radices roborat & confirmat, malū anhelitū amputat & emundat. In iſto autem Gūmi guttæ illæ quæ ſunt albæ, claræ, atq; mundæ ad modū incenſi, eligēdæ ueniūt, qa meliores. Hæ uero quæ habent terram, & quaſi nigræ, ſunt abijciendæ. Cerebrum purgat & mundat, multumq; facit ſpuere. Virtutem digeſtiuam confortat ſi comedatur. uentoſitatem attenuat, ſuper calidam tegulam liquefactum, omnia fracta, gemmas ſcilicet & alia miro modo conſolidat. Si pulueriſetur, & in illo foramine manubrij ponat in quo cultelli lamina mergitur in manubrio, illaq; cauda laminæ calida infigatur, uix unq; lamina de manubrio exire poterit. Malua ſi cum Porcinis carnibus decoquatur, & pulmentum fiat, uentrem laxat. Aer ex uicinitate maris immutatur, quoniam terra uicina mari ſeptentrionali frigida eſt & ſicca, ex uapore frigido & ſicco à mari eleuato. ibi enim calor debilis, & parum uincens, ideo mare Aquilonare parum eſt ſalſum, ſed quaſi dulce. In mari Auſtrali contrarium eſt ex cauſa contraria. De Maſtice in dict. Bdellium. anhelitus.

De Margarita lapide. Cap. CCXXII.

MArgarita lapis eſt candidiſſimus, naſcitur, & in piſce inuenitur qui Oſtrea uocatur, qui piſcis in concha paruus eſt, gignitur autē à cœleſti rore, qui certo tempore à cōchis hauritur & attrahitur. Illæ uero Margaritæ ſunt meliores, quæ omnino albeſcūt & non flaueſcunt. Quædam autem inueniuntur perforatæ naturaliter, quæ alijs ſunt meliores. Virtutem habent confortatiuam, uel à tota ſpecie ut quidam dicunt. Valent contra Cardiacam & Syncopin cordis, contraq; debilitatem ex fluxu medicinæ prouenientē. Valent quoq; contra fluxum ſanguinis atq; uentris. Et fertur, ſi tempore hauſtus roris à concha piſce, tonuerit, lapidem aborſum pati.

De Maleficis. Cap. CCXXIII.

MAlefici utuntur Vpupa, quæ auis plurimum habitat in ſepulchris, antris uel in fimo. eſtq́ue immunda ualde, plumis à capite exeuntibus galeata. Cuius ſanguine ſiquis ſe inunxerit, dormi-

endo ſe dęmones ſuffocātes uidebit. cuius cor malefactoribus ualet, nam ſuis in maleficijs eo utuntur. Veſpertilio animal ſimile muri, auis,habens pennas continuas,uolat in crepuſculo admodum celeri uolatu,in ſciſſuris habitat parietum,frigidiſſimæ naturæ,oleum bibit in lapidibus.quare ſanguis ueſpertilionis ſuper palpebras linitus, pilos non ſinit creſcere,quia ſua frigiditate poros oppilat, quibus oppilatis, pili non recreſcunt.uide in dict. rana. uulpis.

De Malogranato. Cap. CCXXIIII.

MAlumgranatum à ſua natura per culturā mutatur. nam porcino ſtercore fimatū,& aqua dulci rigatum melioratur.quia per iſtius fimi caliditatem atq; ſiccitatē, aquoſa ſuperfluitas in Granatis reprimit. Sed ne per caliditatis & ſiccitatis exceſſum fimi fructus in amaritudinē cōuertatur,expedit aquam dulcem apponere,caloris ſiccitatiſq; dominium temperantem. uide in dict. acetum ſiue acetoſa,Balauſtia,morus.

De Mure. Cap. CCXXV.

MVs quamuis animal ualde nociuum,ad multa tamen ualet medicinalia.Murum enim cinis cum oleo uel melle auribus inſtillatus, earum dolorem ſedat.ſiq; pulex,aliudúe animal aures intrauerit,fel murum præcipuum eſt remedium, tepido aceto temperatum atq; auribus inſtillatum. Muris item fimus cum aceto tritus,alopecias mundat,caputq; à capillorum caſu cuſtodit. Cum uino tritus & in potu ſumptus, miro modo uentrem laxat.Calcaneum læſum ſi recenti eius pelle inuoluatur,uulnera eius ſanat.

De Muſtela. Cap. CCXXVI.

MVſtelarū fel ualet contra Aſpides.nam earū pudenda plurimum fœtent,& ſerpentibus contrariantur. earum etiam carnes contra uenenum ualent.Muſtela combuſta & in cinerem redacta, in medicina ponitur quæ datur lethargicis. Vnde ſiquis ex ueneno Aſpidis Lethargicam paſſionem incurrit, Muſtelæ cinis cum aqua diſtemperetur,& lauetur caput lethargici.ſomniferam enim paſſionem diſſoluit.Puluis quoq; eius ualet contra fiſtulam. Muſtela morſum habet uenenoſum. contra quem remedia habentur ſicut contra ſcorpionis morſum uel ſerpentum.uide in dict. canis rabidus,ſerpens,ſcorpio.Serpens etiam Rutæ odorem odit,ideo Muſtelā fugit,quum eandem Rutam comediſſe ſenſerit.& ſiquando Rutam olfecerit,nec fugere poteſt,nec ſerpere.

De Melle. Cap. CCXXVII.

Mel eſt

Mel eſt mundificatiuum,oppilationis ſplenis atq; hepatis aperitiuum.hydropicorum iuuatiuum, inciſiuum, morſus rabidi canis curatiuum.uide in dict.Apes.Mel item,ſecundũ Galenum atq; alios medicos;iuuenibus,pueris & uiris perfectæ ætatis,in quibus calor habũdat,cibus eſt inutilis & nociuus.Senibus autem frigidis,ueteri cum uino, ac cibis calidis conuenit. Mel calidum eſt & ſiccum in fine ſecundi gradus. mundificatiuum, lauatiuum, ſubtiliatiuum,ſuoq; calore groſſorum humorum in corpore inciſiuum inteſtina pungit,& ad fecium expulſionem commouet.Eſt autem membrorum debilium roboratiuum, confortatiuumq;,nociuorum fluxuũ reſtrictiuum.eſtq; conſeruatiuum,mundificatiuũ,& ad amaritudinem temperandam in quocunq; etiam Antidoto.Mel ſi non bene fuerit mũdatum & deſpumatum,ualde uentoſum eſt & inflatiuũ.rugitus in uentre generatiuum,malos in humores facile conuerſiuum,ſplenis atq; hepatis ſua uiſcoſitate oppilatiuũ, choleræ inflãmatiuũ, diurnæ febris inductiuum,Iliacis & cholericis nociuum. quære in dict. Auellana, canis, ſenex,roſa. De matrice in dict. aborſus, complexio, menſtrua, myrtus, mulier, Nardus, remedia, Ruta, thus, zizania. De conditionibus mamillæ matris in dict. aborſus,capra,dolor mamillæ,faba,farina, lac,menta,triticum. Item mamillæ ſuauiter motæ ad papillas,libidinem mirabiliter excitant, propter continuationem quam habent cum matrice. De his quibus ueſtium ſordes,necnon corporis humores mundantur,in dict.auris,color,facies,macula faciei.

De mulierum aborſu. Cap. CCXXVIII.

De cauſſa quare mulieres aborſum faciant, in dict. aborſus Beryllus,capilli,complexio,dolor Anchæ,gutta,menſtruũ. Sanguis menſtruus ſi debito tempore non euacuetur,mulieribus peſſimas paſſiones inducit. quandoq; ſpirituum ſuffocationem,quandoq; hydropiſim,quandoq; phreneſim,& nonnunq; neruorum contractionem.Contra talia pericula ſummum eſt remediũ talis ſanguinis corrupti euacuationem procurare. Nec mirum ſi talis ſanguis ſic corruptus,proprium ſubito lædit.quoniam menſtrualis ſanguinis contactu fruges non germinant, areſcunt arbuſta, moriuntur herbæ,arbores fructus amittunt,ferrum rubigo corrumpit,nigreſcunt æra & metalla.& ſi canes inde comederint rabidi efficiuntur. Aſpalti glutinum quod nec ferro nec aquis diſſoluitur, ſi iſto ſanguine pollutũ fuerit,ſponte diſpergitur. Iſte ſanguis ex ſuperflua humiditate,ac debili calore in mulierum corporibus cauſſatur.& ideo ne natura ex eo grauetur,in matrice tanq; aqua in ſentina recolligitur,ſi debito modo atq;

tempore expulſus fuerit,totum corpus alleuiando mundificat,mundificando alleuiat,ipſamq; matricem ad conceptionem diſponit.Huius autem fluxus ſanguinis ſecundum Ariſtot.in menſis fine maxime uiget. Non tamen,ut idem refert,certam habet temporis reuolutionem; ſed pro minori parte accidit in diminutione Lunæ. Et hoc rationabiliter, quia tunc temporis animalium corpora ſunt frigidiora, in illoq; tempore aer eſt frigidior,& ſanguis alteratur,fitq; ex eo ſuperfluitas menſtrualis.Quæ ſi tunc expellit,talis euacuatio laudabilis eſt & naturalis.quoniam ſi ultra tempus,uel propter groſſitiem ſanguinis,uel propter matricis acrocitudinem,uel propter expulſiuæ uirtutis defectum retineatur,talis mulier peſſimis paſſionibus ſubijcitur. Quod quidem uerum eſt ab annis.xiiij.uſq; ad annum.L. quia in iuueculis meatus ſunt ſtricti atq; uirtus debilis à quinquageſimo anno.poſtea ẽm ſanguis minorat̃ et frigeſcit,uirtus deficit,& calor tepeſcit. quocirca hæ duæ ætates ſcilicet ſenectus uetularis & iuuentus puellaris,tali ab immunditia ſunt immunes.Natura enim poſt mulieris imprægnationem menſtruum ſanguinem ad fœtus nutrimentum retinet & conſeruationem,quoniam eſt cibus fœtus exiſtentis in uentre. Quare mulier quæ menſtruum fluxum poſt conceptionem patitur,abortiuũ facere ſolet.quia aut fœtus debilitatur, aut moritur propter nutrimenti ſubtractionem. ideo menſtrui ſanguinis retentio ſignum eſt imprægnationis.Aues item fœminæ iſtius ſanguinis fluxum non paciuntur,nec animalia,quia talis eorum ſuperfluitas in plumas tranſit uel pilos teſte Ariſtot.Mulieres quoq; laborantes,ſeq; corporaliter exercitantes,hunc fluxum haud multum paciuntur ſed quieſcentes,& quæ multum comedunt atq; bibunt,ac lautam uitam ducunt,tales nanq; purgatione indigent.Quando autem tali à ſanguine mulieres modo & tempore debito non euacuãtur, appetitus defectum paciuntur,cibaria abhorrent, carbonum puluerem atq; laterum appetunt,quoniam ſanguis retentus in malicioſum fumũ terreſtrem & ponticum conuertitur, quo ad ſtomachi orificium rapto, appetitus rationalis ſubuertitur,& irrationalis generatur,unde talia corpora peſſimas ad paſſiones ſunt diſpoſita. Mulieres uero quibus ſanguis ultra debitũ modum fluit, ad mamillas apponere debent uentoſam, uenis de matrice aſcendentibus.per uentoſarũ enim attractionem ſanguis ſuperfluus ad mamillas attrahitur, ſicq; inferior menſtrui fluxus minoratur. uide in dict.imprægnatio. Iſta infirmitas uiris non accidit,quia propter caloris fortitudinem & complexionis ſiccæ uigorem in maſculorum corporibus quicquid ſuperfluitatis gignit, aut per laborem & exercitiũ euacuatur,aut per incenſum calorem,aut in pilos conuertitur et reſoluitur.& propterea in maſculis corda ſunt ampliora,maioraq;, & ad receptionẽ habundan-

habundantiæ maioris ſpiritus atq; ſanguinis capaciora. Ob quam ſpirituum habundantiam, & calidi ſanguinis, uir audatior eſt naturaliter quàm mulier, in qua cauſſa eſt cõtraria. unde Ariſtot. lib. de animalibus refert, quod in omni genere animalium uir fortioris ſit naturę quàm fœmina, præter urſum & Leopardum. Mulieribus item poſt imprægnationem infirmitas quædam accidit quæ dicitur Mola, eaq; tum accidere ſolet, quando concepti fit ſuffocatio ex pauore, ac humore malæ digeſtionis. quia tunc in matrice carnis fruſtum generatur duriſſimum, quod Mola dicitur. Mulier quoq; generaliter flexibilem habet capillũ uiro molliorem, & ceruicem longiorem, mulieris color naturaliter magis eſt candidus, uultus lætus, mollis, ſerenus, blandus. ab humanis uſq; ad umbilicum corpus habet magis anguſtum & gracile quàm uir. ab umbilico uſq; ad genua magis groſſum, manus, omniumq; membrorũ extremitates flexibiliores habet, ſubtilioresq;. Vox eius tenuis, ſermo uolubilis & facilis, inceſſus breuis, paſſibus ambulat breuibus & curtis. animus inſolens, ad iracundiam pronus, tenax odij, miſericors, inuidus, laborum impatiens, difficilis, ſubdolus, amarus, ad libidinem præceps. cito lachrymatur, quia maioris eſt pietatis quàm uir. magis munda, magiſq; diligit. maioris eſt maliciæ quàm uir, ſed corpore debilior, mẽdax, inuerecunda, maioris ſegniciei, tardiorisq; motus quàm uir. Mola.

De Medicinæ atq; Medici conditionibus. Cap. CCXXIX.

QVædam eſt medicina attractiua, quæ ſua ſubtilitate penetrat, ſuoq; calore attrahit, ſiue ferrum ſiue aliud intus fixũ, ſiue humores qui in profundo latitant. Eſt item medicina digeſtiua, quæ neceſſaria eſt quando materia eſt multum dura & compacta. incidit enim & diuidit materiam, & ſic ad expellendum operante partem materiæ ſeparat à parte, ut patet in diureticis. Eſt quoq; medicina laxatiua quæ aliquando digeſtam materiam purgat, diſſoluendo & attrahendo, ut Scamonea recepta in ſtomacho, fumum ſubtilem penetrantem facile à ſe emittit, & humores diſſoluens abominabiles naturæ reddit, & attrahit eos adiuuante uirtute expulſiua, & attractos ad ſe eijcit & expellit. Quædam laxant ſuo acumine penetrando ut Euforbium. quædam ſua glutinoſitate comprimente ut Myrabolani. quædam ſua ſalſugine inteſtina mordicãte, ut ſemen Atriplicis. quædam ſua dulcedine & humiditate inteſtina infundendo, ut Caſſia fiſtula. Medicina conſtrictiua operatur per frigida & groſſa in ſubſtantia. Nam frigidum partes coadunat, atq; partium ſuarum groſſitie penetrare prohibentur ut Galla. quandoq; groſſos generat humores, unde

Medicina attractiua.

Laxatiua.

Conſtrictiua.

constringit oppilando, uirtutem retentiuam confortando, ut escula. Quædam specialiter constringunt sanguinem, ut corallus, Bolus, hæmatites, plantago, & huiusmodi. Quædam etiam constringunt uentrem ut cydonia, myrrha, rosa, & huiusmodi. Medicina autem induratiua est quæ uel materiã coagulat & malignat, & hæc operat̃ per ualde frigida, sicca uel humida, ut est Psillium, Sẽperuiuũ, Portulaca, Solatrũ & similia. Medicina mollificatiua operatur per calida mediocriter, & multũ humida, similiter & maturatiua. habet enim uirtutem aperitiuam, uritiuam attenuatiuamque. Aperit autem meatus oppilatos, & humores attenuat uiscosos atq; spissos, hocq; per calidum facit atq; spissum. Medicina mundificatiua operatur uel dissoluendo ut Calamentum, uel mollificando ut Cassia fistula, malua. uel terrestreitate sua & siccitate sordes obstringendo. In somno item magna fit humorum resolutio. Si materia fuerit multa, & uirtus debilis, per somnum maior fit resolutio humorum, per quod calor naturalis uincitur & extinguitur. Ideo minutis præcipitur, quod post minutionem non dormiant, ne scilicet per somnum tanta humorum fiat resolutio, quod non possint à natura regi. uide in dict. dormitio. Quantum ad medicos, sciendum est quod propter medicorum negligentiam & imperitiam plurimi moriuntur. quare medicus summe diligens esse debet, & in omnibus circumspectus. Proinde ut utiliter operetur, hominũ complexiones cognoscat oportet, compositiones & mixtiones, tam membrorum quàm humorum. dispositiones temporum, conditiones sexuum & ætatem patientium, Lunæ cursum & ætatem, planetarum coniunctiones. Quoniam alia medicina requiritur hyeme, alia in æstate. alia in morbi inchoatione, alia in statu morbi. alia in eius declinatione. aliam exigit ætas puerilis, aliam decrepita & senilis. aliam sexus uirilis, aliam sexus muliebris. Ideo necessum est, ut medicus caussas & occasiones ægritudinum cognoscat, signa & accidentia singularũ infirmitatũ, quia medicina nunquàm secure datur, ubi morbi caussa fuerit incognita. Oportet etiam ut rerum medicinalium complexiones, uirtutes & operationes cognoscat. Quoniam nisi cognosceret quæ medicina simplex, quæ composita, quæ frigida, quæ calida, quæ tẽporis sit immutatiua, quæ sanitatis conseruatiua, quæ infirmitatis curatiua, quæ laxatiua, quæ constrictiua, in sua cura nunquàm secure procedere posset. Ideo necesse habet cognoscere herbarum, aliarumq; rerum medicinalium qualitatem, atq; graduũ diuersitatem. quæ calida & sicca, quæ frigida & humida, quoto in gradu, si in cura errare noluerit. Cognosci oportet morbi diuturnitatem, contrarietatẽ, simplicitatem, quãtitatem & qualitatem, pacientis uirtutem ac debilitatem. Nam morbus chronicus & diuturnus fortiori indiget medicina quàm si recens,

ſeu de nouo generatus eſſet. Simplex etiam morbus ſimplicibus & contrarijs, compoſitus compoſitis & contrarijs curandus eſt. quoniam ſimplex medicina compoſitam infirmitatem raro curat. Si autem infirmitas ex cauſſa calida procedat, medicina debet eſſe frigida ſeu ex frigidis. Si cauſſa ſit frigida, medicina calida. Si mixta, medicina mixta curatur. quia generaliter contrarijs contraria curantur. Ideo ſecundum morbum, eiusq; cauſſam temperare debet medicus qualitatem & quantitatem Antidoti. Si infirmitas procedat ex repletione, curari debet per euacuationem. Si autem ex inanitione, curanda eſt per repletionem. Peritus itaq; medicus ſtatim à curationis exordio omni diligentia inueſtigare debet morbi cauſſam, modum, diuturnitatem, accidentia, ſuper hoc infirmum diligenter inquirendo, & qui nouerunt eius modum uiuendi, interrogãdo & per ſe ipſum, per pulſum, per urinam, per colorem, per appetitum, per caſum appetitus, & per alios modos. Cognita cauſſa & radice materiæ, ad curam per contraria procedere debet. Si materia eſt in profundo, inq; remotis partibus, utitur attractiuis, & ad ſtomachum attrahit, ut inde facilius educatur. Si materia dura ſit & cõpoſita, utit̃ digeſtiuis, diuerſiuis & inciſiuis, ut materia mollificetur, & ad eductionem diſponatur. Tuncq; educit aut per uomitũ, aut per ſeceſſum, uel per ſudorem. Sed iſta fieri non debent niſi prius materia per ſyrupos, alijsq; modis digeſta fuerit. Facta eductione & euacuatione, diæta bona miniſtrari debet. quoniam natura poſt euacuationem multum ſolet appetere. Ideoq; cibus niſi paulatim miniſtretur, plus ſæpe accipiet quàm digerere poſſit. proinde euacuati, quique ſunt in conualeſcentia, à medico in diæta temperata cautè detineri debent, & quantum ad quantitatem, & quantum ad qualitatem, quia euacuati & conualeſcentes ſæpe utroq; modo in diæta errant. ideo reincidunt, & grauiori quàm prius erant periculo ſe exponunt. Poſtquàm autem natura bene fuerit fortificata, inq; priſtrinum ſtatum reducta, debet ille uti conſeruatiuis ſanitatis, qualia ſunt balnea, minutiones, electuaria, exercitia moderata, diæta bona, conueniente tempori & naturæ. Talia enim calorem naturalem excitant, naturam à ſuperfluis humoribus exonerant, ſpiritus bonos, humoresq; bonos generant, digeſtionem adiuuant & confortant. Si materia infirmitatis fuerit fluida aut nimis laxa, utetur confortatiuis, deſiccatiuis & repercuſſiuis. Quando uero materia quæ prius erat laxa atq; fluida, iam eſt reſtricta, dare debet medicus conuenientem laxatiuam medicinam, quæ humores educat prius diſſolutos, ſed iam reſtrictos, ne ibi remanentes, uel ad partem aliam defluentes putrefiant, & apoſtema generent, aliamq; paſſionem, febrem & ſimilia. Et cauendum quod paulatim fiat reſtrictio, ne ma-

Periti medici offitiũ

teria repercuſſione ſubito repercuſſa, ad nobile aliquod membrum recurrat, maioremq; læſionem faciat. Similiter purgatio, & ſaniei de apoſtemate fieri debet per interualla, nõ repente aut ſubito, quoniam infert nocumentum. In medicinis laxatiuis, ut in Scamoniacis conſtringimus, in conſtrictiuis, ut Acacia & oppilatiuis reſtauramus cibis & potibus nutritiuis & electuarijs. Ad attrahendum autem humores de partibus remotis, ſcilicet ab interioribus & remotis partibus ad exteriora, ualent quædam ut Hierapicra, Hieralogodion & ſimilia, quoniam talia amara citius penetrant ad remotas partes, & extrema magis purgãt quàm aliæ medicinæ. Poſt attractionem debet materiæ illius attractæ fieri purgatio & expulſio, non ſubito ſed paulatim, quia quando ſubito fit eductio uel expulſio, natura debilitatur. & quãdoq; tali in euacuatione bonis de humoribus plus quàm de malis euacuatur. unde Hippocrates ait, Multum repente euacuare, aut replere, aut calefacere, aut infrigidare fallax eſt, & naturæ penitus inimicum. uide in dict. lac, lepra, luna. Item Reubarbarum in medicina ſumptum, choleram ſingulariter purgat. Colatura item foliorum Senæ in aqua bullitæ, ſi cum eadem aqua diſtemperetur Caſſia fiſtula, utiliter laxat. uide in dict. canicula, ſyrupus, emplaſtrum. De maſculorum natura & conditionibus in dict. aries, aſſimilatio, audatia, fœtus, generatio, imprægnatio, mulier, ſignum conceptionis maſculi.

De ſignis imprægnatiouis mulierum. Cap. CCXXX.

MVlier ubi imprægnata fuerit, menſtruum ſanguinem nõ emittit, quia in creaturæ ſeu fœtus nutrimentum tranſit. Ex maſculi conceptu minus grauatur. ex conceptu uero fœminæ magis. ideo prægnans de maſculo, pulchrioris, nitidiorisq; coloris eſt quàm de fœmina, eſtq; leuioris motus quàm ex conceptu fœmineo. Imprægnationis autem ſigna hæc ſunt. Mulieres poſtquàm impræ gnatæ fuerint, res diuerſas deſiderant, colorem frequenter mutant, ſub oculis liueſcunt, ubera tumeſcunt, uterus paulatim intumeſcit. Nauſeam ſæpe patiuntur atque uomitum, graues & laborum impatientes efficiuntur. dolores in pariendo ſuſtinent. quantoq; maiorem dolorem mulier in partu patitur, tanto magis partum diligit, ac diligentius nutrit. uide in dict. mulier.

De Myrto arbore. Cap. CCXXXI

MYrtus arbor non admodum procera:cuius fructus, flores atq; frondes medicinæ conueniunt. Fructus autem meliores sunt quàm flores, ac diutius conseruantur. quanto etiam fructus sunt recentiores,tanto meliores. Ossa illorum fructuum seu baccarum, uirtutem habent ponticam & constrictiuam, deq; natura sua cuiuslibet fluxus superflui restrictiuam. Sunt eñ uirtutis restrictiuæ,& corporis confortatiuæ. Vnde ualent contra fluxũ uentris ad spiritualia membra defluentem,si decoquãtur in aqua pluuiali,et inde pectus fomentetur. Vomitum etiam restringit ubi ramusculi eius in aceto decoquantur,& super stomachum apponantur. Puluis factus de eius ramis aut baccarum ossibus incineratus,ulcera atq; uulnera suauiter consolidat. Et quia naturam habet stipticã & restrictiuam,ualet contra fluxum sanguinis,urinam prouocat. Valet contra uenenum,& scorpionis puncturam si potetur. Decoctio eius ualet cõtra Alopeciam fluxumq; capillorũ,mixta cum farina tritici,ualet contra tumorem oculorum. Fit autem oleum Myrtinum de folijs & Baccis eius.quod est lenitiuum,consolidatiuũ,mundificatiuum, taleq; oleum ualet ad omnia supradicta. Aures enim mundificat saniosas,si tepefactũ instilletur. Arbor est aromatica,membra consolidat & reparat,mitigatiuam refrigeratiuamq; habet uirtutem.

De signis mortis. Cap. CCXXXII.

IN febricitantibus propter uehementiã caloris naturalem humiditatem consumentis,nares acuuntur,oculi profundantur,& istud signum est mortis. Et idem accidit in naribus, sicut dicit Gal. quando calor naturalis est ita debilis ut se ad extrema non possit expandere. ideoq́ue propter frigiditatem extremitates mortificantem,partes illæ constringuntur coartanturq;,& ex hoc acumen accidit narium,quod est signum mortis in pacientibus acutam. Item labiorum tremor in phrenesi, & in acutis febribus, mortem portendit,ut dicitur in prognosticis. Item in pacientibus febrem acutã, brachiorum inquietudo, eorumq; denudatio, signum est mortiferum. Et quemadmodum ungues ex cordis fumositate generantur, ita cordis ipsius uel uiuacitas uel mortificatio in unguibus apertissime demonstratur. Calore enim cordis deficiente ungues nigrescunt & pallescunt,ideoq́ue ex sui mutatione uel contractione,extinctionẽ caloris naturalis,& naturæ mortificationẽ repræsentant & portendunt, ut dicitur in prognosticis. Item anhelitus paruus & frigidus in peracutis febribus est signum mortis. eius autem tarditas defectum significat uirtutis expulsiuæ, frigiditas uero extinctionem significat caloris naturalis;

defectum quoqꝫ uirtutis in spiritu cordis, & intestinorum. In Dysenteria seu fluxu uentris quando initio solutionis exit cholera nigra, signum est mortis. uide in dict. febris continua. Caladrius est auis albi coloris nullã habens partem nigredinis, cuius natura hæc est. Quando aliquis graui detinetur infirmitate, atqꝫ ægritudo ad mortem fuerit, Caladrius faciem suam à sic ægrotante auertit, tuncqꝫ infirmus sine dubio morietur. Si autẽ infirmus debet curari, Caladrius uisum in ipsum dirigit atqꝫ figit, quasi ei applaudens. Hæc aũt auis differt ab auicula quæ dicitur Calandris, quæqꝫ multum cantat. uide in dict. complexio, minutio, pulmo. De signis mortis infirmorum in dict. signum mortis, signa bona & mala in febricitantibus, urina.

De Monstris. Cap. CCXXXIII.

Membra superflua et monstruosa, teste Aristot. de animalib. accidunt quandoqꝫ ex naturæ errore. nam inquit, Sæpe uisa sunt animalia unum habentia corpus & duo capita, aut etiam plura. quemadmodum accidit quando apparuit serpens duo habens capita. nec istud mirum, nisi quod rarum. Quoniam unum ouum aliquando bina habet uitella, ambo tamen sunt una tela distincta, hocqꝫ accidit propter duorum spermatum concursum, quæ diuerso tempore in propinquo mutuo se contingunt. Et dicit idem, quod ex tali ouo monstruosum membrum accidit. sicut uisus fuit pullus unũ habens corpus, unũqꝫ caput, quatuor pedes, & quatuor alas. Hic error monstruosus (ut idem refert Aristot) locum habet præcipue in auibus & in capris, inqꝫ multorum filiorũ animalibus. Idem refert, quod uisa sit capra quædã in cornibus habens cornua. Ista monstruositas in mẽbris superfluis generaliter accidit ex materiæ superfluitate, & defectu uirtutis informatiuæ. & idem ait Aristot. Debemus æstimare quod ista mõstruositas in membris est ex materia. Quando uero uirtus operatiua est fortis, & materia modica, uel ex occasione aliqua diminuta, tũc quidem cõtingit in eodem animali multa apparere membra, sed in omnibus incompleta, quia uirtus propter materiæ defectum complere non potuit quod inchoauit. Aug. lib. de Ciuitate dei. xvi. cap. viij. recitat, cynocephalos homines esse monstruosos, capita habẽtes canina, & loco uocis latratum emittentes. Narrat etiam quod temporibus suis natus sit puer qui in superioribus mẽbris erat duplex, & in inferioribus simplex. nã duo habebat capita, bina pectora, et quatuor manus, uenter autem erat unus pedes duo, multaqꝫ alias idem refert Aug. Aristotiles quoqꝫ de animalibus refert, quod aliquando contingit unum esse cor in animali, & tamen apparent duo esse capita, uel plura esse membra & econuerso. Ali-

quando

quando uidentur plura esse capita,aliaq; membra, & tamen non est nisi unum cor.sed hoc totum monstruosum est, & non accidit nisi ex naturæ errore,uel ex superflua materia,uel ex uirtute defectiua. Quandoq; & natura errat in quibusdam monstruosis hominibus qui totum corpus hominis habent præter caput. nam belluæ marinæ faciem habent caninam. Errat etiam natura in quibusdam animalibus,ut in Lamia.de monstris quomodo in natura accidant,in dict.complexio.

De Mandragora. Cap. CCXXXIIII.

MAndragora est herba quæ folia admodum late expandit super terram,quia sunt magna. Hæc herba super & inter folia gignit poma.quæ dum matura,crocei sunt coloris,fortissimi odoris quadam cū grauitate, quæ usui nullo modo, sed medicinæ conueniunt.Cortex illorum pomorum mixto uino ad bibendū datur illis quorū corpora,aut pes,aut manus, seu aliud mēbrum debet secari,ut dolorē non sentiant soporati.Cortices quoq; in uino decocti,nimis dormire faciunt, omnesq; dolores cōpescunt.unde tunc uix ferri sentiunt passiones. Caute tamen Mandragora est utendum. quia si nimia quantitate accipitur, mortem infert. nam uirtutem habet infrigidatiuam, & aliquantulum mortificatiuam, & prouocandi somnum. ideo succus eius cum lacte mulieris temporibus eorum qui febrem patiuntur acutam uel aliam,& non possunt dormire,apponitur, somnūq; prouocat. Et quoniam est herba substantialiter frigida, dicitur quod succus eius extinguit ignem sacrum,choleræ etiam impetum compescit, & fluxum uentris.Ista herba uirtutē habere dicitur iuuandi mulieres ut impregnentur,teste Constant.qui ait, Mandragora debito modo sumpta matrices ad conceptionem disponit,quas prius calor nimius atq; siccus ad cōceptionis materiā impediuit. Mulieres itaq; siccas & humidas ad conceptionem disponit,cum sit frigida,& hoc dispositiue.Sed mulieres frigidas & naturaliter siccas impedit potius ad huius dispositionem Item hæc herba siue eius fructus si ponatur super tumores & inflaturas eas repercutit atq; tollit,uenenosis morsibus occurrit, omnemq; fluxū corporis inferius & superius restringit.Succus istius herbæ colligitur et desiccatur,poma eius cum umbra desiccantur. pomorum odor grauis est,somnumq; intantum prouocat, ut si poma eius alicubi sint in camera,solo odore suo somnum prouocant.uide in dict. aperitiua. De minutione in dict. abstinentia, Canicula stella, dies, dolor anchæ, faba. Somnus immoderatus est periculosus. nam in somno remittuntur uirtutes & actiones animales, & intus naturales intenduntur. undē clausis poris externis calor internus confortatur, & per hoc mul-

tos humores attrahit, quos natura non poteſt digerere nec conſumere,& tunc præualente tanta ſuperfluitate quam natura regere non poteſt,mors neceſſario ſequitur & ſuffocatio, quemadmodum eſt uidere ſæpius in dormientibus poſt acceptam medicinam, & in minutis.igitur in talibus prohibetur. Item ſi quiſpiam patitur apoſtema, aut aliam infirmitatem,uel læſuram,una in parte corporis minutionem facere debet de uena partis oppoſitæ,ut ſi quiſpiam patitur in dextra, minuat in ſiniſtro brachio,& econtra.niſi materia infirmitatis fuerit uenenoſa aut furioſa, ſicut eſt in apoſtematibus periculoſis. Tunc enim ſanguis non eſt trahendus ad partem oppoſitam,ne materia uenenoſa per cor,aliudué membrum nobile tranſiens ipſum lædat.uide in dict. medicina,mulier. De Melancholia in dict. Apium, appetitus, aurum,caput, caules,colica,hepar,phreneſis,humor, ſapphirus,thymus,urtica.

De Myrrha. Cap. CCXXXV.

MYrrha mortuorum corpora conſeruat,ubi cum ea,aliíſque aromatibus condiatur. Valet contra omnes cauſas rheumaticas & fluxus inordinatos,digeſtionem confortat, uiſcoſos humores maxime in membris ſpiritualibus purgat, fœtorẽ emundat.omnia gingiuarum uitia ſanat & deſiccat, putrida labiorum ulcera conſolidat, conſumit & conglutinat.cerebrū confortat, & omnẽ eius ſuperfluitatem conſumit & deſiccat,conceptum iuuat,aurium uermes necat,ſuperfluam carnem corrodit,bonam & uiuam generat, atq; cuſtodit. uide in dict anhelitus, fel. Item ſi domus mulæ ungula ſubfumigetur,mures ab ea fugient. Murilegus abſciſis auribus libentius in domo moratur, quoniam guttas ſtillantes in auribus ſuſtinere non ualet. De Meſpilis hoc expertum eſt. Quando inſeritur flagrum Perſici in trunco ſpinæ magnæ,quæ Fago eſt ſimilis in ligno & cortice, & uocatur uulgariter ſpinafagina,creſcunt Meſpila maiora, melioraq; quàm unq̃ uiſa ſint.

De Magnete. Cap. CCXXXVI.

MAgnes lapis eſt ferrei coloris,qui ſua de natura ferrū trahit intantū quod cathenā faciat annulorū liquidam. uitrum quoq; trahere creditur ſicut ferrum. Cuius uis tanta eſt,teſte Aug. ꝙ ſiquis eundem Magnetem manu tenuerit ſub uaſe aureo,uel argenteo,uel æneo,aut etiam ſub tabula,ferrum aut acus ſic ſuper uas,aut ſuper tabulam,ſi lapis ipſe ſubtus moueatur, deſuper ad motum lapidis mouebitur. Magnes item aliquando uno in angulo ferrum trahit, & alio à ſe repellit.

Magnes

Magnes allio unctus ferrum non trahit. & si Magneti superponatur Adamas multo minoris quantitatis, magnum Magnetem ligat. quære in dict. Adamas. Omnis Magnes quanto in colore cerulior, tanto melior. Iste lapis maritos uxoribus reconciliat, in sermone gratiam auget & decorem. Item Magnes cum mulso, Hydropisim curat, splenem, alopeciam & arsuram. Puluis eius per quatuor domus angulos asperfus super carbones, existentibus in domo uidebitur subito domus ruere ex uertigine cerebri & cõmotione. Virtutẽ habet attrahendi, unde præcipue ualet uulneratis puluis eius confectus cum Apostolico, uulneri appositus. Puluis etiam quantitate duarum drachmarum cum fœni succo, ualet contra hydropisim, splenem, & Alopeciam, teste Auicẽna. uide in dict. Adamas. Vt muscæ, apes, uespæ in aqua mortuæ & suffocatæ reuiuiscant, pone eas in cineribus aliquantulum calidis, statimq; uiuent. Musca contrita, super locum uenenoso morsũ infectum per emplastri modum posita, uenenum extrahit. Marmorei lapides nec chalybe, nec ferro, nec serra, uel malleo, aliouẽ instrumento quantumcunq; forti diuidi possunt, sed per laminam plumbeam asseribus mollitiuis interfectã diuiditur marmor in tabula, et separat tanq̃ asseres lignei; & æquatur.

De Macula oculi. Cap. CCXXXVII.

QVædam macula oritur in oculo, quam communier uocamus albuginẽ, uel pannum, aut telam, & generat ita. Primo fit fluxus rheumatis ad oculos; de quo fit ophthalmia, dolor scilicet & apostema. Ex qua inueterata remanet in oculo uel pupilla leuis quædam macula siue infectio, quæ longo temporis pro cessu in telam excressit & inspissatur, maioremq; locum occupat, totam scilicet pupillam. Tela uero excrescit in pannum per maiorem inspissationem, maioremq; loci occupationem, quæ totum pupillæ nigrum occupat. Ad ultimum fit unguis magis spissus & durus. quodlibet istorũ est incurabile ubi fuerit inueteratum, tamen secundum loci collocationẽ debet diuidi. Si enim collocatur circa crystallinũ humorem in profundum per dimidium annum, fit incurabilis. in primo autem uix curatur. Quando igitur talis macula recens est & modica; succus Papaueris rufi, & contusi sufficit ad medicandum, ut refert. Constant. Papauer autem rufum uel rubeum calidum est in primo grad. & siccum in secundo Idem uirtutem habet extenuandi, consumendi; desiccandiq;. Sanguis etiam ex summitate dextræ alæ columbæ, hirundinis, aut upupæ extractus, & sicut de ala exit calidus super maculam instillatus, talem maculã initio potenter rumpit. Sanguis etiã istarum auium est ualde ignitus & dissolutiuus, ex natura auium ex quibus procedit. De faciei macula &

quomodo mundatur in dict.faba,facies,farina,ferula,emplastrũ, morphea, nitrum, oculus, ramnus, sal, uitis. De uestium macula in dict. nitrum,macula faciei. de oculi macula in dict.oculus,uisus.

De Moro. Cap. CCXXXVIII.

MOrus est arbor cuius fructus Morum dicitur. Mora matura sunt nigra,manus tingunt,labia, & dentes comedentiũ & tangentium. Quædam autem Morus est domestica crescens in hortis. quædam syluestris crescens in rubis ac locis incultis,de quibus pastores comedũt. cuius folia si ponant super serpẽtem,ipsum interficiunt. Morus arbor semen habet uentrifluum, id est, solutiuum.cuius succus expressus ad ignem siue solem desiccatus,fit stipticus & constrictiuus,oris uulnera atq; ulcera sanat, faucium tumores reprimit atq; sedat.Cortex radicis istius arboris in uino cocta & potata uentrem laxat,& lumbricos uentris necat. Mori folia concussa per emplastri modum posita,combustiones sanant.cum aqua pluuiali decocta capillos denigrant. Morsus Phalangij,& aranearum puncturas curant.dentium dolorem placant,gingiuarumq; putredinem mũdificant. Mora immatura seu non bene maturata frigida sunt & stiptica,stomachi confortatiua & constrictiua. Sed quanto plus maturant, tanto efficiunt calidiora,dulciora,humidioraq;. Plurimũ comesta post prandiũ, in corruptionẽ conuertunt,ac capiti stomachoq; multũ nocent. à ieiunis uero comesta bene digerunt,sed ualde parũ nutriunt. Mori folia à uermibus,ab illis maxime qui sericũ faciunt,libentissime comedunt. Tota arbor medicinalis est quo ad cortices,fructus, folia & radices. Nam si radix eius incisa fuerit,emanabit gummi, quod ad plurimas,uariasque passiones ualet. Nam uentrem emollit, dentium dolorem tollit. Item ex moris fit potus & electuarium quod Diamoron dicit,ualetq; contra Anginam gutturis & faucium passiones.

Diamoron Anginæ fauciumq; doloribus medetur.

De Malogranato. Cap. CCXXXIX.

QVædam Malagranata sunt dulcia, quæ calida sunt & humida.quædam acetosa,quæ frigida sunt & sicca. Acetosa diutius conseruantur quàm dulcia.& acetosa magis pro medicina accipiuntur quàm pro cibo. Tota siquidem arbor, sed præcipue fructus eius uirtutem habet constringendi, confortandi, consolidandi, & humores fluidos desiccandi. sanguinis fluxũ constringendi, uomitum cholericum compescendi, si modo tempore congruo, ante prandium scilicet assumantur.Proinde contra internas,externasq; corporis passiones ualẽt. dulcia tamẽ magis sunt uẽtosa & inflatiua alijs, minusq;

minusq; febricitantium sitim extinguunt q acetosa, ideo febricitãtibus acetosa plus conueniunt, & sanis quoq; tempore calido. Ex Malisgranatis fit potus dictus Oxysaccaron, qui calorem febrilem digerit & alterat, appetitum prouocat, naturam ex calore deficientem reparat & confortat. Valet etiam contra hepatici calefactionem, & contra cordis defectum, siue cardiacam passionem. flores eius scilicet Balaustiæ fructus & cortices si puluerisentur, & in potu assumantur, uentris uermes necant, dentes & gingiuas optime purgant & confirmant. Valent item contra multas alias passiones. uide in dict. Morus, anhelitus.

De Myrto unguento. Cap. CCXL.

MYrtum est unguentum de Myrrha alijsq; speciebus aromaticis factum & confectũ. cuius uirtute nerui aliaq; membra sensibilia confortant, humores in iuncturis & articulis existentes consumuntur, cuius aromaticitate prohibet ne sudores fœtidi nascantur. isto unguento corpora conseruant, & putredines dissoluuntur. Milium parum nutrit, stomachum confortat, sua ex siccitate uentrem constipat. Est autem diureticum siue aperitiuum. assatũ sedat torsiones uentris, malum sanguinem generat, stomachum infrigidat & desiccat. Milium.

De Menta herba. Cap. CCXLI.

MEnta est herba odorifera, calida & sicca, stomachi confortatiua. Quædam uero est hortensis, quædam syluestris & mõtana, quæ maiorem uim habet calefaciendi quàm hortensis siue domestica, estq; herba ualde medicinalis. Ista herba se ualde multiplicat, cito è terra pullulat & ascendit, cuius hastula si in terra reflectatur, & cum terra operiatur, in radicem conuertitur, citoq; nouam producit prolem. Menta autem hortensis siue sit sicca siue uiridis, multum est utilis. Habet enim uirtutem dissoluendi, consumendique suis ex qualitatibus. Ex aromaticitate confortandi, & prouocandi appetitum. Suo ex acumine in aceto decocta, oris fœtorem amputat, gingiuas putridas ac corruptas purgat, uomitum ex debilitate uirtutis retentiuæ uenientem cum aceto sedat. odore suo & sapore contra Syncopim & spirituum debilitatem iuuat. matricem à superfluis humoribus mundificat & confortat. In uino decocta uiscerum dolorem, renumq; placat. cum uino & oleo decocta, mamillas lactis coagulatione induratas, superposita & emplastrata sanat. Succus eius uenenis obuiat, potatus lumbricos necat, atq; uermes aurium. in uino mixta cum oleo decocta, apostemata dissoluit & curat, ubi desuper emplastret. Tussim mitigat,

abominationem amputat,ſingultum ſedat, linguam aſperam lenit ſi cũ ea fricetur.frequenter comeſta uentrem laxat.uide in dict.anhelitus.De mollificatiuis,in dict.aperitiua,dulcia,luna,oleum,porrũ,remedia. De mordificatiuis,in dict.acetum,ſal, urina. De maxilla in dict. anhelitus, Myrabolani.De Myrabolanis in dict.medicina. De carnibus,animalibus & hominibus macris in dict.animalia,macres.De hominum moribus in dict.complexio. De conditionibus macris in dict. maſculus. De melodia in dict.cantus,inſtrumenta muſicalia. De paſſionibus narium, earumq; remedijs in dict.anhelitus, cyminum, cõplexio,fluxus ſanguinis narium,hircus,mors,polypus. Item ſi cyminum tritum aceto miſceatur, & inde odoramentum fiat quod ad nares,aut lixiuium mixtũ in illo ponatur intra nares,ſanguinis fluxum reſtringit.

De Nitro. Cap. CCXLII.

NItrum eſt quaſi lapis ſubalbidus, perſpicuus ad modũ ſalis. Cuius uirtus eſt diſſolutiua,attractiua,& abſterſiua,ſuperflui humoris conſumptiua. corporis ſordes atque ueſtium abluit.huius natura haud multum à ſale diſtat, habet enim naturam ſalis, & ſimiliter oritur caneſcentibus ſiccitate littoribus, cuius ſpuma Aphonitrum nominant. Alij dicunt quod Nitrum ſit uena terræ,& eſt calidum & ſiccum,leue,rubeum,uel album,uel citrinum,guſtu eſt amarum,acidum & ſubſalſum,pinguedinem extenuat. Si ore ſit acceptum,uiſcoſos humores minuit & conſumit.puluis eius cum melle cõfectus,faciẽ clarificat & decorat,ſtomachi ſaniem & inteſtinorũ ex apoſtemate ꝓcedentẽ mũdificat. Pediculos atq; capitis ſaniẽ detergit,auriũ uermes interficit,earumq; ſaniẽ aceto mundiſſime extergit. Spuma eius corroſionibus & inflationibus ſubuenit, Hydropiſi oppitulat. cũ melle mixta oculorũ caliginẽ detergit,uenenum mortificat & excludit,linguæ Paralyſim ſanat.eſt autẽ calidum & ſiccum in fine tertij gradus.

Aphronitrum.

De Nuce. Cap. CCXLIII.

VMbra arboris Nucis,uel foliorum eius ſtillicidia uicinis nocent. Dormienti ſub umbra Nucis, umbra admodum eſt nociua, diuerſarumq; infirmitatum generatiua. cuius radix,cortex,frutex, fructus atq; folia medicinæ conueniunt. Succus enim corticis radicis nucis maioris extractus & potui datus ad quantitatem unius oxagij, difficultati urinandi ſubuenit. Cum aceto potatus febribus repugnat uenientibus cum frigore uel rigore. Crines tingit & mundat, caſumq; capillorum prohibet. Eſt autem eius fructus uariæ uirtutis & efficatiæ, quia uiſui ſubuenit & medicinæ.

Nux

Nux autem eſt uel uiridis, aut recens, aut matura. Quando uiridis eſt, exterius corticem habet uiridem, ſed in ſapore ponticum & amarum; ſuccus eius manus conſtringit, & cõtingentium inficit. intus autem paulatim teſtam obtinet corio externo duriorem, nucleum habet unctuoſum, ſaporoſum & plurimum dulcem. Qui nuces antiquas à pelle denudare cupit, ponat eas in aqua calida, aut uino calido, tuncq; pelle denudantur uelut amygdala. Nux itaq; uiridis minus calida eſt & ſicca naturaliter quàm antiqua; & minus ſtomachi læſiua. Quod ſi cum Ruta comeſta fuerit ieiuno ſtomacho, erit ueneno penitus contraria. Nuces maturæ quædam ſunt recentes, quædam antiquæ, quædam inter iſtas mediocres. Recentes ſunt magis humidæ, mediocres magis ſiccæ. antiquæ uero conſumpta humiditate per caloris intenſionem humorem digerentis, magis ſunt generaliter unctuoſæ. ideo nimium comeſtæ in humores cholericos facile conuertuntur, maxime quãdo tempore calido, & à calidis complexione comeduntur. quoniam in talibus aduſtiones generant, capiti dolorem uertiginemq; inferunt. Qui uero eas temperate comedunt, quiq; temperatæ ſunt complexionis, bene eas digerunt, eisq; congrue nutriuntur. Generaliter autem contra omnem rem uenenoſam corpora conſeruant, ſua unctuoſitate corporis meatus oppilant, ueneni uim ad uitalia penetrare non permittunt. Nuces item cum ſale, ruta atq; allijs æqualiter miſta & trita, addito melle, morſui rabidi canis, & morſui cuiuslibet uenenoſi reſiſtunt. Venenum enim ad exteriora trahunt potenter & conſumunt. Item contrita cum melle apoſtemata melancholica, phlegmaticaq; miro modo diſſoluunt. Contritæ & cataplaſmatæ per emplaſtri modum ſuper umbilicum poſitæ, interiora apoſtemata ſeu intus naſcentia in corpore, deſtruunt; de nucibus contra uenenum ualentibus in dict. canis.

De Nectare. Cap. CCXLIIII.

Vinum conditum ex admixtione ſpecierum tam aromaticarum quàm herbarum, ut patet in uino ſaluiato, roſato, gariophylato, hyeme multum conuenit tam uiſui quàm medicinæ. Virtus enim tam ſpecierum quàm herbarum uinum immutat, ſibiq; uirtutem confert ſingularem. ideo talia uina ſunt ſalubriora, delicatioraq; quando eis ſalubres ſpecies debito modo incorporantur. Huiuſmodi nanq; uina ſuo ſapore guſtum delectant, appetitum excitant, ſua aromaticitate tam cerebrum quàm ſtomachum confortant, ſanguinem mundificant, ad interiora tam uenarum

quàm membrorum penetrant. Vomitum restringunt,& nauseam sedant. De Nectare in dict. claretum, caules.

De Niue. Cap. CCXLV.

NIx sua mora super terram, ipsam impinguat & fœcundat. sua em̃ frigiditate poros terræ claudit. Vnde reuocato calore ad interiora radicum & seminum, fit humorum interiorum attractio ad radices,& ipsorum inuiscatio, ex quo terra impinguatur. Proinde nix herbas malas & superfluas mortificat & attenuat, bonas nutrit & impinguat. In alto mari (Beda teste) nix raro cadit, quia mare calidas fumositates continue emittit, quæ à uentis ibidem flantibus disperguntur: & ideo in niuem densari non possunt, uel antequàm in niuem condensentur, in pluuiam aut in nebulam resoluuntur. Nix item in locis altis, montosis, siue montibus diutius conseruatur quàm in uallibus, quoniam uenti frigidi magis uigent in montibus quàm in uallibus. Valles insuper montibus sunt calidiores propter maiorem radiorum solarium congregationem, & fractionem. Et hæc caussa est cur in montibus niues diutius perseuerant. quia montium frigiditate, uentorumque frigidorum ibi uigentium constringuntur, congelantur, & conseruantur, ut patet in candore Libani,& Pyrenæis montibus, qui Isidoro teste, albis perpetuo niuibus candidantur. De Nutritiuis seu quæ bene nutriunt quære in dict. dulcia, alimentum. Et secundum Rasim hæc tria bene nutriunt, & deperditum restaurant, oua scilicet recentia mollia, brodium bonarum carnium, scilicet caponum, gallinarum, pullorum, hædorum, & uinum bonum. quære in dict. capra, cibus, hœdus, ouum, triticum, uinum. De neruorum conditionibus, passionibus & remedijs, quære in dict. anhelitus, Butyrum, Chamomilla, ebulus, farina, gutta, lac asinæ, Luna. Ad resoluendum neruos contractos, spasmatos & induratos, multum ualent balnea naturalia, sicut thermæ, & balneum aquæ calidæ cum Chamomilla. multum etiam ualet si locus atque nerui frequenter tepido Chamomillæ oleo inungantur. medullis præterea bouinis, uitulinisque. uide in dict. Anethum, Enula, Nardus, odor, oleum, remedia, uitis, uulpis.

Tria bene nutrientia.

De Nardo herba. Cap. CCXLVI.

Nardus

NArdus eſt herba modica, ſpinoſa, calida & odorifera. Illa autem melior quæ leuis, fuſca, comoſa & ſphærica, puta quæ maſticata linguam deſiccat. Virtutem habet confortandi ex ſua aromaticitate, ualet contra Syncopin cordiſq; defectum, & contra ſtomachi debilitatem. Naribus applicata, cerebrum frigidum confortat, rheuma curat. ualet cõtra ſurditatem, auriũq; apoſtẽmata, oris fœtorem amputat, putridas gingiuas mundat, ſplenis atq; hepatis oppilationes ſoluit, menſtrua prouocat, matricẽ mundificat, & ad concipiendum adiuuat, lapidem in renibus & ueſica frangit. Eſt herba diuretica, ſcilicet inciſiua, aperitiua, diuiſiua, & ad intima penetratiua. Valet contra linguæ Paralyſim, neruos confortat, humorẽ linguæ organum occupantem conſumit. Valet contra morbum Epilepticum ſi debito modo pacietibus miniſtretur. Ex ea fit oleum Nardinum quod ad omnia prædicta ualet. uide in dict. lactuca.

De Odore & utilitate boni odoris. Cap. CCXLVII.

ODor eſt fumalis euaporatio, ſed multiplex eſt fumus. Quidam reſolutiuus à partibus materiæ ſubtilioribus, humidioribusq́ue in calore. cuius ex acumine oculos lædit, lachrymas prouocat, ſuoq; acumine ad cerebrum ſenſibiliter penetrat, & ſpiritum animalem grauat, et per conſequẽs naturalem. Nam ut ariſtot. de animalibus refert, fumus candelæ extinctæ imprægnantes in tantum lædit, ut ſi quæ parturiens talem fumum ſenſerit, abortiuum faciet. Fumus quoq; apibus eſt inimicus, lædit & accipitres, aliaſq; aues prædæ. Fumus uero aromaticus ut thuris, & aliorum aromaticorum eſt ſenſus & olfactus delectatiuus, capitis ac cerebri confortatiuus, fortificatiuuſq;, ſpirituũ cordis atq; capitis reparatiuus. Rheumatis ac cuiuſlibet fluxus ſuperflui reſtrictiuus, deſiccatiuus, conſumptiuus, cõſtrictiuus, obſtructorum pororum aperitiuus, & neruorum ad interiora penetrando confortatiuus, ſerpentum & omniũ uenenoſorum fugatiuus. Vineis quoq; florentibus, propter earum odorem, ſerpentes uenenoſaq; omnia è uineis fugiunt. omnem enim odorem & fumum odoriferum colubri ac ſerpentes odiunt & fugiunt. Item odor ✚ in aqua, cupri, atq; ſulphuris, piſces fugat & interficit. Odor etiam fugat apes. uide in dict. Apis, uinea, uinum, uiola. De ore in dict. Anhelitus, dentes, fœtor oris, gingiuæ, menta, Nardus, ſputum.

De Oſſibus. Cap. CCXLVIII.

OSſa ſunt melancholica, ſcilicet frigida. caro autẽ ſua in natura dulcis eſt & ſanguinea. Carnes iuxta oſſa ſunt ſapidiores, quia oſſium medullis habundantius reſperguntur.

De Ouorum natura. Cap. CCXLIX.

DE natura & conditionibus ouorum in dict. acetum, apoſtema, aqua, Baſiliſcus, brodium, caſeus, Syrupus, cucurbita, monſtra. Ouum in aqua ſalſa ſupernatat, & in dulci demergitur, uide in dict. aqua. Oua ſi hyeme aut nimio frigore cõgelata ponantur in aqua de fundo putei extracta, cito diſſoluentur, inq; priſtinum ſtatum reuertentur. Si autem ponantur in aqua calida, uel tepida, aut in aqua fontis frigida, ſecus fiet. uide in dict. aqua, puteus. Oua recentia atq; mollia, bene citoq; nutriunt. competunt Phthiſicis & conſumptis, quantoq; fuerint recentiora tanto meliora. Decoquuntur autem uarijs modis, quoniam aſſantur, lixantur, aut in iure, aut in brodio cocta, aut ſunt frixa. Aſſata ſeu cocta in ſartagine duriora ſunt quàm elixata, & ad digerendum groſſiora, durioraque, & minus ſana, quia fumoſitates ſub teſta remanent. Cuius ſignum eſt, quod uitellus aliquãdo apparet liuidus, ideo in aqua cum teſta cocta non ſunt ita ſana, ſicut cocta ſine teſta. Item calidis ſub cineribus aſſata peiora ſunt quàm quæ ſuper carbones diſcooperta, quoniam cum ignis calor in cineribus ea circumtegat, eorum fumoſitatem ſuperfluam euaporare nõ permittit. Super carbones uero poſita fumoſitatem reſudando amittunt, & munda intus fiunt. Elixa autem in aqua, meliora quàm aſſata, quoniam aquæ humiditas calori ignis in deſiccando ſua humiditate ſubſtantiali repugnat, ideoq; minus fiunt deſiccatiua, & caloris refrigeratiua. Elixata uero corticibus ſiue cum teſta ſunt peiora, quia illa teſta groſſiciei & fumoſitati repungnat, ut libere non poſſit euaporare ſiue exire, & ita ſuperfluitatem exire non permittit. unde uentoſitatem generat, inflaturam, ſtomachi grauitatem & uẽtris. In aqua uero fracta calor aquæ penetrat & temperat ea, & ſubtiliat, eisq; grauitatẽ odoris aufert, unde inter omnes coquendi modos oua iſte laudabilior eſt. Sed tamen ſola uitella plus ſunt deſiccatiua & minus ſolidatiua. indurata uero deſiccatiua ſunt, & à ſtomacho dure exeuntia, uenasq; tarde penetrantia. ueruntamen indigeſta ſtomachũ grauant & inteſtina. Mollia autem in aqua ſiue teſta cocta & parum coagulata, minus ſunt deſiccatiua, & magis digeſtibilia, cito uenas penatratiua & pectus humectatiua, membra tamen parum cõfortant. Inter dura autem & mollia ſuis in actionibus & paſſionibus ſunt mediocria. Frixa autem oua cæteris omnibus ſunt peiora, quia in ſtomacho moratiua, & citius in fumoſitatem corruptionemq; ſunt mutabilia

tabilia.cibos præterea quos in ſtomacho inueniunt facile corrumpunt, grauitatem in ſtomacho generant, ſtaſtidium citius faciunt,& facilius quàm alia.Oua etiam non ſolum ad cibum ualent,ſed etiam ad medicinam.Sunt enim humectatiua, mitigatiua, pectoris & gutturis lenitiua, membrorum confortatiua ac reſumptiua,deperditorum reſtauratiua, uirtutis generatiuæ immutatiua,combuſtiõis & arſuræ ſanatiua. Nam ex uitellis ouorum aſſatis fit oleum optimum combuſturis. Sunt item apoſtematis uenenoſi & anthracis ſpecialiter curatiua. Nam uitellus oui crudus ſale trito miſtus,& ſuper anthracem per emplaſtri modum poſitus,anthracem curat,teſte Conſtant.Ouorum autem albumina caloris ſunt mitigatiua,tumoris repreſſiua,fluidæ humiditatis reſtrictiua, Ouorum medicinæ. calidæ artheticæ & podagræ immutatiua. Oua autem putrida & corrupta,quaſi uenenum nociua perhibentur, humorum corruptiua,nauſeæ & uomitus prouocatiua,& mortis facile inductiua.Ex rotũdis ouis generantur gallinæ. ex oblongis uero galli. De ouo in dict. muſtum. Ouum cum teſta per triduũ in aceto poſitum,mollificabitur ut oblongari poſſit ſicut cera.in aqua uero frigida poſitum,priſtinum ad ſtatum reuertitur. Ouum item qualibet uarietate colorum depictum, & gallinæ ſuppoſitum,naſcetur pullus in plumis ſimilitudinem habens picturæ oui.Ouum per triduum forti in aceto poſitum,& per menſem ad ſolem deſiccatum,in lapidis uertitur ſoliditatem.

De quatuor uentis principalib. Cap. CCL.

Quatuor ſunt uenti principales, Subſolanus qui oritur in oriente. Fauonius in occidente. Auſter in meridie. Boreas uero ſeu Aquilo in parte oritur Aquilonari. Subſolanus Subſolanus. inter omnes eſt in calore temperatus. Venti enim orientales ſecundum Conſtant.ſalubriores ſunt in ortu diei, quoniam ueniunt ab aere temperato & ſubtiliato, & in orientali regiõe aer clarus eſt & parum ſiccus,inter calidum & humidum temperatus. Vnde uentus aquas clarificat,& ſuauem ſaporem adminiſtrat. uenti igitur orientales corpora in ſanitate cuſtodiunt propter ſuarum qualitatum temperiem. Ex hoc etiam partes orientales in fructibus maxime atq; floribus habundant plus quàm Aquilonares aut occidẽtales. Aquæ etiam quæ uerſus orientẽ fluũt ſunt meliores. Auſter calidus eſt,humidus et ſiccus.denſum eñ facit aerẽ atq; ſpiſſum, nebulas nutrit, ſuo calore poros aperit Auſter. ſuaq; humiditate pluuias multiplicat et adducit, in mari tẽpeſtatẽ generat,qa ab imo,hoc eſt à profundo maris flat,teſte Beda. corporũ poros aperit,uirtutes animales impedit,grauitatẽ in corpore generat,ut inquit Hippocrates. Venti Auſtrini auditum hebetant,caliginoſi ſunt, ca-

put grauantes, pigri, dissoluentes. humores quoq; dissoluunt, ab interioribus ad exteriora, & grauitates faciunt sensuum, calorem corrumpunt, ægritudinum faciunt recidiuationem, podagram & pruritum excitant, epilepsias et acutas febres excitant. Est itaq; Auster uentus remollitiuus & mollis, calidus & humidus, pluuiæ & roris administratiuus; pororum terræ aperitiuus, germinum & seminum productiuus, nutritiuus & augmentatiuus, superficiei terræ renouatiuus, pennarum ueterum & plumarum in auibus renouatiuus, humorum frigidorum & in corpore compactorum dissolutiuus. sudoris & euaporationis, fumositatum et humorum superfluorum prouocatiuus. Fauonius autem est uentus temperate frigidus atque humidus, ideo dictus Fauonius quod fouet & producit suo flatu germina atq; flores. Iste uentus in fine diei salubris est & temperatior, quia sol in occidente eum subtiliat & depurat. Regiones autem occidentales aerem non habent perfecte temperatum in calore & humore, ideo earũ aquæ mutabiles sunt & turbidæ, nam in diei principio radijs solaribus non digeruntur. Boreas uentus est qui oritur in parte Aquilonari. aerem reddit purum ac serenum: Pestilentiam ab Austro ortam reprimit & repellit teste Isidoro. est enim uentus frigidus & siccus. Isti itaque tres uenti scilicet Orientalis, Occidentalis, Aquilonaris, cum sint frigidi & sicci, corpora indurant, poros claudunt, humores purificant, spiritus & sensus subtiliant, uim digestiuã augmentant. quare Aristot. in lib. animalium refert. Si in conceptione fœtus uentus fuerit septentrionalis, nascetur masculus. & econuerso si uẽtus fuerit Australis, nascetur fœmina. Ventus Borealis quia desiccat phthisicis est nociuus, nam pulmonem sua siccitate dilacerat & ulcerat, teste Galeno.

Fauonius. Boreas.

De conditionibus Ouium & Luporum. Cap. CCLI.

DE ouis conditionibus, deq́ue inimicitijs inter ouem & Lupũ in dict. Lupus, Aquila. Ouis quales sub lingua uenas habuerit, tales fœtus in uellere generat. Nam si uenas habet nigras sub lingua, fœtus in uellere erit niger. si albas, albus. Si autẽ uarias, in uellere uarius apparebit. Oues si flante uento septentrionali impraegnantur, nascentur mares. Oues item senes quando tempore aliquo determinato ad coitum mouentur, id (ut pastores dicunt) signũ in eis est bonitatis. Si autem oues iuuenes ita mouentur, ferunt esse signum illo anno pestis in ouibus. Oues item aquam bibendo impraegnãtur, ideo eis pastores sal ad comedendum dant, quo plus bibentes impraegnentur, magisq́ue sanæ conseruentur. In autumno etiam dant eis cucurbitas cum sale paratas ad multiplicationem lactis, tuncq́ue lac de mamillis ube-

lis uberius fluit,atq; oues impræg nantur.In æſtate ualet eis aqua ſeptẽtrionalis frigida,in autumno aqua meridionalis tepida. Paſtus eas in fine diei iuuat,motus uero minime. per nimia enim itinera, perq; labores multos macreſcunt.Paſtores etiam cognoſcunt quæ hyemem pati poſſunt.quoniam ſuper quibuſdam inuenitur glacies, ſuper quibuſdã uero non.Quæ ex eis debilis eſt,à ſe glaciem nec excutit nec repellit. Carnes ouium, aliorumúe quadrupedum, quæ in loco multum aquoſo nutriuntur,ſunt malæ. Quæ caudam habent longam, minus paciuntur hyemem quàm quæ amplam.& quæ pilos habent paucos atq; criſpos, grauius hyemem paciuntur.& lana ouis quam lupus momorderit inficitur;congregat enim pediculos & tineas.Tonitruum nocet ouibus,ſiq; una remanſerit, & fuerit imprægnata, ſi fuerit tonitruũ facit aborſum ideoq; eſt remedium, & multæ congregentur tunc. Si uis morbum peſtilentem remouere ab ouibus,accipe uẽtrem arietis,& coque cum uino & aqua,& poſtmodum pone illud cum aqua quam dabis ouibus ad bibendum, & ſanabuntur. Item oues ſunt frigidæ & humidæ, antiquæ uero magis frigidæ.Si itaq; iuuenes cum antiquis aliquando commouentur ad coitum,& antiquæ ad coitum feruent ſicut & iuuenes,ſignũ eſt caloris habundantis,qui corrumpit humidum in iuuenibus propter ipſius ſterilitatem, & illæ hoc anno morientur.antiquæ uero proficient & fortificabuntur.

Tonitrua ouibus nociua.

De Hordeo. Cap. CCLII.

HOrdeum eſt granum frigidum & ſiccum,uirtutem habens colatiuam,mundificatiuam,exterſiuam,habetq; parum uentoſitatis. Ex hordeo cum lacte Amygdalino fit cibus bene nutriens corpus & reſtaurãs. & competit phthiſicis atq; conſumptis.fit etiam ex eodem optimus potus.uide in dict.aqua ptiſana,aqua.De oppilatiuis in dict.aperitiua, butyrum,dulcia,pinguedo,ponticus ſapor.

De Oliuæ conditionibus. Cap. CCLIII.

OLiuæ, ſeu fructus Oleæ,cum fuerint rubeæ,nondum bene maturæ,nec adhuc plurimum unctuoſæ, ſtomachi ſunt ualde cõfortatiuæ,conſtrictiuæ, & appetitus excitatiuæ.maxime ubi cum aceto uel aqua ſalſa fuerint præparatæ.ſunt tamen duræ, & nimis difficiles ad digerendum, aliјsq; minus nutritiuæ. Nigræ uero quæ iam ſunt quaſi maturæ, calidæ ſunt, & inter ſiccum & humidum temperatæ,multum ſunt nutritiuæ,ſed ſtomachi mollificatiuæ,& ad digerendũ magis duræ.quia ſua unctuoſitate in ſtomacho ſupernatant, & ad decoctionis,ſeu digeſtionis locum non deſcendunt;

ideo citius in humorum corruptionem couertuntur, & minus sunt laudabiles aliis ad comedendum. Vtiles tamen sunt in medicina, quia tritæ & super loca quæ igne aut aqua calida sunt adusta positæ, uesicam reprimunt ibi natam uel nascituram. poros enim aperiunt, & fumositates sub cute inclusas tam uesicæ quàm tumoris, exhalare faciunt. Oleum autem de Oliuis tanto melius, quanto est recentius. per uetustatem enim uitiatur. Item d. Papias, si quis intra aquã demersus oleũ prius in ore inclusum (ante scilicet quàm se in aquam demergeret) sub aqua existens, in aqua diffundit, omnia quæ sunt in fundo aquæ, facit clariora, illique omnia patent, quæ prius in aquæ fundo occulta erant & abscondita. Cibos cõdit, lumẽ nutrit, corpora membraq; fessa, si iniungant recreat & confortat. neruos contractos & spasmatos remollit & relaxat. apostemata dura mollificat. maxime uero oleum Lini. Quoddam oleũ est simplex, quoddam compositum siue mixtum. Simplex quod ex una re simplici est extractum. & istud est ex diuersis rebus. Quandoquidem uel ex Oliuis, ex nucibus, Papauere, ex Amygdalis, Raphano, & Lino, aliisque ex diuersis rebus oleum simplex extrahitur. Oleum cõpositum dicitur, cui diuersæ herbæ uel species cum oleo simplici admiscentur. Oleum autem compositũ quoddam est frigidum, quoddam calidum. aliud quoque stipticum & constrictiuum, aliud laxatiuum. quoniam oleum simplex ex calidorum appositione efficitur calidum. ex appositione frigidorum efficitur frigidum. ex stipticis stipticum, ex laxatiuis laxatiuum. ideoq; secundum diuersas morborum causas, diuersa sunt apponenda oleorum genera, ut est oleum Laurinum, nardinum, Pulegii in causis frigidis. Oleum rosaceum siue uiolaceum & huiusmodi, in causis calidis apponi debet. Potest autem oleum ita calidum fieri ut febrem inducat, si uenæ pulsatiles, tempora atq; manuum uolæ inde inungantur, & pedũ plantæ. & illud oleum oliuarum in quo diu decoquitur Leonina. Potest quoq; oleum fieri ita frigidum quod inducat membro cum eo inuncto stuporem & mortificationem, ut est oleum Mandragorinũ, quod fit ex oleo Oliuarum in quo poma Mandragoræ fuerunt decocta uel diutius intus posita. Cæterum inter olea sic composita, magis salubria sunt temperata, quæ nec in excessu sunt calida nec frigida. Inter simplicia uero olea, & quo ad cibum, & quo ad medicinam, melius est oleũ de Oliuis. Deinde nucum & Amygdalorum. tertio Papaueris, quod cum prædictis aliis oleis magis frigidum est atq; siccum, maxime quod fit de semine eius nigro, & habet uirtutem inducendi somnum. Papaueris etiam oleum ualet contra apostemata calida in principio, & contra hepatis calfactionem. Alia autem olea cibo minus conueniunt, quia malum habent odorem, & horribilem saporem, medicinæ tamen congruunt.

Oleum simplex. *Oleum compositũ.*

Oleum

Oleum enim propter nimiam aereitatem omnibus humoribus ſuper= natat.habet uirtutẽ penetratiuam. Oleum etiam apes & omnia anima= lia anuloſi corporis interficit & extinguit,ſi cum oleo perfundantur,te= ſte Ariſtot. Sed ſi poſtmodum perfundantur aceto,reuiuiſcunt. Item oleum purum ferrum politum,cultellos, aliaq́; inſtrumenta ferrea præ= ſeruat à rubigine,ubi cum eo inungantur. At ſi oleum fuerit corruptũ uel aquoſum,aut cum fece mixtum,ferrum deſtruit & corrumpit.quæ= re in dict.papauer,triticum.Item ſi fiat ellychnium nonnihil groſſum,& in oleo Canabino bene inungatur, poſteaq́ue accendatur,nec uento nec pluuia extinguetur,donec ellychnium cõſumatur. Hoc modo tempore nocturno conducuntur exercitus, quia talis lychnus inſtrumento fer= reo in ſummitate lanceæ ponitur ut multis præluceat. Oleum nucum nocet pectori,quia non habet puram unctuoſitatem.

De Oculorum paſſionibus. Cap. CCLIIII.

QVi oculos habent concauos ſiue in profundo poſitos, lon= gius uident quàm illi qui oculos habent prominentes.ſiqui= dem in oculis concauis radij uiſuales in ſuo exitu ab oculo non ſtatim diſperguntur, & longius uſq; ad res uiſibiles procedunt,teſte Ariſtot.de animalibus. Item ex oculorum nutu de ho minum moribus iudicamus.Quoniam ſi oculi fuerint in motu,& quaſi inſtabiles,ſignificant exceſſum caloris,mentis inſtabilitatem, affectionũ mutabilitatem. Si uero fuerint tardi motus,ſignificant exceſſum frigi= ditatis, pertinaciã ac duriciã, affectus & uoluntatis. Idcirco motus me= diocritas in oculis eſt laudabilis,quia ſignificat facilẽ mẽtis apprehẽſionẽ & in apprehẽſione debitã ac rationalẽ permanentiam,fixioremq́;,ut re= fert Ariſtot.in lib.de animalib.Clauſura debet eſſe mediocriter feſtina. nam ſi fuerit multum uel nimis feſtinæ apertionis,uerecundiam deſi- gnat & ſtulticiam. Si uero oculi apertio fuerit nimis tarda, defectum ſignificat uirtutis,& materiæ compactionem in neruis,quæ actionis ſpe cie non obedit, ut patet in lethargicis. Oculi item nigri in die ſunt acu= ti uiſus,propter luminis & humoris in organo uiſus aggregationem. in nocte uero ſunt ad uidendum obtuſi, quia noctis lumen eſt modicum atq; debile,& humor nocturnus naturaliter grauioris eſt motus. Ocu= lus uero glaucus econtrario in die eſt debilis uiſus,ſed nocte fortis, quia cum materia glaucitatis ex ſe ſit lucida, luci diurnæ adiuncta, quæ eſt magna,plurimum diſgregatur. ideo in actu uidendi luce diurna ſpiri- tus uiſibilis debilitatur.nocte uero, quia lux noctis eſt modica, ſpiritus uiſibilis in oculo coadunatur, & claritate inter humorem glaucum &

lucidum contenta, cum adiutorio luminis noctis non disgregatur sed fortificatur. De cattis & quibusdam alijs animalibus quæ oculos habent glaucos, ac nocturno tempore uident & apprehendunt, in dict. cæcitas, complexio hominum, fluxus oculorum, lachrymarum, lachryma. De cæco item illuminato in dict. fel, fœniculus, lepra. Fel Perdicis cum æquali pondere mellis, si per collyrij modum oculo instilletur, uisum admodum clarificat. & in pyxide argentea reseruari debet. Frequens grani usus fœniculi aut per se, aut in cibis, uisum clarificat. Item fel tauri & aliorum animalium atq; auium è rapina uiuentium, oculorum caliginem amouent. Aranea quædam longa & candida tenues habens pedes, ueteri in oleo contrita, illud oleum si oculis instilletur, eorum albuginem soluit. Item est quædam Lactucæ species rotunda habens folia, quam aliqui Erucam uocant, cuius succum Accipitres extrahentes, & inde oculos tangentes, oculorum obscuritatem, caliginemq; cum senescunt, expellunt. Huius herbæ succus omnia oculorum uitia sanat, maxime quando ei lac mulieris admiscetur. Serpentum morsibus, scorpionumq; ictibus medetur, ubi succus eius cum uino potetur; & folia super uulnus trita per emplastri modum ponantur. uide in dict. absinthium, aloe, amomum, lactuca, nitrum, oculus, odor, porrum, psilum, ramnus, rosa, ruta, sapphirus, sinapis, uitrum, urina, uulpis, zinziber. De conditionibus autem & passionibus oculorum, deq; diuersis infirmitatibus ac remedijs contra ipsas, in dict. allium, anhelitus, animalia, aquila, argentum, assimilatio, aurum, caput, cepa, Chelidonia, centaurea, cyminum, collyrium, complexio, columba, crocus, dolor capitis, dolor oculorum, hœdus, gutta aromatica, hircus, hirundo, iaspis, lac, leo, macula oculi, uisus. Olus seu Caules ut à uermibus non corrodantur, Mentam inter herbas seu caules plantabis. Semina item olerum siue caulium, aliarumúe herbarum, quæ in orto seminãda sunt, si uino fuerint madefacta, ab Eruca uel uermibus non lædent. Vel sulphur aut fuligo undiq; spargatur, ipsiusq; siccitas & amaritudo ortorum uermes exterminat.

De Oleastro. Cap. CCLV.

OLeaster est Olea seu Oliua syluestris, similis oliuæ domesticæ in folijs, sed eius folia sunt latiora. Arbor est inculta, sterilis & amara. Cuius lachryma est duplex. folia eius sunt stiptica & amara. melle condita seu commixta & trita, capitis atq; oris ulcera sanant. Corticis succus & frondiũ stipticus est & constrictiuus. ideo ualet ad omnem humorũ fluxũ restringẽdũ & sanguinis. Gummi admodum est medicinale. uulnera enim mundificat atq; sanat,

gingiuas corrosas, corruptasq; adiuuat, dentes mobiles corroborat & confortat, infirmitatem ex cholera furiosa carnem & ossa corrodentem reprimit & sanat. unde contra Alopeciam ualet & fluxum capillorum. Capillos tingit, canitiem aut impedit, aut palliat, aut retardat. De pilis in dict. abortiuū, agnus, alimētū, alopecia, aurū, auripigmentū, barba, calx, complexio, canities, capilli, fluxus capillorꝫ, lilium, malefici, uitis.

De Pectinationis utilitate Cap. CCLVI.

CVtis tota est porosa, præcipue capitis, propter necessariam fumosæ superfluitatis expulsionem. Per calorem autem pori aperiuntur, & ea quæ inter carnem & cutem sunt superflua, per uapores & sudores expurgantur. Et quia poris per pectinationem apertis (nam per eandem aperiuntur) uapores capitis & fumositates facilius exhalant, quibus exhalatis, caput & cerebrum alleuiantur. ideo capitis pectinatio cerebro multum prodest. uide in dict. pediculi. Poma bona non putrida, sua de natura cor confortant. uide in dict. abstinentia.

De Prægnanti muliere. Cap. CCLVII.

GAlenus super Aphoris. dicit. Mulier fœtum in utero gerens, iunctis & compositis pedibus, si subito ut ueniat uocata fuerit, in adueniendo (ubi masculum in utero habuerit) primo pedem dextrum mouebit. Si uero fœminam gestauerit, primo sinistrum mouebit. Mulier etiam postquàm imprægnata fuerit, sanguinem menstruum non emittit, quoniam transit in nutrimētum fœtus. Et ex conceptu masculi prægnans minus grauatur quàm ex conceptu fœminæ. ideo prægnans masculum gestans, pulchrioris, nitidiorisq; est coloris, motus quoq; leuioris, agiliorisq;. quære in dict. nardus, remedia, ruta, uitis, zizania. De conditione mulieris prægnantis, & quomodo ante partum cognoscatur an masculum uel fœmellam paritura sit, in dict. aborsus, autumnus, cōceptio, febris cotidiana, fœtus, fructus, imprægnatio, masculus, mamilla, menstrua, mulier, pes.

Mulieres imprægnatæ non patiuntur menstrua.

De Pulmone. Cap. CCLVIII.

PVlmo cordis est flabellum, quia se aperiendo, et aërem recipiendo, calorē cordis tēperat. unde in cōtinuo motu est, spirando, attrahendo, & emittendo aërē. Quandoq; ex humore rheumatisante ad canales pulmonis lædit, & tunc uariæ generant passiones, Phthisis scilicet & aliæ passiones horrendæ, ut patet in illis qui spuunt sanguinē atq; saniē. Quandoq; patit ex propriæ sub-

ſtantiæ alteratione, & accidit ex acumine humoris ad pulmonis ſubſtã‑tiam defluentis. Talis paſſio difficulter curatur. quia cũ ex humoris acu‑mine ſubſtantia pulmonis fuerit ulcerata, propter ipſius pulmonis tene‑ritudinem, & motus continuationẽ non facile euaneſcit. unde tunc ad tẽ periẽ caloris cordis nõ ſufficit, quin potius propter aëris attracti pauci‑tatẽ cor in ſe penitus marceſſit. Item ſi homo comedendo anhelauerit, ac cidit quod aliquid ex cibo cadit in pulmonis concauũ, tuncq́ꝫ homini ac cidit tuſſis, & interdum ſtrangulatio. Nam tuſſis nihil aliud eſt, quàm motus animatæ uirtutis ad expellendum ſuperflua circa ſpiritus inſtru‑menta. Ex quibus apparet quod animal non poteſt uiuere, niſi cordis ca lor per attractum aërem temperetur, quæ attractio fit per pulmonem. ideo animal tam diu ſine ſuffocatione ſub aqua uiuere poteſt, quàm diu recollectum, attractumqúe aërem retinere poteſt. de pulmone in dict. Hyſſopus, ſputum, triticum, uua.

De Pulſu. Cap. CCLIX.

PVlſus eſt uitalis effectus, & ſignum uitæ, uariaturq́ꝫ ſecun‑dum diaſtolen & ſyſtolen. ideſt dilatationem ac conſtrictio‑nem cordis & arteriarũ motus. Per pulſum aũt intelligitur, perpenditur, & cognoſcitur diſpoſitio uirtutis ſpiritualis, et ſuæ operationis, ut cõſiſtentia cordis atq́ꝫ corporis, & actionem cordis oſtendit. Quærunt autem & iudicant medici de pulſu in brachijs ſpecia‑liter, quoniam id facilius, utilius & honeſtius. Vtiq́ꝫ facilius, quia carno‑ſæ partes arteriam, per quam pulſus ad extremitates corporales ſe dif‑fundunt, non occultant. Vtilius, quia arteriæ quæ ſunt in brachijs, cor‑di magis appropinquant, ideoq́ꝫ per illum pulſum certius cognoſcĩt ſta‑tus cordis. Honeſtius, quoniam ſi brachia denudantur, & oſtenduntur, nec ægro nec medico aliquã uerecundiã generãt, quod fieret de alijs cor poris partibus. Diſcernĩt aũt pulſus proprie per digitoꝝ appoſitionem ſuper locũ pulſatilem, maxime cum digito qui uocat̃ Medicus, qui eſt in manu penultimus. Tangitur quoq́ꝫ pulſus per mediocrem digitorum preſſionem ſuper locũ pulſatilem. & aliter in forti, aliter in debili. quo‑niam in forti & carnoſo fortius premit̃. in debili & carnibus denudato remiſſius & leuiori preſſione fieri conſueuit. Diuerſitas autem in pulſu multiplex inuenitur. quidam eſt fortis ex ſpiritus fortitudine. Varietas uero in pulſu, maris eſt & fœminæ. quia in maſculis qui ualidioris & fortioris ſunt naturæ, fortior eſt pulſus quàm in fœminis, quæ naturæ ſunt debilioris. & frequẽtior eſt pulſus in fœminis quàm in maſculis. & hoc eſt, quia natura ſæpe iteratum pulſum nititur ſupplere in fœminis, quod per fortiorem pulſum ſemel, uel uno ictu operatur in maſculis.

Pulsus item uariatur secundum complexionem.quandoquidem si fuerit calida & cholerica,pulsum facit fortem, maiorem & ueлociorem. Si uero frigida,phlegmatica uel melancholica,pulsum facit paruum,debilem atq; tardum. Si autem humida,mollem reddit & spissum. Si sicca, asperum atq; durum.Item diuersificatur propter uariam corporis dispositionem.quoniam in macilentis generaliter pulsus est fortior & uiuacior quàm in crassis.& hoc forsitan propter minorem arteriæ occultationem,uel propter maiorem caloris naturalis qui in macilentis habūdat incensionē. qui quidem calor pulsum facit fortiorem. Item propter ætatis diuersitatem.nam pueri ueлociorem habent pulsum ad iuuandū caloris refrigerationem,quia in eis calor plus habundat. Velocitatem nanq; facit magnitudo caloris,& debilitas uirtutis quæ ad trahendum aerem frigidum semel non sufficit.Iuuenes uero propter habundantes uirtutes in eis pulsum habent fortem & uelocem.Senes autem econtrario paruum,tardum,debilem & rarum.Et hoc quia eorum complexio frigiditati appropinquat,unde in eis non est multum necesse attrahere aerem frigidum caussa refrigerationis.Cæterum aliæ ætates istis affines secundum illam cui magis appropinquant, habent illi similiores pulsus tam in masculis quàm in fœminis. Item uariatur pulsus ex temporis immutatiõe. Ver nanq; propter temperantiam frigiditatis & caliditatis facit pulsum fortem,similiter & autumnus. Omne autem temperamentū uirtuti naturali adhibet incrementum.Aestas uero quia calidissima est, debilem facit pulsum & paruū propter pectoris nimiam dilatationem. quia ex hoc euanescit uirtus & debilitatur. ideoq; debilitati non sufficit ut magnus efficiatur.Hyems autem quia frigida est,pulsum facit tardū, sed tamen multum fortem.Ista autem tarditas prouenit ex hoc,quia nō oportet multum attrahere aerem frigidū ad infrigidationem propter temporis frigiditatem.Fortis autem est,quoniam tūc calor naturalis ad interiora corporis refugit. unde calor fortificatus,uirtutem & pulsum confortat & fortificat quando non excedit. Calor uero æstiualis utrūq́ue dissoluit. Item uariatur propter diuersorum climatū & regionum inhabitationem, quoniam calida in regione habitantes, ut in aethiopia, pulsum habent uelocem quasi æstiuum. Frigida autem in terra habitantes,pulsum habent similem hyemi. habitantes uero sub linea Aequinoctiali,pulsum habent mediocrem,sicut in tempore uernali & autumnali Similiter aer calidus,frigidus & siccus,temperatus, pulsum uariat & immutat.Item propter imprægnationem. prægnantes enim pulsum habēt mutabilem.quia in principio usq; ad sextū mensem pulsum habent fortem,spissum & uelocem,quoniam calor fœtus calorem augmentat naturalem,& mulieris uires usq; ad hoc tempus sunt mediocres, & fœtus

Pulsus uariatiō multiplex.

Omnia temperatiē ta, uirtutibus naturalibus adferunt incrementum.

adhuc paruus,unde parum nutrimenti illo tempore à mulierum abstra hit corporibus,ideoq; in eis adhuc est pulsus temperatus. In sexto uero mense fœtus maioratur,ideo & maius requirit nutrimentum,unde & natura mulieris grauatur,& per consequens pulsus debilitatur. Item propter somnum & uigiliarum alterationem,quia tempore somni solet esse pulsus paruus atq; tardus.sed post somnum fit fortis & magnus, quoniam tunc calor naturalis confortatur. Veruntamen ubi somnus nimium prolongatur,pulsus rarescit & debilitatur.Item si quis à somno subito excitetur,natura concutitur,pulsusq; uelox,spissus,tremens,& in ordinatus subito inuenitur.sed cum quieuerit,ad pristinum statum iterum conuertitur.Item propter laborem,atq; corporis exercitationem: qui si fuerit temperatus,pulsum facit fortem,uelocem,spissum atq; magnum,quia calor naturalis per huiusmodi excitatur. Si uero labor siue exercitium fuerit intemperatum,contrarium accidit,quod scilicet pulsus est paruus,durus,tardus,rarus,quia insita laborantibus uirtus deficit,calorq; naturalis dissoluitur,& per consequens pulsus minoratur. Item propter balneorum assuefactionem.nam in aqua calida se temperate balneantes,pulsum habent fortem & spissum,& hoc propter naturæ confortationem,& superfluorum humorum consumptionem.Cæterum in nimis morantibus in aqua calida,pulsus debilis efficitur.remanet tamen sicut prius uelocitas & spissitudo. Similiter balneantes se in aqua frigida temperate tempore æstiuo,pulsum habent fortem & uelocem.& hoc contingit propter naturalis caloris coadunationem,& uirtutis confortationem prouenientis ex temperamento exterioris infrigidationis.Sed nimia mora tali in balneo pulsum debilitat & uirtutē. & hoc contingit in macilentis plus quàm in crassis propter frigiditatem nimis subito,& quasi obstaculo penetrantem,quasiq; præcordia plus debito constringentem. Item propter cibi potusq; nimiam sumptionem. cibus enim superfluus & indigestus pulsum debilitat.moderatus autem & digestus,ac per membra dispersus,excitata uirtute pulsum augmentat. Similiter potus moderatus & digestus pulsum facit fortem, magnum & uelocem. + frigidus autem rarum et tardū.Item propter passionum animæ uarietatem.nam ira pulsum facit uelocem,fortem & spissum. lætitia mediocrem.timor uelocem,inordinatū,ac trementem facit pulsum. similiter & dolor.& sic de alijs animæ passionibus cōtingit.Item ex passionibus corporis,ut patet in febricitantibus,qui pulsum habent uelocem.quoniam cum febricitantes calorem paciantur inordinatum & excessiuū,nititur cor frequenti motu plus solito aerem frigidum attrahere ad caloris refrigerationem, & interdum in acutis febribus. In tertio aut quarto ictu pulsus deficit & syncopisat, quod signum est defectus uirtutis

In aqua calida nimium balneantes, pulsum debilē efficiunt.

forte legend. immoderatus.

uirtutis naturalis,idq; malum.Item pulsus fortior inuenitur in brachio sinistro quàm in dextro. De pinguedine quod sit ad comedendum inutilis,in dict.alimẽtum,animalia,brodium,carnes, cõplexio,febris, nitrũ.

De Petroselino. Cap. CCLX.

PEtroselinum est herba coloris uiridis,gustu & odore aromatica,quæ multum in usu habetur. Est autem herba calida & sicca,multum diuretica,aperitiua, diuisiua, consumptiua, & grossorum humorum subtiliatiua. stomachi con fortatiua,appetitus excitatiua.Ideoq; lapidem frangit,menstrua educit, Hydropicis subuenit.oppilationes splenis atq; hepatis aperit, Stranguriam pacientes iuuat,si in aqua coctum per emplastri modum ponatur super umbilicum.De pane qui melior sit ad comedendum(quoniam in omni genere panis quanto panis est recentior,tanto laudabilior)in dict. farina,frumentum,triticum.

De Paralysi. Cap. CCLXI.

EX neruo corrupto,aut in totum oppilato,caro fit insensibilis,ut patet in manu,uel alia parte corporis paralytica. Paralysis est læsio partis corporis humani cum diminutione uel priuatione motus uel sensus,aut utriusq; in illa parte. Et fit quandoq; ex frigiditate constringente. quandoq; ex humore oppilante.quandoq; ex calore consumente, & neruos sensibiles corrugante. aliquando ex uulnere neruos incidente & diuidente.Quia ex istis causis et similibus denegatur transitus spiritus animalis ad instrumẽta sensus motus. Vnde si nerui sensibiles ex toto sunt oppilati uel incisi,membrum illud efficitur insensibile & immobile. Si uero non plena fuerit oppilatio uel incisio, seu si non omnino denegetur transitus spirituum ad organũ sensus,sed aliquo modo sic,aliquo modo transeant ex pondere, membrum illud deprimente,ex uirtute regitiua,quæ membrum depressum nititur erigere,causatur tremor illius membri. Fit autem Paralysis maxime & frequenter ex crapula & superfluitate ciborum, & maxime ex superfluitate uini. Quia ex talium superfluitate sequitur neruorum oppilatio.quandoq; etiam aliquæ infirmitates terminantur in Paralysim, sicut aliquæ terminantur in cæcitatem. Item quandoq; materia ipsius oppilationis quæ inducit Paralysim,est in origine neruorum,quandoq; in ipso membro paralytico.Si in origine neruorum sit caussa ipsius,stupor & sensibilitas est circa loca uicina, & in facie uel in principio dorsi. Si uero in ipso membro sit eius causa,tunc patitur ipsum membrum tantum,aut membra superiora.Ista infirmitas in senibus non curatur,in iu- *Paralysis ex superfluitate cibi & potus, præcipue uini oritur.*

uenibus autem medicinalia facilius ad curam operantur. Quando autem alicui occurrit iſta infirmitas, tunc ſtatim debent fieri balnea cū herbis mollificatiuis, relaxatiuis, ut cum Chamomilla & ſimilibus. Similiter ſuper locum fieri debent emplaſtra de rebus mollificatiuis, remollitiuis, laxatiuis. deinde uti debet deſiccatiuis & conſtrictiuis. debent etiam mēbra inungi oleo Chamomillæ & cum alijs laxatiuis, & cum Saluia in uino cocta et Caſtoreo. debent etiam membra confricari, perq; emplaſtri modum debent iſta deſuper ligari. debet etiam uti uino ſaluiato, aut in quo Saluia cocta ſit, & lauari cum aqua calida, in qua ſint cocta Lauri folia, & cū oleo Laurino inungi. De Paralyſi in dict. amara, aqua, remēdia, Ruta.

De Pelle ſeu cute. Cap. CCLXII.

CVtis ſiue pellis in hominibus groſſeſcit, indureſcit, contrahitur, & rugatur ex ſenectute, propter defectum caloris, et conſumptionem humoris naturalis, & tunc immutatur ſpecies & decor. uide in dict. morphea, macula faciei.

De conditione puerorum. Cap. CCLXIII.

INfantis caro iam recens nati fluida eſt, paſſibilis & tenella, ideo uarijs indiget remedijs et fomentis. unde Conſtant. ait Infantes uterum exeuntes in roſis cū ſale tritis inuoluātur, & eorum membra confortentur, & à uiſcoſa humiditate liberentur. Deinde palatum & gingiuæ cum digito melle uncto fricentur ut interiora oris mundificentur, confortenturq;, ut mellis dulcedine & acumine, infantuli appetitus prouocet. Frequenter in aqua moderatè calida balneentur. Myrtino oleo aut roſaceo inungantur, omnia eorum membra leniter fricentur præcipue maſculorum, quorum membra propter exercitiū debent eſſe duriora. Somnus eis in loco obſcuro prouocetur, ut oculorum ipſorum lumen coadunetur. quoniam locus lucidus uiſum eorum nimis diſpergit & debilitat, tenellos oculos lædit, & ſæpius luſcos facit, ideo non ſunt aeri nimis lucido exponendi, ne uiſibiles eorum ſpiritus diſgregentur. Iſtud etiam ualde cauendum eſt ne infantulo in cunis poſito, nocturno tempore lumen aliquod in loco aliquo domus remaneat. Anima enim ut Auguſtinus ait, lumē naturaliter diligit ad quod ſe oculus conuertit. idcirco paruulus ſi nocte lumen alicubi uiderit, libenter & continue uiſum in ipſum dirigit atq; figit. ex quo ut idē refert, infantes interdum efficiuntur ſtrabones. Super omnia uero cauendum eſt, ne malo ſeu corrupto lacte nutriantur, quoniam ex uiſcoſo lacte nutricis, infantuli peſſimas incurrunt paſſiones, ut oris ulcerationes,

tiones,uomitum,febrem,ſpaſmum,fluxum uentris & ſimilia. Nec eſt danda infantulis medicina cum ægrotant,ſed nutrix debet eſſe in medicina, & uirtus nutricis conuenienti diæta infantis defectum ſuppleat. Ex bona autem diſpoſitione lactis nutricis, bona fit conſiſtentia prolis, & econuerſo.Et quoniam infantuli membra ſunt admodum mollia, & per cõſequens diuerſarum figurarum ualde facile ſuſceptibilia, idcirco panniculis inuolui debent, & faſcijs ligari ne torta efficiantur, aut aliquam deformitatem incurrant.uide in dict.dolor anchæ,iuuenis,paralyſis,apium,aſſimilatio,barba,caput,capilli,calx,calor,ſenectus.De podagra in dict.amomum,aqua,arthetica,aſſimilatio,capra,dolor anchæ, faba, fumus terræ, ouum, fumus. Aqua pluuialis eſt multum ſtiptica. uide in dict.fluxus uentris. Item ſi uaccæ concipiant & pariant geminos in æſtate,id ſignum eſt prognoſticum,multæ pluuiæ hyemis futuræ.

De Papauere. Cap. CCLXIIII.

PApauer herba eſt ualde ſomnifera. Vnde ſi eius ſuccus cũ aqua roſacea mixtus ſuper panniculos extenſus, ſeu immerſus & madefactus ſuper tempora febricitantis ponatur, aut alterius à quo ſomnus receſſit,eundem facit dormire. Et eſt duplex, uſuale & agreſte, ex quo fluit ſeu extrahitur ſuccus quem medici uocant Opium. Vſuale autem aliud eſt album, quod frigidum eſt & humidum.aliud nigrum, quod frigidum eſt & ſiccum. aliud eſt rubeum.Capita habet magna ad modum maligranati,in quibus recolligit ſemen ſuum.Semen uero eſt unctuoſum.igitur ex eo oleum fit ad multa ualens.Ex ſucco capitellorum & foliorum fit opium, per quod ſomnus in febricitantibus prouocatur.Debet autem dari cum cautela.quia multum oppilat & infrigidat,mortificatq́ʒ, maxime Papauer nigrũ,in multis medicinis ponit̃.Picota eſt qdã infirmitas.ſuntq́ʒ puſtulæ quædã minores in quãtitate, rubei coloris. q̃ ægritudo à quibuſdã dicit̃ Sarrãpio.

Opium.

Picota ſeu Sarrampio.

De Puſtulis. Cap. CCLXV.

PVſtulæ ſunt quædam paruæ collectiones apoſtematicæ ſuperfluitatis,in ſuperficie corporis minutatim & particulariter generatæ,natura ſibi ſuperflua & nociua ad exteriora corporis expellẽte. Quæ ſæpe ex ſuperfluitate nutrimẽti cibi & potus cauſant̃. Sunt eñ paruæ quædã ueſicæ putredinis uirulentæ intrinſecus contentiuæ. In paruulis dicũtur uariolæ.& etiam aliquando in adultis.Tales autem puſtulæ in paruulis ſunt ſalutiferæ,& futuræ ſanitatis primitiæ. Variolæ naſcuntur ex putridi ſanguinis corruptione. Quæ ſi in paruulis aut adoleſcentibus non erumperent,in poſterum de futura timendũ eſſet lepra.nam in paruulis

Variolæ.

ex ſanguine fiunt menſtruali, quo in utero alebantur. Quæ dum pueri uirtus creſcit, ui naturæ ad exterira expelluntur, ſicq́ʒ à futuræ lepræ periculo liberantur. Similiter contingit in adultis & ſenibus in febre circa criſim, tales puſtulas erumpere ui naturæ, materiam febris ad exteriora expellẽte. ideoq́ʒ nec in iſtis nec in illis fieri debet repercuſſio, ne materia intus transferať, cum ſit quodammodo furioſa uenenoſaq́ʒ. Circa oculos tamen propter periculum facienda eſt quædam leuis repercuſſio, ne puſtulæ ſanies oculi tunicam lædat uel pupillam. In alijs autem locis omnibus cautus medicus talem materiã ad exteriora trahit quãtum poteſt, præter quàm circa oculos, ibi enim materia eſt repercutienda non attrahenda. Caueat aũt medicus ſapiens, tam in paruulo quàm in adulto, ne talium puſtularum ueſicæ propter pruritũ, uel per aliud rumpantur ſeu aperiantur ante tempus, donec per ſe aperiantur. & hoc maxime cauendum eſt circa oculos, & circa faciem, ne poſtea in facie deformes remaneant cicatrices. Multis alijs de cauſſis puſtulæ in corpore oriũť. Interdum ex materia phlegmatica albæ, molles & fluidæ, nonnunquàm ex materia cholerica aſperæ, pruriẽtes & duræ. Nam humor cholericus inter carnem & cutem diffuſus, calore ſuo & acumine cutem aperit & mordicat, & infinitas puſtulas in cutis ſuperficie generat, ſed paruæ ſunt ac modicæ ad modũ grani milij, & rubeæ, unde iſtam paſſionem medici uocant Herpes milij. Ex quacunq́ʒ autem materia proueniat, tales puſtulæ ſi ſint frequentes & continuæ, expedit ut primò materia peccans debita medicina purgetur. deinde ſi corpus fuerit plectoricum ſiue repletum, flebotomeť aut uẽtoſetur. Item debitis in balneis balneetur, in quibus herbæ ponantur deſiccatiuæ & conſumptiuæ. unguentis etiam deſiccatiuis, conſumptiuis ac aperitiuis patiens adiuuetur. De infirmitatibus quæ ex puſtulis ſeu paruis fiunt apoſtematibus in dict. calx, gutta, impetigo, lepra, morphea. De qualitate et utilitate potus in dict. canis, carnes, comeſtio, Iuſquiamus, lactuca.

Puſtulæ humanis in corporibus uarijs de cauſſis oriuntur.

Herpes.

De Piſcibus. Cap. CCLXVI.

PIſces qui in aquis nutriuntur lacualibus, minus ſunt laudabiles quàm illi qui in fluuijs nutriuntur & aquis fluentibus. nam lacus ſua limoſitate, piſces quos nutrit limoſi facit ſaporis. Piſces ex mari ad dulces aquas egredientes, in earum dulcedine delectantur, inpinguanturq́ʒ, & econuerſo. Tales piſces nunc in mari, nunc in aqua dulci uerſantur. Multi tamen ſunt piſces fluuiatiles, qui aquam maris ſalſam tollerare non poſſunt, imò ipſa guſtata ilico moriunť. unde ſtatim uerſo uentre ſurſum natant ſuper aquas maris. Et hoc propter ſalſedinem & ſiccitatem maris.

Piſces

pisces uero fluuiatiles subtiles sunt & molles. & ut Auicen. docet, bonorum piscium electio fieri debet secundum loci naturam in quo nutriuntur. quoniam qui in locis petrosis morantur, meliores sunt & dulciores. quiq; in aquis dulcibus, currentibus, in quibus non sunt sordes, & quæ non sunt limosæ, lacuales, neq; campestres. Pisces etiam è paruulis lacunis quæ flumina nõ imbibunt, & in quibus non sunt fontes, minus sunt laudabiles, imò nociui. quemadmodum sunt qui capiuntur in fossatis, in quibus non est aqua fluens sed quasi putrida, quæ ibi colligitur tempore hyemali & pluuioso, & in æstate putrescit & desiccat. Idem ait, Pisces quidem laudabiles sunt marini subtiles. & meliores sunt illi, qui in mari & pelago enutriti, & qui morantur in aquis discoopertis flatui uentorũ super se. Et illi qui morantur in aquis multarum agitationum, uehementisq; motus & exercitij, sunt meliores illis qui habitant in aquis stãtibus. Vnde pisces pelagini meliores sunt quàm fluuiales, & fluuiales meliores quàm lacuales. maxime si lacus longe fuerint à fluuio & à mari. habent enim quietem, nec eorum putredo lauatur à fluuio subintrante siue mari. unde tales pisces lacuales male sapiunt citoq; putrescunt. Meliores etiam sunt pisces tam marini quàm fluuiales in plaga aquilonari orientaliq;, quàm in australi. quia ex impetuoso uentorũ flatu aquæ ibi plus mouentur, depurantur, & à suis superfluitatibus magis emundãtur. Pisces item sunt alijs meliores secundum ciborum differentiã. quoniam qui herbis bonis, plantarumq; radicibus cibantur, meliores sunt eis qui sordes comedunt, quæ de ciuitatibus & locis situatis super aquas, proijciuntur ad locum infusionum. Item est quidam piscis uix semipedalis dictus Echeneis, qui quàmuis paruus sit corpore, est tamen tantæ uirtutis, quod nauem magnam ei adhærẽdo à suo cursu retineat. Nam nauis cui adhæret, licet uenti ruant, procellæ sæuiant, in mari quasi fixa stat, nec mouetur. Pisces fœminei, secundum Aristot. longiores sunt masculis, & durioris carnis. Meliores etiam pisces habentur illi, qui non sunt admodum magni, nec carnem habent nimis duram atq; siccam. & in quibus non est nimia pinguedo, nec muscillago, nec malus sapor uel odor. Cæterum suauis saporis sunt conuenientes, non nimis pingues, nõ habentes superfluam pinguedinem, neq; grossam neq; aëream. & in quibus non cito accidit post aquæ exitum fœtor. Qui carnem habent duram saliti efficiuntur meliores. & inter eos qui duræ sunt carnis, meliores sunt minus duri. ex illis uero qui sua de natura mollis sunt carnis, meliores qui minus molles sunt. Omnis piscis generaliter frigidus est & humidus. idcirco quando non sunt ualde recentes, phlegma generant aquosum, & mollificant neruos. & non sunt conuenientes nisi stomacho ualde calido. Saliti uero magis conueniunt stomacho & medicinæ. Ca-

Meliorum piscium electio secundum loci naturam.

Pisces plagæ aquilonaris orientalisq;, meliores sunt quàm australis.

De Echeneide Pli. lib. 32. Cap. 1.

pita enim piſcium ſalitorum uſta morſum rabidi canis ſanant, & punctura̅ ſcorpionis, carnem adulcerinam in ulceribus eradicant & corrodunt. ſimiliter conferunt putridis ulceribus & ſanioſis. Ius omnis piſcis, ſeu aqua in qua cocti ſunt piſces, uenenis bibitis, & puncturis confert. Piſces qui habitant in conchis, ut oſtreæ & locuſtæ marinæ ſunt meliores in augmento Lunæ, quia eorum medulla tunc plenior, & in ſubſtantia augmentatur, decreſcente uero luna euacuantur. In iſtis generatur margarita.

De Plumbo. Cap. CCLXVII.

PLumbum partibus homogeneis mixtum eaſdẽ congregat, heterogeneas ſeparat & mundificat, ideo in fornace cum argento ponitur, quo argẽtum facilius mundificet. Partes etiã argenteas ne igne conſumantur præſeruat, ipſoq; plumbo conſumpto ac combuſto argentum purgat. Plumbum (ut inquit Hermes) ſua in ebullitione ſolidorum corporum omnium duritiem ſoluit, etiam Adamantis. Eſt autem plumbum frigidum & humidum in ſecũdo grad. teſte Conſtant. Valet contra ignis uſturã, & calida apoſtemata miro modo. puluis eius fluxũ ſanguinis uulnerũ reſtringit. oculorũ rheuma cõpeſcit, ſcorpionum ictus mitigat & draconum. uenerẽ prohibet ſi plumbi lamina duobus lumbis apponatur. Item Stibium eſt color fictitius ex ceruſa, id eſt, flore plumbi, & quibuſdam alijs mixtus, quo mulieres facies ſuas ſophiſticant & colorant. Ceruſa ex uapore fortis aceti tabulas plũbeas ſuper ſarmenta alba locatas perfundentis generaẽ, ſicut fit color uiridis qui uocatur Verdetum, ex uapore fortis aceti æneas ſeu cupreas laminas perfundentis. quod uulgus Græcum uiride uocat. Nã ex aceto æris corrumpitur ſuperficies, & in æruginem conuertitur, inde poſtea uiridis color generatur. Iſtud uiride ad carnem mortuam corrodendam ualet. De plumbi natura & conditione in dict. acetum, ambra, marmor, pediculi.

Stibium.

De Plantagine. Cap. CCLXVIII.

PLantago herba frigida eſt & ſicca, cuius folia ſunt neruoſa. Plantago trita, uel ſuccus eius in uulneribus poſitus, ea ſanat. morſum rabidi canis & eius tumores ſedat. Hydropicos iuuat, ueneno repugnat maxĩe aranearũ. ſuccus cũ uino ſumptus lũbricos necat, & uehementẽ uentris dolorẽ mitigat. uulnera ſanioſa mundat & deſiccat. ſanguinis fluxum & menſtruorum reſtringit, tumores apoſtematũ in principio repercutit: maſticata gingiuas tumidas & ſanguifluas reprimit & emundat.

De Pediculis. Cap. CCLXIX.

Pediculi

PEdiculi plus lædunt pedibus quàm dentibus. Generantur autem ex humidis & corruptis humoribus intercutaneis, qui per poros cutis resudant, & in pediculos conuertuntur. Vbi autem in corpore plectorico & corrupto multi generantur pediculi, signũ solet esse corruptionis generalis, morpheæ scilicet siue lepræ. Contra pediculorum molestiã ualet frequens capitis ablutio, pectinatio, et medicinalis mũdificatio, maxime si in aqua uel lixiuio quo caput lauat, Lauri folia calefiant, aliorumq; aromaticorum. nã ut Constãt. inquit, argentũ uiuũ cum cinere salicis eos necat. & hoc maxime si cũ humore generati. Idẽ facit plumbũ ustũ & puluerisatũ cum oleo & aceto, similiter aqua marina, & sal marinũ cum aceto. Item Stafisagria cõtrita, & argentũ uiuũ cum oleo uel butyro, aut ueteri axungia zonæ superlinitum, & intra uestes portatũ, pediculos efficaciter occidit, sicut expertũ est. Puluis etiam argenti uiui cum plumbi puluere mixtum, si super carbones spargatur, & uestes indutæ sic spargantur & dilatentur, ut fumus possit intrare inter uestes & corpus, pediculos occidit.

De remedijs contra pulices. Cap. CCLXX.

COntra pulicum molestiam quæ somnum & quietem auferunt, ualet absinthium seu ruta, si per domũ spargant. similiter Persicorum folia cum absinthio uel sine absinthio per domum sparsa. Coloquintida ualet cõtra pulices, si trita & cum aqua mixta per loca in quibus pulices sunt spargatur. similiter absinthij folia per domum sparsa, nam eorum odore et sapore moriuntur Tempore pluuioso acrius mordent. De pedibus in dict. rosmarinus, ruta, sambucus. De conseruatione à putredine in dict. alimentum, balsamum, carnes, complexio, conseruatio, dulcia, febris putrida, humores. De Polypo in dict. anhelitus, hircus, nares.

De Puluere. Cap. CCLXXI.

SI ex puluere Psillij cum aqua in qua decocta fuerit Mercurialis, digitus madefiat, hoc est, ut illo humore bene sit madefactus, poterit eodem digito tangere & mouere ferrum calidissimum sine læsione. Idem fieri dicit, si digitus uel manus intincta fuerit succo herbæ, quæ dicit Palma Christi. Itẽ accipe uirgulas siue spleretas Coryli mundissimi, & in loco sicco seu in uase aliquo incinera. accipe illos cineres, & tantundem Viridis græci seu Verdeti, quod fit ex tabulis cupreis, positis in aceto forti (illud est Verdetum seu uiride quo parietes pinguntur) & cõmisce bene cum duobus prædictis, pone in panno, illudq; uiuis in carbonibus cõbure. Postea si madefacias

ferrum aut Corallum cum urina uel aceto, ipſum ferrum corrodit,ac frangibile reddit. Vel de omnibus prædictis tribus pulueribus fac cum urina uel aceto aquam,deinde accipe ferrum uel corallum, & in cera liquefacta intinge, ita quod coctum ferrũ uel corallum ſit theca coopertum. poſtea ſuper ceram penetrando uſq; ad ferrum uel corallum, fac literas aut figuras quas uolueris. & pone illud ferrum uel corallum in illa aqua,ita ut totum bene madefiat. ſtetq; ita in aqua per aliquot dies ſecundum quod uidebis expedire. Illa aqua corrodet ferrum uel corallum,& corrodẽdo dimittet literarum impreſſiones uel figurarum in ferro uel corallo. Partem autẽ ferri uel coralli quæ cera tecta remanebit,in nullo corrodet, nec ipſam ceram. Item puluis Pſillij cõgelat aquã in æſtate,maxime ſi fundat̃ uel miſceat̃ cum aqua calefacta. idem facit de omni liquore. De diuerſis pulueribus in dict.anhelitus,roſa,ruta.

De Palmite. Cap. CCLXXII.

PAlmes eſt ramus uitis. qualis autem humor nutrimẽtalis in radice uitis fuerit,talis in palmite oſtenditur. Proinde ſi ex eadem uite diuerſas habere uolueris uuas diuerſorum colorum,dum uitis intra inſeritur in Martio,fiat inſertio tribus in ramis ex uno uitis ſtipite procedentibus.Et ſi uno in ſurculo in loco inſertionis colorem appoſuerit rubeum,in alio blaueum, in tertio colorem croceum,ſinguli palmites ex prædictis ramis procedẽtes,tales habebunt uuas in colore,quales colores in inſerendo fuerunt appoſiti.Sed quia iſtis in partibus raro uitis uiti inſeritur (quàmuis interdum palmes uitis alijs arboribus inſeratur) ideo alio modo iſta fit mutatio colorum in racemis. In Martio quando humor incipit aſcendere à radice,aperitur cortex uitis caute ſine læſura circa radicem,quo aperto,illa in apertura ponitur color in circuitu inter lignum uitis atq; eius corticem. & tunc ponit̃ + molſa & argilla,ligaturq; illa apertura bene ne uitis humor per eam exeat. Ille autem humor quem paulatim palmes attrahit à radice, coloratur dum tranſit per colorẽ, & in racemo de illo humore nutrito ſimilem colorem relinquit. Eodem artificio poſſunt fieri racemi muſcati,id eſt muſtus,ponatur in uite ſicut dictũ eſt de colore. Eodem modo poteſt mutari quælibet plantatio,quantum ad ſuos fructus in ſapore & colore,ſi fiat tempore inſertionis,uel per aperturã ut dictum eſt.

forte legend· in olla

De Platano. Cap. CCLXXIII.

PLatanus eſt arbor lata habens folia & ampla,mollia atq; tenera,folijs uitis ſimilia. Arbor frigida & ſicca. cuius folia in cauſſis calidis

& humi-

& humidis sunt utilia. Nam ut fertur, rheuma compescit, & calidum oculorum tumorem. decoctio corticis eius et foliorum, dolorem dentiū reprimit. Virtutem habet lenificandi, mitigandiq; dolorem ossium, & acutos dolores. unde ualet contra combustiones si cum alijs lenitiuis apponatur. Eius decoctio in uino ualere dicitur contra uenenum, si uinū illud bibatur.

De Populo. Cap. CCLXXIIII.

POpulus arbor alba habens folia ex parte una, ex altera uero uiridia Ista arbor emittit Resinam quæ sanguinē restringit, sudores aliosq; fluxus nocuos compescit. Ex eius summitatibus, crinibus siue comis solet fieri unguentum frigidum, oppilatiuum, et caloris mitigatiuum, tumoris repressiuū, somni prouocatiuū, quod à physicis uocat Populeon

De Pinea. Cap. CCLXXV.

PInea est fructus arboris Pini. de istius nucleis fit pineatum quod est nutritiuum & consumptiuum. Pinea testam habet durissimam, multa grana pinguia unctuosa intus continentem. quæ cum difficultate è testa extrahi possunt. Qui autem uult extrahere, primo totam pineam super carbones ponat ut leuiter aduret. et sic duplex eius interius auferatur, & tota pinea aperitur. Grana autem eius sunt ualde medicinalia. quia uirtutem habēt leniendi, humectandi, aliquantulum aperiendi & mundificandi membra spiritualia, & cursum mitigandi. hecticis & consumptis conueniendi, atq; sanguinem augmentandi. Cortices eius sunt medicinales, habent etiam tunc stipticitate uirtutem restringendi sanguinem menstrualem, Dysenteriam quoq; & fluxum uentris restringendi Pix est gummi Pini, per decoctionem ignis cum nigredine indurata. ualet contra uenenum, & contra ueneriatorum morsus si trita cum sale per emplastri modum superponatur.

De Pyro. Cap. CCLXXVI.

PYrus est arbor cuius fructus Pyrum. estq; inter omnes fructus ponderosus. Pyra syluestria cibo non conueniunt sed medicinæ, quia sunt stiptica, frigida & sicca, fluxum uentris uehementer constringunt, uomitum cholericum reprimunt, si decocta in aqua pluuiali super stomachū ponantur. Pyra uero domestica si ĩmatura, sunt pontica, grossa, dura, & ad esum insipida atq; mala. per elixationē tamen & decoctionē in aqua dulci, et appositiōem mellis seu alterius dulcis eorū terrestreitas aliquantulū digeri, & asperitas temperari potest. sed nec sic etiam admodū cibo cōueniūt, sed potius medicinæ. Pyra domestica matura frigida

ſunt & ſicca, quorum ſtiptica ſubſtantia cum aquoſa dulcedine admixta, cibo cōueniunt & medicinæ. cōuenientius eſt tamen ea ſumere poſt cibū ꝙ ante. Nam poſt cibum laxant & deprimūt cibaria ad locū decoctionis. neruos orificij ſtomachi confortant. ante cibū uero ſumpta conſtipant. Et ſi multa quātitate à ieiunis ſæpius aſſumantur, uermes in uētre generant, & Colicam duram & incurabilem paſſionem prouocant. Pyra autem dulcia temperatioris ſunt complexionis, & alijs minus frigida, ideo frigidis & ſiccis plus conueniunt. Succus tamen pyrorum ſylueſtrium uino hauſtus ualet contra fungos. Poſt pyra comeſta ſemper ſumi debet potus boni uini. Inter omnia pruna meliora ſunt damaſcena quoniam ſtomacho multum competunt. Pruna maxime damaſcena frigida ſunt & humida quando bene ſunt matura, ideo humectāt & infrigidant. dantur cōtra febrilē calorem, & contra uentris conſtipationem.

De Papyro & Paliuro. Cap. CCLXXVII.

PApyrus eſt quidam iuncus, qui deſiccatur ad nutrimentum ignis in lampadibus. nam oleum ſugit & extrahit. Haſtam habet uiridem, longam, planam, leuem & rotundam. medullam albā, poroſam, bibulam. Totus iuncus decorticatur excepto uno paruo latere, in quo aliquid in longum de cortice dimittitur, ut medulla ne defluat ſuſtentetur. Creſcit in paludibus, pratis & aquarū ripis. mediante iunco extrahitur aqua ex aure, & de uino, quia aquam naturaliter bibit, & ad ſe trahit. ideo ſi aqua ſit in uino mixta, & iuncus ibi ponatur, attrahit aquam & è uino extrahit. Paliurus eſt carduus aſperrimus & ſpinoſus, creſcēs in terra aſpera & inculta, capitella quædam habens ſpinoſa tangentis manum lędentia. In illis capitellis ſemen continetur diureticum, quod ualet contra morſum uenenatorum, & ad frangendum calculum.

De Pipere. Cap. CCLXXVIII.

PIper eſt fructus fruticis qui ubiq; habetur in uſu. Piper autem nigrū uſuale, quanto eſt ponderoſius, tāto recentius eſt & melius. per mercatores tamen ſophiſticatur. Nam uetuſtiſſimo piperi humefacto ſuperaſpergunt ſpumam argenti uel plumbi, ut ſic uideatur ratione ponderis eſſe recens. ponunt etiam ipſum ſuper terram madefactam, ut ſic humorem attrahat atq; plus ponderet. Piper calidum eſt & ſiccum in quarto grad. uirtutem habet diſſoluendi, cōſumendi. Puluis habet uim prouocandi ſternutationem, & cerebrum à ſuperfluitate phlegmatica purgandi, carnem ſuperfluam corrodendi ac conſumendi. ſpiritualia membra à frigidis & uiſcoſis ſuperfluitatibus emundandi, ſi cum ſiccis

ficubus

ficubus affumatur. Habet uim calefaciendi ftomachum & cōfortandi. appetitum prouocat. fanguineis tamen & cholericis piperis ufus non eft utilis, nam fanguinem diffoluit, deficcat & exurit, & tandem lepram aliasq; paffiões peffimas in corpore inducit. Si quis dolorem dentis patiatur, & granum piperis cum grano falis contritum inter illum dentem aliquantulum teneat, dolor mitigatur. uide in dict. lepra.

De Pulegio. Cap. CCLXXIX.

PVlegiũ herba eft aromatica, calida & ficca in tertio gradu, cuius uirtus confiftit in folijs et flore. Virtutē habet diffoluendi, confumendi & cōfortandi, rheuma frigidũ reftringendi & deficcandi. tuffim frigidã amputandi, matricem mundificandi. ftomachum confortat, appetitum prouocat, uentofitatem extenuat. inteftinorum dolorem ex frigiditate procedentem mirabiliter mitigat, calculum frangit, cōceptum adiuuat.

De Porro. Cap. CCLXXX.

POrrum eft herba hortenfis ufualis. Porri fuccus bibitus ualet contra fanguinis uomitum, contra fterilitatem fi à puellis fæpius comedatur. Succus eius cum uino bibitus ualet contra morfum ferpentis, & cuiuflibet animalis uenenofi. cum melle contritum fanat uulnera fi fuper eã emplaftretur. Succus eius cum lacte mixtus uetuftatem fedat & tuffim, pulmonisq; uitia fanat. Succus eius cum felle capræ mixtus, addita tertia parte mellis, tepidus in aure infufus, eius dolorem fanat. Eiufdem fuccus cum uino bibitus lumborum dolorem foluit. uulnera recentia cum fale mixtum & tritum pofitum, cito fanat & claudit. duricias relaxat, fracturas cito con folidat. Porrum etiam crudum comeftum ualet contra ebrietatem. uenerem ftimulat, durumq; uentrem laxat. Item Porrum folo odore ferpentes fugat & fcorpiões. cum melle tritum & fuper morfum canis per emplaftri modum pofitum curat. Valet etiam contra dentium dolorē, eorumq; uermes interficit. fomnum prouocat, morbum regium curat, & Hydropifim, oculorum tamen aciem hebetat, inflationem generat, ftomachum grauat, fitim prouocat, fanguinem incendit fi frequenter & nimium comedatur. cholericis non competit.

De Pontico fapore. Cap. CCLXXXI.

POnticus fapor ex frigiditate fit & ficcitate exiftente in tertio gradu cum groffa fubftantia. Pontica appetitum excitant. poft prandum fumpta laxant, cuius ratio eft compreffio cibariorum ad inferiora. ante prandium uero conftipant, quia neruos conftringunt, & meatus oppilant propter grofficiem fubftantiæ, fumofitatis & ficcitatis qualitatem.

Et quemadmodum ſupra diximus, groſſicie ſua ſplenem & hepar oppilant, calculum generant, colicam & pleureticam paſſionem excitant, ſpiritualia membra lædunt atq; grauant. Exterius autem appoſita uomitum ſedant, calidos tumores reprimunt, ſanguinis fluxum reſtringunt, neruos percutiunt, dentes exacerbant.

De Planetis. Cap. CCLXXXII.

PLanetarum coniunctio cum ipſis ſignis diuerſos habent effectus. nã planetæ ſi coniuncti fuerint in ſignis igneis, ſiccitatem ſignificat atq; famem, exceſſum ſiccitatis & caloris. Si in ſignis aëreis, multitudinem ſignificat uentorũ. At ſi in ſignis frigidis, grauitatem ſignificat frigoris, & caloris temperamentum. Planetarum effectus uariatur in bono, malo, ſecundum bonitatem & malitiam ſignorum in quibus eorum ſit coniunctio. Quia ſi planetæ fuerint beneuoli, bonum prætendunt. ſi uero mali, prætendunt malum. Quidam enim planetæ ſunt ponderoſi, frigidi, ſicci & mali, ut Saturnus. quidam boni, temperate calidi & humidi ſicut Iuppiter. Mars uero calorem & ſiccitatem generat, ſeu operat. Sol calorẽ operatur & ſiccitatem. Venus inter caliditatẽ & humiditatem mediocris. Mercurius temperatus, cito ſe ad illius naturã cõuertit, cui coniungitur, ut cũ bonis bonus. cum malis aut mediocribus ſimilis illis efficit. Luna frigida eſt et humida in exceſſu. De pectoris infirmitatibus et remedijs in dict. calamentum, dulcia, dracontia, Hyſſopus, Iuniperus, lac aſinæ, lenitiua, oculus, raucedo, ptiſana, tuſſis, uua, Zuccarũ, pomum ambræ. De purgatiuis in dict. aloe, fumus terræ, ruta. De remedijs contra pruritũ in dict. aloe, lappa, unguentum. De quartana febre in dict. aloe, alumen, animalia, laſurium, autumnus, balſamum, helleborus, epithymũ, febris cotidiana, quartana, iuniperus, leo, thymus, urina.

De Quercu & eius natura. Cap. CCLXXXIII.

QVercus nigredinem generat. nam in eius folijs pomum quoddam naſcitur, cuius ſuccus ſuper ferri laminam ſeu cultelli expreſſus, ſtatim nigreſcit ſicut incauſtum. De corticibus quercus in aqua coctis fit aqua nigerrima ad tingendum pelles & ligna, ſicut tinguntur in laſurio. Illi etiam qui Corni lignum operantur, tali cum incauſto partem ligni uel uaſis nigram faciunt quemadmodum uolunt.

De Borace ſeu Botracho. Rubeta, & Regulo aue. Cap. CCLXXXIIII.

BOrax eſt rana quædam ex genere Bufonum uenenoſa, interdũ habitans in terra, nonnunq; in humore, cuius uenenum eſt frigidiſſimum atq;

mum atq; in tantum, ut omne membrum quod tangit insensibile reddat, quasi esset congelatum. Herbas dulces comedit, easq; comedendo inficit. ob id in hortis Ruta, quæ Bufonibus ac cæteris uenenosis est inimica, plantari consueuit. cuius uirtute ab alijs herbis Rutæ propinquis arcentur. Loca fœtida, mucida, & fimosa Bufo diligit. multum autem odorifera odit. Vineis igitur florere incipiẽtibus bufones diffugiunt, nã florentis uineæ odorem sustinere non possunt. In dextro Rubetæ latere (ut medici dicunt) est os occultum, quod in aquam feruentem proiectũ eam subito refrigerari facit, nec uas nec aqua postea feruere potest, nisi prius illud os exemptum fuerit. illo officulo utuntur magi ad amorem & odium concitandum. Quantumcunq; autem uermes ille sit ueneno- sus, per incinerationem tamen & combustionem ueneni uim amittit, uirtutemq; recipit medicinæ maximam. Valet etiam miro modo ad carnis cutisq; aliquo modo perditæ recuperationem, neruorum consolidationem. ad uulnerum curam & desiccationem. Regulus auis minima si deplumetur, & in paruo seu admodum gracili ueru ad ignem ponatur ut assetur, per se ipsum se girabit. De caussis rugarũ cutis siue pellis in dict. carica, complexio, ficus, pellis. De rabie in dict. allium, canis rabidus, caput, gentiana, serpens, uenenum. Regulus.

De Raucedine. Cap. CCLXXXV.

Raucedo multis ex caussis procedit. Interdum ex siccitate, aliquando ex humiditate, aut ex spirituum & uirtutis debilitate. Ex siccitate bifariam. quoniam siccitas aut facit inæqualitatem, aut cõstringit meatus. Dum autem ex siccitate, exasperatur arteria, ex asperatione sequitur inæqualitas, ex inæqualitate sequitur raucedo, uocisq; impedimentum, ex siccitate item fistulas & pulmonem coartante, sequitur utrunq; prædictorum. Ex humiditate similiter duobus modis. Interdum enim sanguis superhabũdans uenas distendit, unde & meatus coartantur, ex quo uocis sequitur impedimẽtum. Interdũ phlegma distillans in tracheam arteriam & pulmonis fistulas, illud idem operatur. Ex defectu etiã spiritus & uirtutis uox impeditur, quod patet quia eius fortitudine fortificatur. Cognoscitur autem caussa raucedinis sic. quia si caussa est siccitas, cognoscitur ex sicca tussi, quæ est offendiculum spiritus in trachea arteria. uel per compassionem symptomaticam morbi. uel per compassionem quando fit ex siccitate exasperante. uel ex frigiditate pulmonis fistulas coartante, & spiritum offendente, unde generatur tussis. uel ex humiditate à cerebro distillante. Istis enim modis habet fieri tussis quæ uocem impedit. Cognoscitur etiam causa raucedinis ex punctura in spiritualibus, quasi ex spinis facta, ex gracilitate colli, & tocius corporis macilentia.

Quando uero sanguinis superfluitas est in caussa, cognoscimus ex tussi aliquantulum humectata. ex rubore faciei, ex uenarum eminentia & inflatiõe. ex dulcedine oris. Phlegma uero cognoscimus etiam in caussa ex debilitate, & ex tenuitate totius corporis. ex febre præcedente, uel ex ieiuno fluxu uentris, labore immoderato, & similibus quæ corpus & spiritus debilitant. Si itaq; raucedo fit ex caussa calida & sicca, abstineat ab omnibus salsis, calidis & siccis, porris, cepis, à pipere & ab omnibus acutis, à uino forti. Vtatur autem temperate frigidis & humidis, mediocriter calidis, & uino bene lymphato, acerbo & debili. Vtatur etiam ptisana, in qua decoquantur ficus siccæ cum admixtione zuccari. Vtatur etiam confectione illa zuccarina quæ uocatur Peuitz. quia pectus asperum multum lenificant & humectant, tussimq; mitigant. Si uero sanguis sit in caussa, fiat minutio. Si ex phlegmate, dentur purgationes, & alia quæ in caussa frigida sunt necessaria. Si defectus spirituũ & uirtutis sit in caussa, dentur eis resumptiua, carnes pullinæ, hœdulinæ, uitulinæ, capones, bona brodia, uinum maturum. caueat à solitudine & labore. Eadem autem est caussa raucedinis & tussis. De raucedine & remedijs ad curam in dict. cerebrum, potus, rheuma, uox, zuccarum. De his quæ repercutere habent tumores, inflaturas & humores, in dict. acetum frigida, inflatura, medicina, tumor. De restauratiuis in dict. alimentum, cibus, resumptiua, uinum, zuccarũ. De Rheumate & remedijs in dict. ambra, anhelitus, balsamum, calamentum, caput, cassia, cypressus, hedera, hyssopus, myrrha, nardus, odor, raucedo, tussis. Istud quoq; sciendum est, quod nonnunq; ex humore rheumatico defluente ad canales pulmonis, uariæ generantur passiones secundum uarias humorum ad pulmonis principia fluctuationes, sicut est angina, phthisis, tussis, raucedo, uocis asperitas & similia. uide in dict. pulmo. Aristotiles item refert, si animal comedendo anhelauerit, & de cibo aliquid in pulmonis concauum ceciderit, eidem animali accidit tussis & strangulatio. Quære in dict. aloe lignum, caput, cyminum, dolor dentium, pulegiũ, plumbum, platanus, remedia, rosmarinus, sputum, thus. De ruptura in dict. bdellium, crepatura, hernia. de resolutiuis in dict. cera. De resumptiuis in dict. ouum, tortura. de rarefactiuis & retentiuis in dict. aperitiua. de restrictiuis & consumptiuis in dict. aqua, aperitiua, arthetica, carnes, cõstipatiua, constrictiua, cypressus, menta, morus, oleaster, rosa, sapor, sternutatio, thus.

Peuitz confectio zuccarina.

De Roremarino. Cap. CCLXXXVI.

ROsmarinus, qui alio nomine Libanotis appellatur, paruum est arbustum, & uirtutes habet. xv. Recipe flores eius in panno lineo & bulliantur

bulliantur in aqua, donec aquæ medietas sit consumpta. illa aqua deinde bibatur, & infirmitates quæ intra corpus sunt omnes curabit. Item laua barbam, faciem, & supercilia cum uino albo in quo eius folia sint decocta, & pulchritudinem inducet, nec barba depilabitur. Si flores eius desiccatos & puluerisatos, in panno inuolutos portaueris ligatos in dextro brachio, eris hilaris & iocundus. Valet etiam contra dentium dolorem. uide in dict. anhelitus. Item si de cortice eius fumum factum per nares recipias cum fueris catarrhisatus, curaberis. Radices eius in aceto si bene bullias, & cum illo pedes laues, firmos eos habebis & fortes. Item comede eius flores mane ieiuno stomacho cū melle & pane siligineo, uel triticeo, & nō orietur in te anthrax, aut aliquod apostema. Itē pone eius folia sub lecto, & à malis somnijs liberaberis. Item fac uapores decoctionis eius in aqua, & recipe in capite, & conseruabis te in iuuentute, renouabiturq; ut aquilæ iuuentus tua, & confortabis omnia membra tua. Folia eius trita super cancrū posita, ipsum extinguūt. Pulmentū cū cocleari de eius ligno facto, sumptū, corpi tuo erit salubre, nec cibus ille tibi nocebit Item si de Roremarino in ostio domus tuæ posueris, nec scorpiones aut serpētes tibi nocebūt, quia intrare nō poterūt. Folia eius in uasis uinarijs posita, uinū ab omni acetositate, corruptione, & malo sapore p̄seruant. De lignis eius fac barrile, & uino quod ibi steterit assidue utere, & nō timebis apostema, nec alias ægritudines intra mēbra spiritualia existentes. Itē si per immoderatum sudorē ad nimiā debilitatē deueneris, folia eius bullianť in aqua, cū ea laua caput, & amittes sudorē & tussim si pateris. Itē secundū quosdā, aqua facta de floribus, & sub terra posita per plures annos, uirtutē et formā acquiret balsami. illaq; aqua curat uulnera, addita saluia, menta. & subfumigatio cum p̄dictis ac roremarino extrahit sagittā de uulnere, uel præparat ut facile extrahať. Item folia eius bullias in aqua fontis, & cum eadē lympha atq; tēpera uinū, facq; ibi offas & comede, statim incipies esurire, & appetitū recuperabis si ipsum amiseras Item si in agro uel uinea rosam uel florē manu plantaueris, & diligenter custodieris, uinea uel ager multum fructificabit. Item si pateris immoderatū fluxū uentris, flores eius bullitos in aceto fortissimo, pone super uentrē, & fluxus statim restringeť. Item si tibiæ sint inflatæ propter guttā pone super ipsas folia eius decocta in aqua. sed inter folia & tibias pone circumuoluendo bombicē, & curabunť. Item si amēs uel stultus balneet in aqua in qua flores eius sint decocti, & forti decoctione in magna quātitate, curabiť. Item si serpēs est in foramine, fac fumū de folijs eius in ore foraminis, & statim exibit, uel intus morieť. Item si per ardorē stomachi uel magnum calorem, aut alio quodā modo quis patiatur immoderatā sitim, bulliantur in aqua folia eius, & de ipsa infrigidata cum uino ma-

lorumgranatorum acetoforũ ille bibat, & extinguetur fitis. Item fi quis nõ poteft clamare uel afpirare propter tuffim, aut aliã cauffam, feu corruptionem, faciat ignem de lignis, & coquat in eo panem fubcineritium utaturq; eo talis paciẽs, & liberabitur. Si flores eius in arca, aut alibi ubi funt panni, libri uel ueftes, pofueris, eifdem tineæ non nocebunt. Item fi Phthificus hecticus bibat de aqua decoctionis floris in lacte caprino quod ftet fub dio per noctem, curabitur.

De generalibus remedijs contra diuerfas infirmitates. Cap. CCLXXXVII.

Caftoreum.

CAftorei tefticuli in medicinã pofiti uirtutẽ habẽt diffoluẽdi, cõfumendi, attenuandi, & loca neruofa maxime cõfortãdi. unde cõtra plurima ualet mala. Nam epilepticos iuuat, ualetq; contra capitis frigidas paffiones. linguæ paralyfim foluit, & loquelam reddit fubito ablatam fi tantũ fub lingua refoluantur. Contra uniuerfalẽ corporis paralyfim ualet, fi decoctum cum uino, ruta & faluia in potu affumaẽ. Cerebrũ cõmouet & confortat. fternutationem prouocat, unde ex ipfo lethargicus excitatur. fomnum prouocat fi cum oleo rofaceo & Caftoreo caput pungaẽ. Cõtra omnia uenena araneæ, fcorpionis, Ceraftis ferpentis, aliaq; uenena opitulaẽ. Vrina etiam caftorei ad prædicta quælibet ualet. Menftrua prouocat, conceptionem iuuat, eiusq; pinguedo multũ efficax in unguentis. quære in dict. ceruus, hœdus, hircus, leo, lepus, mulus, mus, muftela. Stellio eft genus lacertæ quadrupes, habẽs guttas, q̃bus quafi ftellis depingiẽ. Scorpionibus adeo eft cõtrarius, ut uifo eo pauorem eis inferat & incorporet. Ex ftellione peffimũ fit medicamentũ. Nam cum fuerit mortuus in uino, facies eorũ qui bibunt, lentigine maculaẽ. ob hoc eum in unguentis necant qui meretricum formæ inuident. Cuius remedium eft oui uitellus, mel purum, fimul mixta ut facies liniatur. Stellionis fel tritum in aqua muftelas congregare dicitur. Vulpis adeps multum ualet cõtra neruorũ cõtractionẽ. Sanguis eius diciẽ ualere ad fractionẽ lapidis in uefica & renibus. Lumbrici terræ longi & rotũdi ac molles fi teranẽ cum butyro, aut oliuarum oleo, feu cum medullis bouis aut uituli, ualent contra fpafmũ, & neruorum contractionem. ualent etiã cõtra ferpentis morfum, contraq; ictum fcorpionis. Tinea uermis eft corrodẽs ueftes & pannos laneos maxime illos uel illas, quas dens lupinus tetigit. Fugit autẽ tinea omnia falfa, & aromatibus, amarisq; cõdita ac refpfa nõ tãgit. Salfa de natura fua funt mũdificatiua. quia calore & ficcitate humiditatẽ cõfumũt & diffoluũt. falfedine & acumine fuo ftomachũ & inteftina mordicãt. quæ mordicata mouenẽ ad emittendũ diffolutam humiditatẽ, & fic fit mundificatio.

Item

Item salsa sunt duræ carnis mollificatiua, nam sua caliditate & siccitate superfluam humiditatem consumunt, & sic partes aëreas plus compingunt. Sunt item substantiæ rei depuratiua, & per consequens conseruatiua. Nam salsa in quantum talia, quantum dissoluunt, tantum consumunt. Et ideo putredo aliquo casu generata in corporibus uel piscibus aut alia re, caliditate & siccitate salsedinis consumit & adnihilatur. Habet etiam salsedo multũ terrestreitatis, ratione cuius carnes & pisces indurat, corruptioniq; minus reddit apertas. Item scabiei exterioris superfluitatis, & etiam carnis sunt ablatiua, & sic consumendo humores superfluos, tam superficiales quàm intercutaneos, & cutem à superfluis abstergendo. Sunt item hydropici humoris repressiua, quia desiccant & consumunt talibus in locis omnia aggregata. Item morsus canis rabidi, & aliorum uenenosorum sunt curatiua, tociusq; ueneni extractiua. unde multũ prodest natare, lauare talia uulnera in aqua salsa, quia maliciã ueneni extrahit. Item caro nimis salsa optime ad temperamentum reducitur, & nimia salsedo extrahitur, si in aqua salsa ponatur. nec salsedo nimia melius extrahi potest talibus à salsis, quàm quod in aqua salsa aliquo tempore temperentur. Et hoc accidit ratione similitudinis, quam aqua salsa habet cum carnibus uel piscibus salsis, quæ ratione caloris accidentalis & naturalis in ipsa dominantis, attrahit sibi simile quod inuenit in substantia rei salsæ. uide in dict. amara. ibi enim contra scabiem multa sunt remedia. quære item in dict. acetosa, aperitiua, butyrum, caseus, cera, cucurbita, lac, lac uaccinum, lac caprinum, lac asinæ, ponticus sapor. Oua coturnicis ualent epilepticis & caducis. uide in dict. infirmitas, medulla. Vultures item quando in multitudine conueniunt, multiq; simul circumuolitant, id præsagium est futuri prœlij, quod in aliquo sensu naturæ futurum esse præsentiunt. sensus enim odoratus multum uiget in ista aue. unde & odore cadauera sentiunt ualde à remotis partibus, ut dicit Comentator, à quingentis miliaribus. Vulturis pennæ si ponantur in igne, earum odore serpentes fugantur. nam ista auis serpenti ualde est contraria. Cor eius si ab aliquo portetur eum tutum reddit à serpentibus & feris. Cor eius ligatum in pelle leonis uel lupi, dæmones fugat. Penna eius sinistro pedi parturientis alligata, eam uelociter liberat. Vnguentum de uulturis adipe factum, oleo Irino, & cera, neruos curat, iumenta sanat. Pes eius dexter pedi sinistro dolenti alligatus, ipsum sanat. similiter dextrum sanat, si pes eius sinister ei alligetur. Lingua eius simul ferro extracta, & collo in panno nouo suspensa hominem dicitur facere gratiosum ad impetrandum, ab homine quicquid petierit. Cinis ossium uulturis combustorum cum Chelidonia mixtus, & animalibus ad bibendum datus, Plinio teste, eorum morbos

Salsorum natura.

Coturnicũ oua Epilepsiæ seu morbo cã duco medentur.

ſanat. Sanguis eius mixtus cum herba quæ dicitur Cambitonte & Cedria, lepram ſanat. quære in dict.agnus, amygdalus,aurum, canis, fel, leo,lupus,ſerpens. De diuerſis remedijs in dict. canis rabidus, ramnus, roſa,rubus,ruta,ſal.

De Roſis. Cap. CCLXXXVIII.

VT roſæ, aut alij flores rubei efficiantur albi. Accipe ſulphur, uinum, & pone in aliqua teſta terrea ac cõbure, & in fumo qui euaporabit dum comburitur,pone roſas uel alios flores,& factum eſt. Cæterum ut flores albi ſicut eſt lilium, aut alij in rubedinem immutentur: Imple ollam uino rubeo optimo uſq; ad medium,& in ollæ orificio flores albos ſuſpende, ita quod ſint intra ollam, ſed uinum non tangant, atq; ollæ orificium bene cooperi & claude, ita ut fumus ſeu euaporatio non exeat. ſtet ita per diem naturalem, & factum eſt. Item roſæ tam albæ quàm rubeæ, maxime rubeæ, ſiue uirides ſiue ſiccæ,medicinæ competunt.Roſæ minutatim inciſæ, cum ſpumato melle decoctæ, mel reddunt aromaticum & medicinale. Tale eñ mel cõfortat & mundificat,mundificando diſſoluit, tumores uiſcoſos,phlegmaticos atq; groſſos digerit.cũ aqua frigida ſumptum ſtringit & cõſtipat,aqua calida ſumptũ laxat. De roſis autẽ bene cõtritis cũ aqua roſacea,zuccaro, bene cõmixtis & incorporatis fit zuccarũ roſaceũ,quod habet uirtutẽ cõfortandi & cõſtringendi. Valet etiã contra fluxũ Dyſenteriæ,contra uomitũ cholericũ, contra Syncopin & cardiacam paſſionem.De roſis in oleo bene contritis fac oleum roſaceũ quod ad multa ualet. Nam contra hepatis calefactionem ualet, ſi cum eo hepatis regio inungatur. Iſtud etiam oleum ualet contra dolorem capitis ex cauſſa calida,ſi cum eo frons & tempora liniantur,ualet quoq; contra caloris diſtemperantiam in acutis febribus. ſomnum prouocat & inducit. Ex roſis uiridibus fit aqua roſacea per decoctionem ignis ſiue ſolis, quæ aqua ad prædicta omnia ualet. In collyrijs quoq; oculorum ualet, & in unguentis diuerſis, quia pannum ſuper fundum oculi abſtergit,oculorũ maculas mundat,cutemq; ſubtiliat. Ex roſis etiã ſiccis plurimæ fiunt medicinæ. Nam odor ſiccarũ roſarũ cerebrũ temperat & confortat.earũ decoctio in aqua pluuiali omnẽ fluxũ ex cauſſa calida reſtringit de naribus fluentẽ.humorẽ putridũ deſiccat & cõſumit gingiuas, radicesq; dentiũ corrumpentẽ humorem conſumit, dentem mobilem caſum cõminantem confirmat & roborat. Roſarũ puluis cũ aceto cõtritus,et albugini oui mixtus,oculorum dolorẽ efficaciter ſanat: reſtringit humorẽ & ſanguinem ad oculorũ uenas defluentẽ ſi per emplaſtri modũ ponat in tẽporibus. Valet etiã cõtra tumores & inflaturas

Mellis aromatici uſus & medicinæ.

Item

Item si rosæ ponantur in aqua calida, & postq̃ ibi aliquantulum stete- rint, cum aqua & rosis simul lauetur caput, collum, brachia, pedes tibiæ, somnum prouocant, maxime ubi illa in aqua semina decoquũtur frigi- da. s. Lactucæ, Melonis, cucurbitæ, albrecæ, cucumeris & huiusmodi. Item si succus Apij uel papaueris ponatur super tempora linita in pan niculis lineis, uel succus Mandragoræ, ita quod illi panniculi prædicto succo liniti ponantur super tempora, super uenas pulsatiles, & cum pan- no lineo circa caput stringantur ne cadat, illud somnum plurimum pro uocat. Item syropus Nenupharinus cum aqua tepida potatus, somnum multum prouocat. Idem facit Coriandrũ si ponatur in cibum. Ista reme media fiunt febricitantibus ad dormiendum si dormire non possunt. Coriandri etiam semen si decoquatur in aqua cum rosis, illaq́ue aqua caput lauetur, somnum prouocat. De remedijs in dict. ruta, scorpio.

De Radice herba. Cap. CCLXXXIX.

EST quædam herba dicta Radix, Raphano similis, uirtutem habet incidendi, dissoluendi, & aperiendi poros, unde ua- let contra febres quæ ex caussa frigida creantur. Splenis op pilationem aperit, eiusq́ue duriciem soluit. hydropicis ex caussa frigida subuenit. acrem habet saporem & acutum, à quibusdam tempore quadragesimæ in principio prandij comeditur, ideo plus con- uenit medicinæ quàm cibo, sicut & econuerso rapum quod plus conue- nit cibo quàm medicinæ. Est autem Rapum calidum & humidũ, cæte ris herbis & radicibus plus mollem, dulcem, & inflatam carnem faciens propter sui uentositatem, quoniam multas uentositates generat, & uen- trem inflat. unde cocta rapa melius nutriunt, cruda uero aut male cocta difficulter digerũtur, & in uenis porisq; oppilationẽ faciũt. Valet tamen rapum in medicina. Nam in eius iure, aut aqua decoctionis, podagro- rum pedes & artheticorum positi in loco doloris, mitigationem recipi- unt. De raporum autem semine sicut de semine raphani, fit oleum usi- bus necessarium, maxime in lucernis.

Raporum ius siue aqua decoctionis, Podagram & ar- theticam mitigat.

De Ramno. Cap. CCXC.

RAmnus est arbor multum dura, nodosa uel spinosa. folia habet acuta, spinis acutissimis consita in lateribus, quibus tangẽtis manũ lædit. In folijs seu ramis fructus quosdã ha- bet seu folliculos rubẽtes, in quibus est semen uirtutẽ habẽs attractiuã. nam & secundinas in utero trahit. Ex succo radicis eius et ra- musculorũ seu thyrsorũ per decoctionẽ fit medicamentũ, qđ à medicis dicit Licium seu Lutidũ. Id oculos reddit claros, nam oculi maculã delet

ualetq; contra lippitudinem & alia palpebrarum uitia. Aures prurientes, & gingiuas putridas, ſanguiniſq; excreationes, matricem à ſuperfluis humoribus purgat, labiorum ulcera ſanat. ualet etiam contra linguæ ſciſſuras. Rubus eſt denſitas ſpinarum & ueprium, aliorumq; fruticũ aculeos habentium, quæ uno in loco ſimul & ſpiſſa creſcunt. Adpropriatur autẽ rubus ſpinoſo frutici Moræ agreſtis. cuius fructus primo eſt uiridis & durus ualde, ſtipticus, deinde fit rubeus, ultimo efficitur niger & dulcis quando omnino maturus eſt. Rubus cum ſuo fructu ualet ad medicinam. Summitates rubi ſunt ſtipticę, ualentq; contra calida apoſtemata, combuſturas, et contra oculorum rubores, ſi cum albugine oui conterantur & apponantur. Succus etiam + foliorum eius cũ aqua hordei bibitus ualet contra Dyſenteriam. Dormire propè rubum non eſt tutum, quoniam ibi animalia habitant uenenoſa. uide in dict. morus.

Mora agreſtis.

al. florum.

De Ruta. Cap. CCXCI.

RVta eſt herba calidiſſima feruentiſſimaq;, uenenoſis omnibus contraria. teſtis eſt Muſtela, quæ rutam comedens, & eius ſe odore muniens anteq; pugnet cum ſerpente & Baſiliſco, ſicq; odore & uirtute Rutæ adiuta, Baſiliſcum interficit, ut ſupra dictum eſt. Iſta herba uirtutes habet maximas. Eſt enim calida & ſicca, ſtomachi confortatiua ſi ſæpe potetur, aut cum zinzibere mixta tritaq; comedatur. torſiões ex cauſa frigida curat. Vim habet purgatiuam, partum mortuum de uentre expellit. matricis immunditias expellit, mundat & conſumit. Venereum humorem conſumit, uenereũq; appetitum in maſculis reprimit, quoniã in eis accendit ſiccitatem & caliditatem complexionalem in maſculis dominantem, quarum ex qualitatum intenſione deſiccatur & conſumitur in eis humor uenereus, qui in uiris eſt cauſſa appetitus coeundi. In mulieribus autem frigidis & humidis contrarium operatur cauſis ex contrarijs. Rutæ decoctio uentris torſiones omnes curat ſi potetur. & herba decocta in aqua ſuper uentris regionem per emplaſtri modum poſita, pectora & pulmonem iuuat & purgat ab omni humida, frigidaq; membrorum ſpiritualium ſuperfluitate. Decoctio eius cum oleo uermes uentris ſiue lumbricos necat. cruda comeſta uiſum acuit, oculorum caliginem diſſipat & curat. ſanguinis fluxum per nares eius ſuccus naribus inſtillatus reſtringit. pota uel comeſta omnibus uenenis obuiat. Ruta cum allijs, ſale, nucibus ſimul mixtis tritiſq;, ſuper morſum rabidi canis, ſerpentis, aut cuiuſcunq; animalis uenenoſi ſimul poſita, ſtatim curat. Succus eius naribus inſtillatus caput à phlegmate purgat, & epilepticos plurimũ iuuat. eius decoctio dẽtium dolorem mitigat, membra paralytica ad ſenſum reuocat, poros

clauſos

clauſos deoppilat, inteſtinorum uentoſitatem mirabiliter extenuat; & omnem dolorem interiorem ſedat. oculorum lippitudinem & roborē poſita & mixta cum aqua roſacea, mire mundat & ſanat. odore ſuo de hortis omnia uenenoſa fugat. ideo plantatur circa Saluiam, quam ſerpē tes & Bufones diligunt, ut per Rutam fugentur. Fimum & humorem quando plantatur odit. ſiccis gaudet temporibus, terra latericia & cineribus uult nutriri, & cinis cum eius ſemine debet poni & miſceri quando plantatur. Muſtum in quo Ruta fuit, ueteres bibebant Romani con tra uenenum & alias paſſiones. Ruta amicitiam habet cum Ficulnea, intantum quod nuſquàm plenius quàm propè ficulneam conualeſcat uel ſub ficu. Sculptores & pictores comedunt Rutam, nam eius uirtute uiſus eorum acuitur. Caueant autem mulieres grauidę ne Rutam comedant, quia tali cibo partus interficitur. Rutæ ſucco inuncti à ſcorpionibus, araneis, ueſpis, apibus non punguntur, nec ab alijs uenenoſis. De Ruta in dict. anhelitus, canis, canis rabidus, muſtela, rana. Si uis bonū puluerem facere. Recipe Cinnamomi, arſani. ℥. j. Liquiriciæ mūdatæ ℥. j. maſticis, pilorum ſpicenardi an̄. ℥. ß. fiat puluis ſubtiliſſimus. Item electuarium. Recipe pulueris ſupradicti. ℥. j. olibani, maſticis an̄. ℥. j. ſucci mentæ & roſæ rubeæ an̄. ℥. j. uini malorumgranatorum tantūdem, pā nis zuccari lib. j. fiat electuarium diligenter. Hierapicra. Recipe zinziberis albiſſ. Cinnamomi dr̄tini an̄. ℥. j. Caſſiæ ligneæ, calami aromatici an̄. ℥. j. ß. epithymi, pilorum ſpicenardi, ſquinanti an̄. ℥. j. Reubarbari electi, aloe ſuccotrini an̄. ℥. j. Turbith electi. ℥. ß. agarici, foliorū ſene bene electorum an̄. ℥. ij. ſucci abſynthij & fumi terræ an̄. q. ſ. ad faciendum magdalionem. Item ad abluendum pedes & tibias. Recipe foliorum Lauri. m̄. j. origani, calamenti, roriſmarini cum floribus. m̄. ß. chamomillæ, tinedere, ſquinanti. ℥. ij. epithymi. ℥. j. Gallarum. qr̄. j. balauſtiæ. ℥. iij. conquaſſentur. Item pro confortatione capitis & cerebri fiat ad modum pomi Ambræ. Recipe olibani, ſtoracis calamitæ an̄. ℥. ß. ambræ. ℥. ß. Laudani. qr̄. ß. terantur & piſtentur, addendo & ſuperinfundendo aquam roſaceam ℥ ß. fiat ad modum pomi Ambræ.

Confectio boni pulueris.

Electuarium.

Hierapicrā.

De Salamandra. Cap. CCXCII.

Salamandra animal eſt uenenoſum. Nam ſi arbori irrepſerit, omnia poma ueneno inficit. & eos, qui ederint, interimit Si etiam in puteum deciderit, de illa aqua potantes ueneni uis interficit. Iſta beſtiola in ignem poſita, ignem interficit & extinguit. Viuit enim in medijs flammis ſine conſumptione pariter & dolore. nec aduſtionem in igne recipit, ſed ipſum incendium mitigat & extinguit teſte Iſidoro. Eſt autem Salamandra animal ſimile in fi-

gura Lacertæ, nunquàm niſi magnis imbribus apparens ſeu proueniẽs, & æſtate ſiue in ſereno deficiens. & eſt tantæ frigiditatis, tantiq; rigoris ut ignem tactu extinguat, non aliter quàm glacies. Genus eſt Lacertæ ſiue Stellionis ualdè uenenoſum. eius ſaliua ſi hominis pedem tetigerit, totum hominem inficit & corrumpit.

De Signis. Cap. CCXCIII.

SIgnum mortis in febribus acutis, eſt denudatio brachiorum & inquietudo. quære in dict. caput. De ſignis bonis & malis, atq; etiã mortis in febricitãtibus, in dict. anhelitus, apoſtema, caput, color, cõplexio, dormitio, febris cotidiana, fluxus ſanguinis, guttur, Ictericia, labia, luna, mors, nares, naſus, ſaluia, ſternutatio, unguis, uomitus, urina. Signum diſpoſitiõis & conditiõis cerebri & boni ĩtellectus, in dict. cõplexio, cerebrũ. Signa Hydropiſis in dict. phthiſis. Signa infirmitatis, in dict. autumnus, cerebrũ, color, hepar, ſomnus, ſputum, ſternutatio, tempus, uer, urina. Signa Choleræ in dict Cholera, Phreneſis. Signa diuerſarũ cauſarũ rheumatis in dict. catarrhus, caput, dolor capitis, rheuma. Signa futuræ caniciei & caluiciei in dict. cerebrũ. Signa apoſtematis lateris, aliisq; in locis, in dict. dormitio, guttur. Signa diuerſitatis morũ, & complexionum hominũ in dict. cerebrum, complexio, homo. Signũ an mulier ſit prægnans, & an de maſculo uel fœmina in dict. aborſus, aſſimilatio, autumnus, lac mulieris, maſculus, mulier, oriens, uentus, uer, uomitus, ſanguis. Signa conditionis, bonæq; diſpoſitionis cordis, item boni, maliué pulſus, in dict. complexio. Signa ſplenetici in dict. color. Signum hepaticorum in dict. hepar. Signa mortifera in eo qui patitur Dyſenteriam, in dict. colica, Dyſenteria, dolor uentris, uenter. Signa lumbricorum in inteſtinis in dict. colica. Signum paſſiõis Ilacæ, in dict. colica. Signum læſionis pulmonis in dict. ſputum. Signa uenti, tempeſtatis, ſerenitatis, pluuiæ, frigiditatis, fertilitatis, in dict. aborſus, apoſtema, aranea, aſſimilatio, aqua, aurora, calor, delphinus, iris. mergulus, luna, planeta, pluuia, uacca. Signa infirmitatum quæ cognoſcuntur ex ſaliua ſeu ſputo in dict. ſputum. Signa podagræ in dict. dolor anchæ. Signa defectus uiſus in dict. dolor oculorum. Signa futuræ ſanitatis in dict. puſtula. Signa bona & mala in phthiſicis in dict. hectica, phthiſis. Signa lethargicorum bona & mala in dict. caput, lethargicus. Signa duplicis tertianæ in dict. tertiana. Signum cauſſæ caſus appetitus in dict. appetitus. Signũ cauſſæ fluxus ſanguinis in dict. febris cotidiana. Signa bona atq; mala in phreneticis in dict. phreneſis, caput. Signũ quando quis timet uel uerecundatur. Subitus pallor & diſcoloratio, ſignum eſt timoris. nã reuocato calore ad interiora, corporis ſuperficies

ſeu pellis à ſanguine depauperatur, & ſic per conſequens diſcoloratur. Conſimili modo ſubitus rubor in facie ſignum eſt uerecundiæ ſeu iræ, iracundiæ & furoris. & hoc accidit propter calorem petentem exteriora & cutis ſuperficiem rubeam facientem, & ab illa iniuria defendere cupientem. Signum futuræ fertilitatis uel ſterilitatis ouium in dict. ouis, aries. Signum futuræ alienationis in acutis febribus. Quando em̃ uiſus & aſpectus fuerit horribilis, terribilis, & inordinatus, malum ſignum eſt, quodq; paciens ad alienationem & amentiam diſponitur. Si uero motus oculorum fuerit ordinatus, non eſt tantus timor de futura alienatione in acutis febribus. Signum cauſſæ doloris ſtomachi in dict. appetitus. Signa ex quibus perpenditur quando quis uenenum biberit, in dict. canis. De ſtruma in dict. inflatura, lappa, tumor. De cauſſa ſalſedinis maris, deq; omnium ſalſedine in dict. aqua, canis, carnes, mare, piſces, ſcabies. Item omnia ſalſa calida ſunt & ſicca, ideo non competunt cholericis ſed phlegmaticis. Sunt autem ſalſa mundificatiua, quia calore ſuo & ſiccitate humiditatem diſſoluunt & conſumunt. Sunt quoque aperitiua ex calore ſuo. Salſa item ſuo acumine ſtomachum mordicant, qui mordicatus mouetur ut diſſoluta humiditas emittatur, & ſic fit mundificatio. Item ſunt duræ carnis mollificatiua, ſubſtantiæ etiam mollis induratiua. necnon ſubſtantiæ rei depuratiua à ſuperflua humiditate, atq; reſolutæ humiditatis conſumptiua, & per conſequens carnium & piſcium conſeruatiua. unde putredo aliquo caſu generata, calore, & ſiccitate ſalſedinis conſumitur. De effectibus ſalſedinis & ſalſorum, in dict. remedia, ſal, ſcabies. Sciendum eſt etiam, quod calidítas acetoſa, acerba, & agreſtia in dulcedinem conuertit, ut patet in fructibus & in iure. per nimiam autem intenſionem & exceſſum dulcia cõuertit in amara & ſalſa. Nam ex calore intenſo ſanguinem adurente, conuertitur ſanguis in choleram. Et per calorem intenſum, aqua per fortem ebullitionem ſubtiliores partes aëreas conſumentem, remanentibus terreſtribus & groſſioribus, conuertitur in ſubſtantiam ſalis, ut patet in illis qui faciunt ſal album in chaldarijs. & iſta eſt cauſſa ſalſedinis aquæ maris.

Salſa; quoniam calida ſunt & ſicca, cholericis non conducunt, ſed phlegmaticis.

De natura atq; uarijs uirtutibus ſalis Cap. CCXCIIII.

OMne ſal in igne crepitat, & de igne ſalit. Cæterum ſal Siciliæ ignem patitur, contraq; naturam in igne fluit & liqueſcit. & de aqua ſi ponatur ſalit & exit. Sal autem quanto eſt amarius, tanto calidius. Eſt autem ſumme neceſſa-

rium. nam præter id quod omnia ferè cibaria humana ſale condiun-tur, uidemus etiã pecora, armentaq; ad paſtum ſale prouocari. Sal cor-pora conſtringit & deſiccat, à putredine conſeruat, ut patet in carnibus & piſcibus. Generaliter uirtutem habet diſſoluendi, mundificandi, pu-tridos humores conſumendi. Virtutem quoq; habet uentoſitatem ex-tenuandi, & diuidendi, maxime ſi puluerifatum, coctumq; ſuper ſto-machi orificium per emplaſtri modum in panno calido ponatur. Vir-tutem inſuper habet naturalis humiditatis in corpore coadunandi, con-ſeruandiq;, & innaturalis humiditatis reſoluendi, conſumendi & abſter-gendi. ideoq; aqua ſalſa inflationes & tumores hydropicos ſoluit, ſi cum eadem abluantur. Virtutem habet carnes putridas & ſuperfluas in uulneribus corrodendi, præcipue quando eſt exuſtum, quia putrefa-ctioni tunc maxime reſiſtit, maioremq; habet uim in deſiccando, mun-dando, & ad interiora penetrando. Virtutem habet emolliendi uen-trem, & ſuperflua educendi, maxime ſalgemma, quod ſic dicitur, quia clarum eſt & perlucidum, mirabili modo in inteſtinis operatur ut indu-rata reſoluantur, & ſuperflua expellantur. idem quoq; facit ſal commu-ne. Sal etiam uirtutem habet reſiſtendi uenenis & uenenoſis humori-bus. Ideo cum melle, alliis, mica panis, ruta & nucibus mixtum, iſtaq́ue omnia ſimul mixta ſi terant, & per emplaſtri modum ſuper apoſtema quod uocatur anthrax, aut ſuper carbunculũ, morſum rabidi canis, ſer-pentis, ſcorpionis, uel cuiuſcunq; animalis uenenoſi ponantur, uenenum ſanant. Habet item uirtutem abſtergendi maculas faciei, ſi cum aqua roſacea & camphora diſtemperetur, indeq; facies liniatur. Item ſi cum ſapone miſceatur, ſcabiem, pruriginem & ſerpiginem abſtergit. de na-tura ſalis in dict. carnes, nitrum, ſalſedo.

Salis uires, natura & uirtutes.

Salgemma.

De natura ſanguinis. Cap. CCXCV.

SAnguis non eſt purus niſi in iuuenibus. Nam (ut phyſici dicunt) ſanguis minuitur per ætatem. Sanguis autem inter quatuor humores laudabilior eſt, & naturæ amicabilior, ex quo totum corpus nutritur. Homo item inter omnia animalia, ſanguinem habet ſubtiliorem, clariorem, & temperatio-rem. quia ſanguis aliorum animalium nigrior eſt & ſpiſſior in ſupe-riori eius parte, quàm hominis. Nimia ſanguinis generatio cauſſa eſt ægritudinis. quia tunc ſanguis attenuatur & rareſit, fitq́ue aquoſus non plene digeſtus. Et propter hoc illi, in quibus nimia fit ſanguinis generatio indigeſta, interdum ſudorem emittunt ſanguineum, & id propter ſuperfluam liquidi & aquoſi ſanguinis habundantiam, à qua

natura

natura se nititur exonerare. unde partes eius aquosas ad cutis superficiẽ expellit. Item quando homo dormit, in manifesto non apparet tantà sanguinis habundantia, sicut cum uigilat. nec uenæ sunt inflatæ in dormiente, sicut in uigilante. quandoquidem sanguis in dormiente ad interiora reuocatur in adiutorium uirtutis naturalis, ut ipsius beneficio siccas peragat actiones. Vnde tunc corporis extremitas (quia sanguis se ad interiora perfundit) pallida remanet & exanguis. Et propter hoc accidit, quod si corpus dormientis purgetur, non tantum exit de sanguine, quantum si uigilaret. Item cum sanguis in aliquo membro putrescit, nisi arte, uel natura educatur, alium sanguinem corrumpit, & in saniem commutatur. Sanguis grossus & terrestris cito coagulatur, propter priuationem humiditatis. Omne animal sanguinem habens subtilem atq; calidum siue mundum, alijs animalibus sensum habet meliorem. Sanguis autem mundus, subtilis, calidus, & maioris motus, bono intellectui magis conuenit. Talem habentes sanguinem, non ita facile timent, nec ita leui ex caussa, sicut illi qui sanguinem habent grossum. Item sanguis tauri citius congelatur quàm sanguis alicuius animalis propter excessum caloris & siccitatis. Vnde si sanguis tauri crudus bibatur, sicut uenenum interficit. Sanguis item in parte dextra calidior est quàm in sinistra. Ideo propter uigorem calidi sanguinis in parte dextra, manus dextra uniuersaliter promptior est & habilior ad operandum quàm sinistra, teste Aristot. Mulier prægnans de masculo, subito ab aliquo uocata, primo pedem dextrum mouet. & hoc facit calidus sanguis, qui in concipiente masculum plus habundat, & completius operatur. Item accipe sanguinem gallinæ siccatum super paropsidem, & de uiellæ chordis minutatim incisis sanguini puluerisato commixtis, cũ sale modico bene trito, & super carnes uel pisces calidos illo de puluere aspergas, tunc apparebit quasi uermes inde scaturiant, & mouebuntur ac si essent uiui. & sic socium decipere poteris, ne de illis comedat. De sanguine, eiusq; natura in generali quære in dict. anhelitus, autumnus, caput, cassia fistula, caules, chelidonia, columba, cõplexio, dolor oculorum, dulcia, hepar, phlegma, hirundo, macula oculi, medicina, cor, aqua, fluxus sanguinis, hircus, lepra, menstruum, ceruus, lepus. De sanguineis in dict. complexio, piper, salsedo, senectus.

Quantò sanguis subtilior atq; calidior, tanto sensus melior.

De sputo & saliua hominis. Cap. CCXCVI.

PAssio sputi mali & sanguinolenti accidit in empicis, in quibus sputum est uirulentum. et in hemoptoicis, in quibus sputum est sangui-

nolentum. Empima autem dicitur paſſio quando ſanies ſpuitur. & hoc accidit in cauſſis rheumaticis, & ſpleneticis, inq; alijs apoſtematibus ſtomachi, pectoris, & pulmonis. fit autem iſto modo. Quando humor à ſuperioribus diſtillat in pulmonem, pulmo repercutitur, & ex repercuſſione concauatur, & ex concauatione ſanies generatur & naſcitur, & pulmo ulceratur. uel defluens humor ad alium locum, ibi apoſtema generatur. & ſic ille humor in ſaniem conuertitur, quæ in naturæ uel ſymptomatis ſanioſo ſputo euacuatur. Non tamen quilibet ſpuens ſanguinem empicus debet iudicari. Splenetici enim & multi alij ſanguinem ſpuunt, & tamen non ſunt Empici. ſed illi qui infectione pulmonis, & eius ſanioſa habitudine ſunt corrupti, quorum ſigna ſunt iſta. Sputum ſanioſum, corporis macilentia, colli gracilitas, tuſſis cum difficultate anhelandi. facies ſubtumida, tument & dolent orbes oculorum. Empici ſunt per os ſanguinem expuentes. quod accidit per alicuius uenæ occultæ apertionem, per humorum multitudinem, & eorum infumoſitatem. per corroſionem uenæ, per caloris exceſſum. Calore autem poros aperiente ſanguis emittitur & expuitur, tuncq; ſanguis emiſſus purus & clarus, & paucus absq; dolore pacientis, & anhelitus ſentitur calidus. Ab alijs autem membris frequenter redundat ad os, ſicut à cerebro, & tunc eſt cum uenarum & oculorum dolore. Quandoq; autem procedit à pulmone ad os, & tunc eſt ſanguis ſpumoſus cum tuſſi, & dolore ſiniſtræ mamillæ, & ſic de alijs membris, in quibus ſanguis eſt collectus, qui in naturæ ſymptomatis motu nunc per nares, nunc per os emittitur & purgatur. Prima itaq; paſſio, ſcilicet ſputum ſanioſum, ſanatur diſſolutiuis, mundificatiuis & extersiuis. uide in dict. amygdalus. Et caueatur ne in Phthiſim conuertatur. Longum enim Empima poſt pleureſim infra quadraginta dies in Phthiſim commutatur. Secunda paſſio ſanatur mundificatiuis, conſtrictiuis medicinis. de quo in dict. ſaliua. De ſuperfluitatibus humiditatis ſaliualis in dict. Apoplexia. Item ſaliua hominis ieiuni habet quandam uim latentis infectionis, unde & ſanguinem animalis lædit & inficit, ſed mediante aliquo uulnere, aliquid de ſaliua ieiuni uulneri infundatur, & hoc eſt forte ratione cruditatis. Humor enim crudus ſanguini perfecte digeſto ſuis in qualitatibus repugnat, & ſuum perturbat temperamentum. Vnde dicunt phyſici & medici, quod ſaliua ſiue ſputum hominis ieiuni ſerpentem interficiat, & uenenoſis animalibus ſit uenenum. Item in Phthiſicis ſaniem ſpuentibus, ſignum eſt uulnerationis pulmonis. Et niſi ſaniem quæ generatur ex corruptione pulmonis, ſpuerent, ſuffocarentur. Item ſputum in

Empimæ generatio.

Empici.

acutis febribus & apoſtematibus, ſi leuiter fiat cum ſignis digeſtionis, & ſine tuſſi laborioſa, fortitudinem ſignificat uirtutis, morbiq́ue defectum, & econuerſo. Vnde ſecundum authores medicinæ in ſaliua ſiue in ſputo tria cōſiderantur generaliter, ſcilicet color, odor, ſapor. Quia ſi ſputum fuerit in colore liuidum, cordis & membrorum ſpiritualium ſignificat læſionem. ſi uero ſanguineum cum ſanie admixta, pulmonis deſignat ulcerationem. Si fuerit in odore fœtidum, interiorem ſignificat læſionem ſeu corruptionem. Item ſi in ſapore fuerit amarum uel acidum, humoris corrupti in ſtomacho & pulmone, ſeu in ſubſtantia linguæ deſignat dominium. Habundare item in ſputis uel ſaliua, ſignum eſt phlegmaticæ complexionis. quare & in ſenibus ſolent ſputa habundare groſſa & uiſcoſa ſecundum intenſionem frigiditatis, & reſolutionem uel diſſolutionem humiditatis ſubſtantialis. Item ſaliua hominis ieiuni ualet contra impetiginem, ſi cum eadem locus impetiginoſus inungatur. uide in dict. ramnus, pulmo. De ſomno, & his quæ ſomnum prouocant in dict. dormitio, ebrietas, heritius, mandragora, minutio, oleum, papauer, populus, porrum, roſa, remedia, ſalix, uiola, uitis. *Phlegmatici ſputis & ſaliua habundant*

De Somnijs. Cap. CCXCVII.

Somnia aliquando ſunt uera, aliquando falſa, aliquando tranquilla, aliquando perturbata. Quædam ſunt nuda, quædam figuris & obſcuris ſignificationibus inuoluta, ut patet in ſomnio Pharaonis. Tales autem impreſſiones ſignificantes aliqua futura, fiunt in animo dormientis aliquando per diuinam inſpirationem & impreſſionem. aliquando per angelicam reuelationem ſeu adminiſtrationem, ut patet in Iacob, qui uidit in ſomnis uirgas populeas, & angelum dicentem ſibi. Tolle uirgas &c. Geñ. xxx. Aliquando per malorum ſpirituum illuſionem, ut patet in Phytonibus, falſis prophetis & arrepticijs. Vnde Auguſtinus ſuper illud Geñ. Cum ſpiritus bonus in hæc uiſa, ſpiritum humanum aſſumit aut rapit, non eſt dubitatio illas imagines uiſas eſſe rerum aliquarum, quas noſſe utile ſit. Dei aūt munus eſt. Conſimiles imagines aliquando operatur angelus Sathanæ, qui aliquando transfigurat ſe in angelum lucis, ut per aliqua bona quæ oſtendit, deducat illū quaſi diuinitus per dei gratiā ſit adiutus. Itaq; ſomnijs non eſt paſſim credendum, nec adhibenda fides, nec omnia ſimpliciter ſunt reſpuenda, cum aliquando certa habeatur diuinitus de futuris per ſomnia coniectura. Somnia igitur indifferen-

tia causantur. aliquando ex complexione, ut sanguineus somniat læta. melancholicus tristia. cholericus ignea & rubea. phlegmaticus pluuias, niues, frigora, aquatica, & similia. Et quandoq; homini uidetur somniando quod uideat magnũ ignem, quia fumus cholericus rubeus suo colore tingit phantasmata, super quæ conuertit se anima somniando. Quandoq; uidetur homini quod comedat mel: phlegma dulce descendit ad organũ gustus. unde talibus ex somnis, ut Aristot. refert de somno & uigilia, potest homo coniectare corporis proprij dispositionem, & quis humor in ipso habundet, & sic per minutiones uel alijs modis sibi prouidere. Nam per talia somnia quilibet de illis somniat, quæ suæ complexioni conueniunt & ætati. Quandoq; creantur somnia ex appetitu & affectione, ut famelicus somniat de cibo, ebrius sitiens de potu, & de eius contrario. quanto autem talis plus somniat bibere & comedere, tanto expergefactus uehementius esurit uel sitit. Quandoq; creantur ex uehementi studio, & mentis circa aliquid applicatione, ut auarus semper somniat de auro, semper uidetur sibi quod computet pecunias, uel quod augeat, uel diminuat argentum suum. Quandoq; ex cerebri perturbatione, ut patet in dispositis ad Phrenesim & insaniam, qui mira & inaudita somniant. Et secundum uaporem fumalem ascendentem ad cerebrum, cellulam phantasticam inficientem aut inuiscantem, ipsa somnia immutantur. Quandoq; ex sanguinis infectione. qui enim corruptum habent sanguinem, somniant se ambulare per loca immunda corruptionem habentia & fœtida. Quandoq; ex aëris immutatione. aër enĩ corpus mutat consimili modo sibi. unde fumi tunc resoluti, nouas faciunt in cerebro impressiones, quæ sunt caussa uariorum & dissimilium somniorum. Item uariantur ex ætatis alteratione. infantes enim nihil somniant. unde dicit Aristot. homo inter omnia præcipue somniat. Puer autem non somniat ante quinq; annos, & sequitur in antiquo tempore uiri & mulieris qui non somniauerunt, & quidam eorum non somniauerunt postquàm uenerunt ad senectutem, post modicum accidebat eis mors & infirmitas. De somnijs quid significent, & quæ faciant somniare, in dictione cholera, faba, phlegma, phrenesis, malefici.

Varijs modis creantur somnia.

De Sapphiro. Cap. CCXCVIII.

SApphirus est gemma sereno cælo similis in colore. & quàmuis in diuersis partibus inueniatur, orientalis tamen omnibus melior iudicat, & maxime

& maxime quando habet quaſi pulueres aureos intermixtos. Stellam habet relucentē, pro cuius refulgentia eius uirtus iudicatur. Sua uirtute corpus uegetat, & membra integra conſeruat. uirtutem habet diſcordiarum reconciliatiuam, multumq; dicitur ualere ad pacem reformandā: habet quoq; uirtutem reprimendi calorem innaturalem & febrilem. Si enim Sapphirus iuxta cordis uenas pulſatiles ſuſpendatur, magnum refrigerium febricitantibus præbet. Vnde tempore acceſſiōis debet ſic ſuſpendi circa uenas potentium. Virtutem habet confortandi cor & lætificandi. unde ualet contra cardiacam, & contra quamlibet paſſionem melancholicā. Sudorē nimis fluentē reſtringit, & fluxū ſanguinis. Saphirus enim orientalis temporibus appoſitus, ſanguinis fluxum per nares reſtringit. Virtutem etiam habet ſpecialem tumoris & inflaturæ repreſſiuam. quia expertum eſt quod apoſtematum reprimit inflaturam, ſi in principio collectionis putredinis cito apponatur. Item ualet contra Anthracem. nam eius malitiam & uentoſitatem reprimit & expellit. & ne eius fumus uenenoſus ad cor aſcendat, & ſpiritus inficiat, impedit. Itē habet uim ueneno contrariam, & ipſius penitus extinctiuam. Vnde ſi araneam intra pyxidem poſueris, uerumq; Sapphirum uel orientalem ſupra pyxidis orificium aliquandiu detinueris, aranea cito morietur. & hoc à pluribus eſt expertum. Item habet uim uiſus conſeruatiuam, & ſordium oculorum ſine grauamine purgatiuam. Verſus. Tollit ex oculis ſordes, ex fronte dolores. Habet etiam uim ulcerum curatiuam. nam pulueriſatus & lacti admixtus ulcera atq; uulnera ſanat. Lapis iſte amator eſt caſtitatis. igitur ſi non caſte uiuat qui hunc lapidem geſtat, eius uirtus & efficatia læditur. Item tollit inuidiam, expellit timorem, facit audacem, in bonis firmat, animū facit mitem, humilem ac benignum, & id intelligendū diſpoſitiue. Smaragdus lapis eſt precioſus. præ omnibus obtinet principatum. eius corpus ſi bene politum fuerit & exterſum, ad modum ſpeculi imagines reddit. Hic lapis (ut aiunt) opes auget, in cauſis uerba dat perſuaſoria. collo ſuſpenſus, hemitriteū curat & morbum caducum. Viſum debilem conſeruat, pariter & confortat, laſciuos motus compeſcit, reddit memoriam. ualet contra illuſiones & dæmonū phanthaſmata, tempeſtates ſedat, ſanguinē reſtringit. Expertum eſt temporibus noſtris, quod rex Vngariæ nomine Bela, in coitu cū uxore ſuā Smaragdum in digito habuit, qui propter coitum in tres partes fractus fuit. ex quo patet quod is lapis caſtitatem, caſtosq; diligit. Sardius gemma eſt rubei coloris; uiſum delectat. Quare aliqui ſtrabones faciant, in dict. oculus, lumen. *Smaragdus.*

De Sternutatione. Cap. CCXCIX.

STernutatio est uiolenta cerebri commotio, ad expellendas cerebri fumosas superfluitates. & oritur ex diuersis causis. Quandoq; enim natura suapte uirtute hoc operatur. cum fumosas superfluitates nititur à cerebro expellere, quæ uel sunt causa morbi, uel essent causa futuri morbi. Humanum enim cerebrum humidius est cerebro aliorum animalium. unde & humores & fumi ibi adunant, condensanturq; infrigidati, q operāte natura inde p sternutationes expelluntur. Quandoq; fit sternutatio ui morbi potius q̃ naturæ expulsione, sicut accidit in Peripneumonia. Quādoq; sternutatio sic fit. Canales nariū humanarū breues sunt et curti. ideò nociua cito ab extrinsecis ad cerebrū ueniūt, ut fumus, aer, frigus, calor solis, odor fortis & huiusmodi. Quæ cum ad cerebrum ueniunt, à cerebro expelluntur uigore & motu ipsius cerebri, & inde fit sternutatio. Quæ si fiat in acutis febribus sine rheumate, signum est laudabile. nam significat quod natura est confortata in expellendo illud quod sibi est nociuum. Si uero fiat cum rheumate, malum signum est, quia significat nimiam materiæ habundantiam. unde symptomatica est sternutatio, & augmētum rheumatis. ideoq; in Pleuresi, & in consimilibus ægritudinibus malum signum est. Sternutatio itaq; facta ui naturæ expellentis à cerebro nociua, ipsum cerebrum purgat & confortat. Quæ si plus debito post expulsionem superflui fumi perseuerauerit, caput & cerebrum lædit, quia nimium dissoluit, & aliquando graues passiones excitat & inducit In tali itaq; casu restringatur per medicinas, scilicet per subfumigationes restringentes & constringentes, spiritus reparantes, & cerebrum confortantes, sicut cum fumo Chamomillæ bullitæ in aqua, ita quod fumus ascendat per nares ad cerebrum, mentæ, mentastri, rasa Ireos, nigella & huiusmodi, uide in dict. caput, piper, remedia. De sternutationis utilitate, & quæ eandem prouocēt, in dict. Cyminum, febris cotidiana, piper synapium. Causa quaræ imago appareat in speculo. Quia spiritus rei multiplicatæ usq; ad superficiem speculi per radium directum ab eius superficie plana & polita, per angulum reflexum reflectitur usq; ad pupillam uidentis. Et quoniam ut probat author perspectiuæ, angulus incidentiæ siue directus, & angulus reflexus sunt æquales. ideo hominis facies, uel alterius rei si uideatur in aqua, tantum apparet esse in profundo aquæ, quantum est ab oculo uidentis usq; ad superficiem aquæ.

De Angina admodum periculosa infirmitate gulæ. Caput. CCC.

ANgina est suffocatio gutturis. & prouenit ex apostemate in gutture. Quandoq; autem est tota materia in gutture interius apparente. Aperto etiam ore inflatura interius non apparet. Cognoscitur etiam ex febre acutissima, ex impedimẽto uocis, & ex inditio pacientis, quia tales nihil possunt transglutire, & ista species est incurabilis, & ut plurimum, hominem prima die suffocat Illa materia apostematis quãdoq; in maiori quantitate colligitur intra, & in minori extra, & uix curatur. Tertio modo fit quando tota materia apostematis colligitur extra. cuius signa sunt magnus tumor extra, febris lenta, dolor modicus sine difficultate spirandi, & ista non interficit, nisi materia interiora ad se retraxerit. Ista autem passio nunquàm fit ex cholera, sed ex sanguine, ex phlegmate, ex melancholia. Primum autem remedium curæ istius passionis est, quòd fiat minutio, & multum de sanguine extrahatur. incidantur etiam uenæ sub lingua, fiant scarificationes cum uentosis in collo & in scapulis, deinde fiant lenificatiua, maturatiua, & mundificatiua. de Angina in dict. dulcia, guttur, morus.

De Scabie. Cap. CCCI.

ARina, maximè hominis ieiuni, contra scabiem ualet, serpiginem & impetiginem, si cum ea locus lauetur. Scabies autem est corruptio cutis, ex corruptis humoribus intercutaneis, carnis superficiem lædens & deformans. quoniam natura humores corruptos ad corporis superficiem expellit, ut interiora mundificet. Humor autem ille si fuerit cholericus, scabiem inducit siccam nõ saniosam cum fissura, prurigine & punctura. Si uero humor fuerit phlegmaticus, albam, grossam, & saniosam, ac sine pruritu magno, scabiem facere cõsueuit. Scabies autem saniosa uel squamosa cum delectatione pruriginosa, calidum sanguinem cum cholera mixtum demonstrat .Quandoq; & frequenter accidit ex nimia corporis repletione. quandoq; ex ægritudine præcedente. quandoq; fit scabies inueterata cum splenis uitio. Talis scabies cum desiccatiuis, consumptiuis, mundificatiuis interius & exterius est curanda. uide in dict. Lappa, pustulæ, remedia, sal, salsedo, uitis, unguentum, urina. De serpigine in dict. scabies, auripigmentum, sal, triticum, unguentum, urina, zizania. De splenis passionibus atq; cura in dict. aurum, caparis, color, cucurbita, hepar, ferrum, fluxus uentris, gutta aromatica, radix, sambucus, sputũ, urina. De senibus & senectute in dict. cerebrum, cutis, mel, pellis. Homines frigidi sanguinis (Isidoro teste) sunt stulti, calidi uero sanguinis, prudentes. unde senes in quibus iam sanguis frigescit, & pueri in quibus

nondum calet, minus ſapiunt. Siquidem ſenes præ nimia ſenectute deli-rant. pueri uero propter laſciuiam ac leuitatem, quid agunt ignorant. Hæc ætas multa ſecum adfert commoda & incommoda, bona. ſ. & ma-la. Bona quidem, quia nos à potentatibus & tyrannis liberat. uoluptati-bus finem imponit, libidinis impetum frangit. uiget ſapientia, ut in mul tis. ſaniora dant conſilia cõmuniter, terminus eſt miſeriæ, felicitatis prin-cipiũ. receſſus à periculo, ad brauiũ acceſſio, profectus in merito, ad per fectum diſpoſitio. Mala uero huius ætatis, quia ſenium miſerũ eſt, pro pter morbos, debilitatem, atq; tędium. Nam duo ſunt quibus corporis uires minuũtur, morbus. ſ. & ſenectus. In ſenio aũt naturalis calor extin guit̃, uirtus regitiua deficit, et humor diſſoluitur. uirtus deficit, & carno ſitas cõſumitur. Contrahũtur nerui, cutis corrugatur, incuruaturq;. cor pus perit, eiuſdẽ quoq; ſpecies & decor adnihilant̃, ab omnibus grauis iudicat̃ & onerоſus. tuſſibus & ſputis, alijsq; paſſiõibus fatigatur, quo uſq; cinis in cinerẽ, & puluis in puluerem reuertat̃. De ſobrietate, in dict. abſtinentia, alimentum, comeſtio crapula, ebrietas, gula, ieiunium. De ſerpente, eius ueneno ac remedijs in dict. animalia, baſiliſcus, canis rabi-dus, dolor aurium, fœniculus, fraxinus, hircus, lac, capra, iuniperus, la-ctuca, lilium, morus, muſtela, oculus, odor, oleũ, remedia, ſcorpio, uene-num. Animalia itẽ uenenoſa ut ſunt colubri, ſerpentes, in meridie plus lædunt, quia uenenum ſuum facilius emittunt. in nocte enim propter frigiditatem, mane & ueſperi frigeſcunt, & uis ueneni in eis conſopitur. Cæterum in meridie calefiunt, unde tunc ad pungendum, uenenumq; infundendum fortius inardeſcunt. de remedio contra ſerpentis mor-ſum, in dict. gallus, uultur. Itẽ in Hybernia nullus eſt ſerpens, nulla rana aut aranea uenenoſa, imò tota terra uenenoſis adeò eſt contraria, ut ter ra inde portata, alijsq; in locis ſparſa ſerpentes pereant & bufones. La-na etiam hybernica, & coria animalium illius terræ uenenoſa fugant. Et ſi ſerpẽtes uel bufones nauigio in Hyberniam deferantur, ſtatim mo riuntur. Omne uenenum frigidum eſt, nec nocet donec ſanguini admi-ſceatur. & per ſanguinem diffunditur ad cor, atq; interficit. Serpentes multũ diligunt uinum, quando igitur aliquo in loco uidentur, cũ uino capi poſſunt. nã frequẽter in uaſis ubi uinũ, muſtũ uel lac, ſe ſubmergũ. de ſerpente in dict. lac prægnãtis, porrũ, remedia, roſmarinus, ruta, ſal, ſynapis, nitrũ. De punctura, ueneno ſcorpionis, & remedijs in dict. ſer-pens. quoniã omnia remedia contra ſerpentis morſum ualẽt cõtra mor ſum ſcorpionis. quære in dict. aſinus, baſiliſcus, capra, caſeus, canis rabi-dus, crocus, fœniculus, fluxus ſanguinis, gentiana, lactuca, lappa, myr-tus, oculus, remedia, uenenum. Scorpionis uenenum per triduum ualdè lædit, & poſtea lenta morte perimit, niſi cicius ſuccurratur. Scorpius ue nenum

Senectutis commoda & incommoda.

nenum ſuum habet in quadam ueſica circa finem ſuæ caudæ: & cauda pungendo illud uenenum in uulnere inflicto infundit. Virgines letali ictu percutiunt; ſimiliter & fœminas: ſed uiros non tam cito. maxime autem lædunt mane quando exeunt è cauernis. Siquis à ſcorpione percuſſus fuerit, ſcorpij cinis in uino potus, ſpeciale eſt remedium. Item ſi ſcorpius ſubmergatur in oleo, uel conteratur, & per emplaſtri modum ſuper morſuræ aut percuſſuræ locum ponatur, ſanabitur. Caſeus item recens ſuperpoſitus uenenum extrahit. Allia inſuper, nuces, ruta cum ſale trita ſimul, & ſuper ſcorpionis uulnus poſita, ſanant. Plura alia remedia reperiuntur in dict. ſupra poſitis. Capita etiam ſalſorum piſciũ ſi terantur, ponãturq; ſuper uulnus ſcorpionis, ſanãt. Muli quoq; fimus ſuper ſcorpionis uulnus poſitus, ictum ſanat: quære in dict. abſinthium amomũ, piſcis, porrum, plumbũ, roſmarinus, ſal, ſinapis, ſpaſmus uitis.

De Spaſmo. Cap. CCCII.

SPaſmus eſt neruorum contractio, uoluntarium motum auferens, & retardans. Talis contractio interdum prouenit ex nimia repletione, quandoq; propter exinanitionem, interdum ex nimia infrigidatione, ſicut patet in manibus & & labijs infrigidatorum, quia propter talem contractiõem uix poſſunt digitos manus plicare, aut uerba formare. Contractio ex tali extrinſeca infrigidatione curatur à calore, aliaq; non indiget medicina. Sed caueat paciens ne multum ſubito calefiat, quoniam ſurgit dolor magnus, atq; neruorum læſio. quia ex ſubita, fortiq; repercuſſione frigiditatis ad neruorum extremitates, dolorem magnum pacietur. Contractionem cauſatam ex inanitione iſta ſigna demonſtrant. Aliquando enim præcedit fluxus immoderatus ſanguinis, uel uentris, uel matricis. Aliquando labor uel abſtinentia ſupra uires laborantis uel abſtinentis. Aliquando immoderatus calor, ut in corpore hominis peracutas febres pacientis. Aliquando profunditas & dolor uulneris, acumen & fortitudo aſſumpti medicaminis. In his quidẽ omnibus accidit ſpaſmus ex nimia nerui deſiccatione, & ſubſtantialis humiditatis conſumptione. unde corrugatur neruus & contrahitur ſicut pergamenum primo madidum, quando poſtmodum deſiccatur. Et ideo uia ſpirituum per neruos intercipitur & clauditur, & uirtus uitæ regitiua impeditur. omnis talis ſpaſmus ſi diu durauerit, mortalis eſt. Iſti tamen ſpaſmo in principio confert lac calidum mulieris, ſi ſuper muſculos faucium, ſuper ſpinam & collum, & neruorum radices undiq; perfundatur. Ad idem ualet aqua calida cum oleo, ſi fuerit cum lana ſuccida ſuper neruorum locum emplaſtrata. Tertium genus ſpaſmi, ſcilicet qui accidit ex repletione, qui ſolet accidere

carnosis,ingurgitatis ex infusione neruorũ,& dilatatione,facilius curatur.quia cum unguentis calidis, balneis, sternutationibus, gargarismis curatur.De surditate in dict.amygdalus,caparis,cepa,hedera. De Syncopi quæ est passio cordis, in dict.aurũ,cardiaca,cassia, cor,margarita, nardus,aloe lignum. Homo item interdum syncopisat ex subita caloris naturalis ad interiora cordis repercussiõe, ut patet in timorosis & flebotomatis,qui aliquãdo deficiunt & syncopisant. De stomacho,eius passionibus & remedijs,in dict.acetum,appetitus,aqua,cyminũ, dolor uentris,ferula,gariophyli, nardus,nectar, oleum, petroselinum, pulegium, ruta,sal,salsedo,zinziber. Item stomachus substantialiter calidus cibos grossos bene digerit,delicatos uero consumit,& plus digerit quàm appetit. & propter similitudinem & conformitatem cibos calidos quærit nec famẽ sustinere potest.Stomachus uero frigidus non est bene digestiuus grossorum ciborum,& eis cito grauatur,eosq; cito cõuertit in humores acidos & corruptos. Stomachus uero siccus cito sitit, nec modicus potus ei sufficit.Humidus stomachus nõ cito sitit, humidum cibũ petit, sed parum digerit.Diuersæ aũt passiones accidũt stomacho.s.mala digestio,fumositas,diarrhia,uomitus,singultus,inflatio,eructuatio.& ista ex diuersis causis accidunt. Quandoq; ex mala cõplexione, quãdoq; ex nimia repletiõe,qñdoq; ex nimio humorũ acumine.quandoq; ex debilitate uirtutis contentiuæ. quando enim est cibus pungitiuus, ipsum stomachus cito reijcit & expellit. quãdoq; ex uirtutis expulsiuæ nimia debilitate.q̃re remedia, in dict.superioribus, et in sequentibus,scilicet aloe lignum,cyminum,dolor uentris,fluxus uentris,saliunca,singultus,terebinthus,torsiones uentris,uitis,uomitus,zinziber.de sudore,in dict.pectinare,rosmarinus, sanguis.Item si cultellus aut alius gladius in sudore equi intingatur,illumq; humorem imbiberit, toxicatus est ita,ut si cum eodem uulnus inflictum fuerit,continue sanguis exeat,donec moriatur De tempore & modo seminandi,in dict.frumentum,cholera.Item si semina eorum quæ in orto seminanda sunt, primo in uino madefiant,eorum herba ab Eruca nõ lædetur. Stellio est genus lacertæ reptile et quadrupes,pedes habens latos,& digitos scissos admodum, quibus repit ad domorum & murorum rimas, in quibus suas facit cauernas, pellemq; mutat in senectute sicut serpentes.Ista bestiola in tergo lucentibus est depicta guttis in stellarum modũ. Stellio Scorpioni adeo est contrius,ut uiso eo pauorem ei afferat & stuporem. est autem animal multum uenenosum. quære in dict. remedia. Sanguisuga uermis est aquatilis, sic dicta eo quod sanguinem diligit atq; sugit.Cum autem sugendo sanguinem nimis repleta fuerit,sanguinem bibitum euomit,& postea iterum sugit. Vermis est colore subniger,uirgulis quibusdã rubeis distinctus,

Stomachus uarijs subiectus est paßionibus.

uenenoſis inſidet. ideo quando poni debet aliqua in parte corporis ad ſugẽdũ ſanguinẽ cauſſa medicinæ, primo debet poni in urticis & in ſale, ut ſic compellatur euomere ſi quod forte hauſerit uenenum uel uenenoſum. In aqua aũt calida, & tẽpore calido citius ſe mẽbro applicat ad ſugendum ſanguinem. Succus foliorum ſalicis ſumma eſt medicina & efficax cõtra ſaniem ex aure fluentẽ. Aſparagus eſt arbor, uel uerius frutex, grana quædã habẽs loco fructus. & expertum eſt, quod ſi decoctio eius uel ſeminis detur cani, ipſum interficit. De extinguenda ſiti in dict. capo; cryſtallus, potus, roſmarinus, uiola. Si accipiatur ſpuma uini, quæ eſt in ſumno boni uini ueteris exhauſta, & cum illa miſceat̃ aliquãtulum ſalis, ac cũ utroq; pulueriſet̃, miſceaturq; ſulphur, & totũ illud ponat̃ in alembico, & ſublimet̃ eo modo quo fit aqua roſacea, diſtillabit inde aqua q̃ inflãmatur ſubito & ardet ſuper pannũ uel ſuper capillos capitis, uel ſup mappã aut alia corpora p̃ter aduſtionẽ ipſorũ corporum, ac ſine læſione Eodẽ modo cũ mixtione prædictorũ de bono uino rubeo & forti, fit cõſimilis aqua ardens ſicut p̃dicta. Salix arbor mollis, uitibus ligandis paſtinandisq; apta, fructũ nõ habet præter ſolũ ſemen & florẽ. Semen eius huius uirtutis eſſe dicunt, quod ſi quis de illo in potu hauſerit, filios maſculos nõ generabit. imò etiã filias faciet infœcundas. Quãuis aũt iſta arbor ſterilis ſit quo ad fructũ, eſt tamen utilis medicinæ. Eſt em̃ frigida atq; ſicca, & uim habet conſtringendi, conſolidandi, et febrilem calorem mitigandi. Succus foliorũ eius in potu datus, ualet contra Dyſenteriam. Idem facit puluis corticis combuſti in potu ſumptus. Puluis item uulnera corroſa conſolidat. Si etiã mixtus cum ſale per emplaſtri modũ ſuper uerrucas ponat̃ (maxime ſi procuret̃ per aliquã inciſionẽ quod de uerruca aliquid exeat) eas curat. Idẽ facit ubi puluis iſte cum uino potet̃. Rami etiam aqua aſperſa & folia, aërem infrigidant, circa febricitantes poſita aut eorundem lectos, eos recreant & confortant.

Canes epoto Aſparagi decocto moriuntur.

De Sambuco Cap. CCCIII.

SAmbucus arbor mollis & parua, calida & ſicca. cuius cortices, flores, atq; folia medicinæ cõueniũt. Virtutẽ habet diureticã, id eſt, aperitiuã, diuiſiuã, attractiuã, ac phlegmatis purgatiuã. ideo ualet cõtra febrẽ cotidianã ex phlegmate procedentẽ. Succus eius bibitus per ſe, uel cũ melle mixtus, lũbricos interficit. Decoctio corticis mediani cũ uino, ſplenis & hepatis duritiẽ curat. Idem faciũt folia eius decocta & cataplaſmata ſup regionẽ ſplenis. Folia eius, cortices atq; fructus in aqua ſalſa decocta, pedũ tumorẽ diſſoluũt, ſi pedes eadẽ aqua tepida lauent̃. Succus eius cũ uino bibitus, cõtra Hydropiſim ualet ex cauſſa frigida. Decoctio foliorũ eius & fructuum in uino

fortissimo,multũ cõfert cõtra leprã ex phlegmate, si frequẽter fiat. nam corruptos humores phlegmaticos, uel ad corruptionẽ dispositos mire purgat.q̃re in dict.aperitiua. Saliunca est herba spinosa q̃ lædit pedẽ se calcãtis,& uocat̃ uulgo Caltatrepa,nascit̃ in locis duris,lapidosis,in terra sterili,lapidosa,& arenosa.& à quibusdã nominatur Scorpio,quia pungit.capitella habet spinosa & aculeata sicut Cacaria. Herba calida est & sicca,multum diuretica,cuius radix in uino decocta uomitum restringit. & si uinum illud bibatur,stomachum confortat.

De Synapi. Cap. CCCIIII.

SYnapis est frutex, cuius in folliculis plurima cõtinent̃ grana miñuta, plus q̃ miliũ.Herba calida est & sicca in quarto grad. humores uiscos & grossos extenuat atq; purgat.serpentum,scorpionumq; ictus, addito aceto si teratur,& per emplastri modũ desuper ponatur,sanat.Fungorum uenena superat,dentiũ dolorẽ mitigat,cito ad cerebrũ penetrat. lachrymas ꝓuocat.caput & cerebrum mirabiliter purgat. uesicæ lapidẽ constringit.menstruis imperat,appetitum ꝓuocat.stomachum cõfortat epilepticos iuuat,hydropicos curat, si cum aceto distẽperatum eorꝫ naribus infundat̃.Capillos mundat,eorumq; casum cõpescit. sonos & tinnitum aurium tollit,oculorꝫ caliginẽ detergit,palpebrarum asperitatẽ lenit, paralyticis subuenit. quia poros aperit,& humorẽ neruis influentẽ et eosdẽ laxantẽ,& insensibilitatẽ inducentẽ dissoluit & cõsumit.Maior aũt uirtus est in eius semine,quantoq; plus teritur,tanto fortius efficitur Semen eius multum est calefactiuum,aperitiuũ,& cõsumptiuum.De sanie in dict.alimẽtum,medicina,scabies,ulcera,uulnus. de stipticis seu restrictiuis in dict.aqua,cõstipatiua,pinea,restrictiua,uitis.Siccitas est motus iuuatiua.quia cũ terra sit sicca de se, ideo siccitas æqualiter ducit ad centrum oẽs circunferentiæ partes.sicq; ex omni parte circunflectio est, et partiũ circa centrũ rotundatio.et ista est caussa rotũditatis terræ.quia corpus rotundũ nõ habet angulos, quibus in uolubilitate sua possit impediri.ideo per siccitatẽ reddit̃ mobilius.De tẽporis uarietate & eius cõditionibus in dict.autũnus,uer,æstas,hyẽs,aborsus,animalia, phlegma, luna,apoplexia,infirmitas.de caussa timoris in dict.castanea,color,phrenesis,melãcholia,ouum,remedia,signa timoris.De tussi eiusq; caussis in dict.aqua,bdelliũ,calamentũ,carica,cepa, cinnamonũ, dracontia,enula, iuniperus, lac asinæ,linum,menta,porrũ, pulmo,pulegiũ, phthisis, raucẽdo,rosmarinus,sulphur,triticum,uitis,uua,urtica,zuccarum.de capitis tremore,aliorumq; membrorum in dict.abstinentia,caput,cardiaca, caules, cor, paralysis. De Phthisi & eius cura in dict.autumnus,hectica, gutta,humectatiua,luna,ouum,pinea,pectus, pulmo, rosmarinus.

Ordeum bene decorticatum, cum brodio caponum uel aliarum bonarũ carnium, aut etiã cum lacte amygdalino coctum, tale pulmmentũ phthisicis ualet, quia cibus est resumptiuus. Balneum item cum Chamomilla posita, eos iuuat. Oua quoq; recentia mollia, sunt eis utilia, tamen cauere debent à magno calore, & à magno frigore. Illa item quæ ualent contra tussim, sunt eis utilia, sicut Penidiũ &c. quando recenter cũ zuccaro & aqua rosacea conficiuntur. Theriaca de natura sua ualet ad res uenenosas destruẽdas, quod tribus modis fit. Primo, quia uenenum desiccat & consumit, nã in ea multa ponunt desiccatiua. Secundo, quia etiam ue nenum uirtute sua expellit, multa enim in ea ponuntur, quæ sua ex natura ueneno sunt contraria. Tertio, quia etiam membra cõfortat, et ideo eis cõtra ueneni molestiã ad resistendum uires tribuit, multa enim in ea ponuntur cõfortatiua. De theriaca in dict. animalia, anthrax, apostema, canis, uenenum. Qui uult facere Ptisanam, ordeũ debet accipere electũ, illudq; teri debet pistillo ac decorticari &c. de ordeo sic parato cum lacte amygdalorum, aut cum gallinarum brodio, uel carnium hœdinarũ fit pulmentum confortatiuum & restauratiuũ Phthisicis & cõsumptis, & pro illis qui carent dentibus. Si etiã ordeũ sic decorticatũ ponat & liget in pãno lineo mundo, et in munda aqua fontana coquat, illa aqua uocat Ptisana, quæ calorẽ febrilem, & quemcunq; alium inordinatum mitigat atq; alterat. sitim sedat, pectus laxat & bene nutrit. De tinea uerme corrodente pannos laneos, in dict. absinthium, lana, laurus, lupus, remedia, rosmarinus. De tela siue panno quæ super pupillam oculi generatur, in dict. dolor oculi, macula oculi, urina, zinziber.

Penidium.

De Tartaro siue Alumine. Cap. CCCV.

TArtarũ siue Alumen est fex uini parietibus uasis uinarij adhærens, in quibus desiccat. Huius natura calida est in tertio grad. ualet contra scabiẽ, serpiginẽ & impetiginẽ, et cõtra capitis immundicias. Virtutẽ em̃ habet extenuãdi, consumẽdi mundificandi, & laxãdi. Est uena terræ ad modũ lapidis solida, tantoq; melior, quãto magis cęlesti colori similior. & habet intermixta quasi q̃dã grana aurea. de ista illuminant libri sicut de minio. valet cõtra syncopim ex fumis melãcholicis, si debito modo det pacienti. Nunc; autem debet dari donec prius subtilissime cõterat, & in minutissimũ puluerẽ redigat. quo facto, poni debet in panno albo, & multocies ablui in aqua munda. ita quod in qualibet ablutione aqua mutet. Signũ aũt perfectæ ablutionis est quando aqua in qua abluit, parũ aut nihil colorat. postea bono in uino pota, miris modis Quartanã purgat & sanat. Et nõ debet dari cum aliqua decoctione, quia ad fundum descenderet, sed ante cibũ & potum

detur, & hoc cum ſero caprino. Et ſicut in laminis ferreis in aceto fit cęſura, ſic in laminis argenteis in aceto fit Azurium. Lapis autem Azurij ſæpe inuenitur in mineris argenteis & aurifodinis, & in ſuis uenis ſcilicet Aſurij. Sæpe inuenitur ſapphirus & hyacinthus, aliiq; lapides blauei coloris azurio ſimiles inueniuntur, de quibus in dict. Impetigo.

De Thure. Cap. CCCVI.

THus eſt gutta aromatica, calida & ſicca, multum pinguis & glutinoſa. Virtutē habet cōfortandi ex aromaticitate ſua. cōſolidādi, cōſtringendi, cōglutinādi ex ſua gūmoſitate. potenter reſtringit lachrymas, fluxumq; humorū ē capite deſcēdentiū, pcipue quādo per exteriores faciei uenas fluūt, ſi circa tēpora puluis eius cū uino albo, cumq; oui albumine emplaſtret. ſic etiā ſedat dolorē dentium & gingiuarum. maſticatū plus ꝓhibet fluxū humorū à capite ad mēbra ſpiritualia, ad pectus uidelicet & pulmonē. Cōtra indigeſtionē, et acidā eructuationē multū ualet uinū in quo fuerit thus decoctū. Matricē cōfortat & mundificat, fumus eius mixtus, caput rheumaticū iuuat. puluis eius cū aceto graciliat et attenuat turgidas puellarū māmas. Puluis eius mixtus cū pice cōquaſſationibus ſubuenit, auriū dolorē mitigat. cum uino mixtus, inteſtinorū tumoribus ſubuenit ſi cum uino bibat. Si ſup uulnus recēs puluis eius mixtus cū albugine oui ponat, ſanguinē reſtringit, & carnē cōſolidat. Fumus eius cerebrū cōfortat. & ſi patiat rheuma ex cauſſa frigida, iuuat. De thure in dict. anhelitus, dolor oculorū, incenſum. Cōtra torſiones accipe de bono zinzibere, comede cū ruta, & ceſſabūt. Idē facit radix Tormentillæ. uide in dict zinziber, cyminū. De remedio contra torſiones in dict. colica, dactylus, ruta, ſtomachus, uēter. de tumore qui cōmuniter fit ex collectiōe, fluxu, atq; cōgregatione humorū in aliquo loco, in dict. apoſtema, auenā ebulus, faba, farina,, gutta aromatica, inflatiua, laurus, liliū, mādragora, oleū, plātago, platanus, populus, roſa, ſal, ſapphirus, ſambucus, thus, terebinthus, uitis, urtica. Tapſia herba ſi terat, & facies liniat ſiue corpus, faciem facit inflari atq; corpus, ac ſi homo eſſet leproſus. & curatur con fricatione panni in aceto madefacti, aut ſucco ſpumæ, aut cum unguento quod uocatur Populeon. Topaſius lapis eſt auro ſimilis, illudq; de eo expertum eſt, quod ſi mittatur in aquam bullientem, facit ebullitionē & calorem ita ceſſare, ut ſtatim manu poſſit extrahi ſine læſione manus Hic lapis eſt ſpeculum, & in eo apparet idolum obiecti corporis, non ſicut in ſpeculo cōmuni, ſed econuerſo ſicut in ſpeculo concauo, licet lapis non ſit concauus. unde facies iſto in lapide apparet reuerſa, quia frons apparet inferius, & mentum ſuperius. Item Topaſius ſentit curſum Lunæ, ualetq; contra Lunaticam paſſionem. Proinde maiorem, minorēq;

Contra torſiones.

habet

habet uirtutem ſecundum incrementum & defectum Lunæ. Fluxum ſanguinis reſtringit. ualet contra hæmorrhoides, contra Phreneſim. feruentem aquam à feruore compeſcit, iram ſedat & triſtitiam. ualet etiam contra mortem ſubitaneam. Terebinthus eſt arbor de qua ſtillat reſina, omnibus alijs precioſior atq; melior, quæ dicitur Terebinthina. Cuius folia, fructus, & ſemina ſunt ſtiptica, & uenenoſis morſibus contraria. Huius reſina bona eſt, quæ munda, lympida & aromatica, in colore rufa. Virtutem habet diſſoluendi, laxandi, maturandi. ideo ualet contra apoſtemata dura, & contra inflaturas, tumores, aliasq; humorum collectiones tam in capite quàm in membris. Huius arboris radices & folia in uino decocta ſtomachum confortant, ualent contra dolorem capitis. *Terebinthina.*

De Tritico. Cap. CCCVII.

TRiticum nimis antiquum, longo tempore conſeruatum, eſt nimis ſiccũ, & ad digerendum durũ. parũ nutrit, quia eius humiditas ſubſtãtialis eſt minus humida & uiſcoſa. durum ad digerendum, inflatiuũ, uẽtoſitatis, & rugitus uentris generatiuũ. Medium uero inter nimis nouum & uetuſtum melius eſt, & melius nutrit, quia maiorem habet ſimilitudinem cum humana complexione propter ſuum temperamentum. Eſt autem triticum colatiuum, mundificatiuum, lauatiuum. ideo pulmentum de eius farina factum eſt purgatiuum pectoris & pulmonis. Idem facit ptiſana, ſiue aqua de tritico facta ſicut de hordeo, quia mundificat, & plus quàm de hordeo. Valet etiam contra tuſſim, contraq; fluxum ſanguinis. Item triticum coctũ in ſucco Rutæ diſſoluit coagulationes lactis mamillarum, ſi mamillæ inde liniantur. Item cum ſucco Iuſquiami temperatum, & ſup̃ neruos poſitum, noxios humores prohibet ne deſcendant. Granum item tritici maſticatum, ualet contra rabidi canis morſum, nam uenenum extrahit. Ex tritico fit oleum ad multa ualens, ſed maxime contra pruritum, ſerpiginem, & impetiginem, ſi cum illo oleo, & panno lineo aſpero locus bene confricetur, iſtaq; confricatio fit ut oleum melius ſubintret. Item cortex tritici, id eſt, furfur, uirtutem habet colatiuam & mundificatiuam plus quàm farina eius. ſed modicum uel nullum exhibet nutrimentũ. Panis item de nouo tritico parũ nutrit, et humores generat, commouet, cito cõuertitur in putredinem. ideo ex tali cibo lumbrici, alijq; uermes cito generantur. Triticum aſſatum magis nutrit, minorem uentoſitatem facit: multum conſtipat & conſtringit, in aqua coctum grauiſſimum eſt, multum inflatiuum, & uiſcoſi humoris generatiuum. Thymus eſt herba ualde aromatica, cuius flos dicitur Epithymum. & eſt flos medicinalis, quia melancholiam purgat & phlegma, ualetq; multum contra Quartanam, *Thymus. Epithymum.*

melancholicas, ac phlegmaticas passiones. Tortuca quædam in aquis habitat, quædam in nemoribus. Carnes illius quæ habitat in nemoribus, uirtutem habēt resumptiuā. unde si bene decoquantur in aqua queadmodū decoquitur gallina, phthisicis ualet & consumptis. Tonitruum quando fit cum fulmine, uel coruscatione, fructus lædit. Quando uero uenit cum pluuia sine corruscatione, fructibus prodest. De tibijs in dict. combustura, ruta. Venæ sunt sanguinis contentiuæ. & uenæ pulsatiles infirmitatis sunt & sanitatis denunciatiuæ. Venæ etiam nimis amictæ carne, uel pinguedine nimis coopertæ, minus habent de sanguine & spiritu quàm aliæ. ideoq; in eorum subiectis calor naturalis deficit, et spiritus uitalis minoratur. Vnde tales homines uel animalia minus uiuunt ut dicit Constant. Vena incisa uel abscisa, iterum crescit & reintegratur, De uena, in dict. hepar, lilium, ligna, minutio, ouis. De uigilia seu priuatione somni, in dict. abstinentia, caput, dormitio, ebrietas, insomneitas. de his quæ nocent uisui, quæq; uisum iuuant, in dict. aloe, allium, amomū animalia, argentum assimilatio, capra, centaurea, cerebrum, dolor capitis, dolor oculorum, fœniculus, macula oculi, oculus, odor, ruta, sapphirus, smaragdus, zinziber. De uulneribus & eorum cura, in dict. allium, amygdalus, anhelitus, aranea, argentum, aristolochia, auripigmentum, Balaustia, butyrum, calx, canis, capra, caules, centaurea, cypressus, cos, cucumer, cucurbita, hœdus, æs, hircus, Iaspis, lactuca, lilium, magnes, myrrha, myrtus, oleaster, plantago, piscis, porrum, blumbum, rana, ramnus, remedia, sal, salix, sapphirus, thus. Membra quāto sunt nobiliora tanto uehementius sentiunt & cicius. & periculosius paciuntur molestias & læsiones, ut patet in oculo respectu manus uel pedis. Ideo læsio quantumcunq; modica in membrorum iuncturis ubi sunt nerui sensibiles, est maxime nociua, quia per talium membrorum impedimentum potissime ac citissime impeditur uirtus sensibilis & motiua, atq; totius corporis dissoluitur harmonia. Ex ista caussa tempora sunt passibilia, id est, facilia ad læsionem. unde animal percussum uel uulneratum in temporibus, facile moritur, etiam modico ictu uel uulnere. Proinde harum percussio quæ cadit super ossa temporum est mortalis. quia si in eis contingit uulnus, animal periclitatur. Et hoc accidit, quia humor qui est in temporibus, cito exit propter ossium tenuitatem, & tempora citius canescunt propter humoris paucitatem, & siccitatem quæ in eis dominatur, & propter conuertibilitatem ad naturam frigiditatis.

Tortuca.

De Vlceribus seu paruis quibusdam uesicis. Cap. CCCVIII.

Vlcera

VLcera sunt paruæ quædã uesicæ, quæ ex intercutaneo humore interdum undiq; oriuntur in corpore. Causata in superficie cutis, seu loco tenellæ pellis, ex acumine humoris cholerici, ut plurimum faciunt solutionem continuitatis. Vlcerum autem materia est subtilis humiditas sanguinis, uel choleræ ab interioribus ad exteriora, ui naturæ uel symptomatis expulsa, usq; ad pellem seu cutẽ. Talia ulcera cutem fœdãt pruritum & titillationem in carne generant, cutem à carne eleuant; & aliquando si continua sunt, lepræ periculum præconisant. Cura eorum est quod corpus purgetur interius à superfluis, calidis & infectis humoribus. à cepis, porris, salsis, & omnibus acutis abstineat. purgationi choleræ & sanguinis instet, balneis utatur siccis et mediocriter cõsumptiuis secundũ qualitatẽ & quantitatẽ, carnẽ ulceribus uulneratã exponat, à superfluo cibo & potu abstineat, laboribus corporalibus se mediocriter exponat. De ulceribus & eorꝝ remedijs in dict. lepra, oleaster, piscis, uulnus, urina. De unguibus in dict. auripigmentũ, humor, mors, signũ mortis.

De Vitibus. Cap. CCCIX.

VMbra uitium æstuantibus & quiescere uolentibus, est delectabilis. Vitium folia uulnera mundãt & sanant. In aqua decocta refrigerant calorem febrilem, ac æstuationem. stomachi tumorem cataplasmata mire sanant, prægnantẽ adiuuãt, somnum prouocant, cerebrum confortant. Lachrymæ uitium potæ uesicę calculos frangunt, uisum acuunt, oculorum lippitudinem tollunt, uenenatis morsibus subueniunt, uenerem siccant. Cinis uitis ad prædicta ualet, quia succo Rutæ, & oleo admixtus tumorem splenis sanat. Vitium folia capitis dolorem amputant, inflationes sedant, cum farina ordei mixta & trita, calidam artheticam curant, contra Dysenteriã ualde iuuant, si eorum succum bibant pacientes. Lachryma uitis cum oleo mixta super locum pilosum linita, pilos amputat, & hoc maxime facit lachryma, quam ramus uitis uiridis emittit & resudat. uerrucas tollit. Vitium cortex, eiusq́ue folia arida uulnerum sanguinem restringunt, ipsum uulnus conglutinãt, & citius claudunt; quorꝝ uirtus mox fistulam sanat atq; curat, neruorum dolores & contractiones mitigat, scorpionum & canum plagas cum oleo sanat. Cinis corticis uitis per se pilos ablatos restaurat & multiplicat. Item est uitis syluestris, quæ uocatur Labrusca. cuius fructus est modicus, durus; stipticus & amarus. Radix huius uitis elixa in aqua pluuiali, & cum uino mixta, hydropicos curat, omnes maculas de facie tollit, si cum illa aqua facies abluatur, tussim compescit si bibatur. Radix eius si comburatur, & fiat puluis uel cinis, multum ualet contra defectum stomachi. foliorũ

eius ſucco mulieres faciei cutem purgant. Illius uuæ cum folijs & ſucco utiliter apponuntur uitijs coxarum & lumborum. folia eius trita cũ aceto hominis ſcabiem, & quadrupedum etiam curant. uide in dict. ſalix, uitis, urina, urtica, zizania. De natura & utilitatibus uitis, in dict. aqua, palmes, uinum.

De Vuis, earumq́; conditionibus. Cap. CCCX.

VVæ facile digeruntur, & leniter nutriunt. uenas penetrant, urinam prouocãt. Vuæ nigræ ſunt duræ digeſtionis, tamẽ ſtomachum plus confortant, plus etiam nutriunt quando bene digeruntur. Vuæ quanto ſunt maturiores, tanto laudabiliores, & ad nutriendum, generandumq́; bonum ſanguinem meliores. Item uua paſſa, quæ perfecta in dulcedine, eſt calidior, maxime ſi eſt nigra, non nimis mollificatiua ſeu laxatiua, nec enim nimis conſtipatiua ſed media. malos humores temperat, & mitigat morſiones. Illa autem melior eſt quæ pinguis & carnoſa, quæq́; pellem habet tenuem, & cuius oſſa ſiue granula interiora ſunt graciliora, exigua atq; pauca. Iſta uua contra pectoris dolorem adiuuat, pulmonem mũdificat, tuſſim ſedat, renes & ueſicam purgat. ſpleni tamen & hepati non conuenit.

De Vino & eius natura. Cap. CCCXI.

VInum eſt cibus & potus, aqua uero eſt potus tantum, quia nõ nutrit corpus. Vinum enim (teſte Conſtant.) cibum per omnes corporis partes portat, nutriens & calefaciens ſpiritum & ſanguinem, caloremq́; confortans naturalem. Vinũ quoq; nimis forte potum, cerebrum interdum lædit, qua ex læſione multæ peſſimæ paſſiones creantur, ut Mania, amentia. Vinum item inter omnes liquores atq; arborum ſuccos, obtinet principatum. nam uinum moderate ſumptum, omnibus alijs liquoribus corpus plus confortat, corda lætificat, morbos & uulnera euacuat atq; ſanat. Et ſecundũ Iſaac Vinum bonum nutrimentũ corpori, ſanitatemq́; perditam reddit ac cuſtodit, calorem naturalem præ omnibus cibis atq; potibus confortat & augmentat, propter conformitatem quam cum humana habet complexione. Vnde ſanguinem puriſſimum generat, turbidum purificat & clarificat. uenarum ora aperit & mundificat, ſua ſubtilitate penetrat, fumoſitatem tenebroſam triſtitiæ inductiuam illuminat atq; fugat, totius corporis membra corroborat, uigoremq́; eis adminiſtrat. Bonitatem uini animæ actio manifeſtat. inducit enim triſtitiæ & doloris obliuionem, intellectum acuit, ipſumq́; docilem facit ad inueſtigandam rem arduam, difficilem, & ſubtilem. animoſitatem præſtat & audatiam. Eius uſus

cunctis conuenit hominibus, ætatibus, temporibus, regionibus, si debito modo secundũ uires & cõditionẽ bibẽtis accipiat. Senibus cõuenit, quia uini calor eorꝝ repugnat frigiditati. Iuuenibus cõuenit secũdũ cibũ, quia in natura sua simile est naturæ iuuenũ. Adolescẽtibus & pueris est cibus & medicina, quia eorꝝ calori adhuc imꝑfecto nutrimentũ exhibet & augmentũ. Frigida in regione & in hyeme, uinũ forte & multũ purũ cõuenit. In æstate calidaq; regione uinũ purũ, multumq; lymphatũ utile est. Corpus enĩ humectat & refrigerat ꝓpter aquæ mixturã, quæ uini subtilitate ad remotiora mẽbra ualde cito portat. ideo antiqui uinũ uocauerunt magnã theriacã. quia inuenerũt illud duarũ rerũ esse iuuatiuũ. Frigida enim corda calefacit, calida infrigidat. sicca humectat, humida desiccat. Sed eius calefactio & siccatio est naturalis. humectatio uero eius et infrigidatio est accidentalis, q̃niã sua subtilitate aquã portat ad mẽbra, quæ per illã humectant & infrigidant. Item uinũ substãtialiter tenue & subtile, albũ est & clarũ, stomachoq; conuenit, quia cito digerit, & uenas penetrat, nec mentem percutit, nec lædit, nec neruis aut cerebro aliquod nocumentũ infert. Vinum aũt terrestre & grossum facit oppositũ. stomachum enim grauat, & uenas difficile penetrat. Color uini generaliter est quadruplex, scilicet albus, niger, glaucus, citrinus, & roseus siue rubeus. Albũ uinũ & nigrũ, cæteris est minus calidũ. Albũ est magis humidum q̃ nigrũ, ꝓpter subtilitatem, & aquositatẽ sibi dominantẽ. Nigrum uero est magis siccum ꝓpter grossitiẽ & terrestreitatẽ in eo dominantẽ. Vina uero quę sunt mediocris coloris, sunt aliꝭs calidiora, scilicet uinum citrinũ siue aureũ, & uinũ rufum: & hoc secundũ quod magis ab illis extremitatibus .s. albo & nigro sunt remota. Itẽ uinũ rubeũ uel incẽsum in rubore sicut sanguis, est nimis forte, læditq; caput, mentem percutit, fortemq; facit ebrietatem, ideo multũ est lymphandũ. Si enĩ cõpetẽter lymphet, & bibat, prout ætatibus, tẽporibus, regionibus & cõsuetudini conuenit, multũ est laudabile. quia grossos humores dissoluit, uenarꝝ uias à putredine mũdificat, sanguinẽ purificat, maxime si uitiũ fuerit puritatis Vnde cõuenit senibus, quia eorꝝ calorem cõfortat, & frigidorꝝ humorꝝ dissoluit habundantiã in senũ corporibus collectorꝝ. Vinum rubeũ necessario humorẽ habet & saporẽ ponticum atq; dulcem, & liquorẽ inter grossum & subtilem mediocrẽ, et odor eius inter aromaticũ & grauem. taleq; uinũ est cæteris tẽperatius ad nutriendum, ac facilius in sanguinẽ mutat, ꝓpter similitudinẽ quã habet cũ sanguine in liq̃re, sapore, et in colore. Vinũ dulce & rubeũ multũ iuuat, ad mundificãdum uitia pectoris & pulmonis, ualde enĩ est solutiuũ, uiscosi humoris lenitiuũ, & immundiciei absterſiuũ. In uino cõsiderat odor. nã uinum aromaticũ significat suũ liquorẽ subtilẽ esse, tẽperatũ, oĩ sorde emundatũ, & optime digestũ,

Veteres uinum magnam Theriacam nominauerunt.

Vini color generaliter quadruplex.

ideoq; clarũ generat ſanguinẽ. Eſt et cordis cõfortatiuũ, lætificatiuũ, fumi groſſi & obſcuri, turbidiq; expulſiuũ. unde Hipp. Vinum odoriferꝝ cæteris eſt ſubtilius, lenius, digeſtibilius, & nutribilius, quia natura in eo ſuã cõpleuiſſe ſignificat actionẽ. Vinum quod nullius eſt odoris, illud groſſum, uẽtoſum, et illaudabilis nutrimẽti. Sanguinẽ nõ clarificat, cor nõ cõfortat, hũores groſſos generat, fumũ turbidũ & obſcurũ. Vinum aũt mulieris lædit naturã. Itaq; corporis uiribus nihil utilius uino, ſi in bibendo quantũ ad quantitatẽ & qualitatẽ modus ſeruet̃. Nihil em̃ uino ꝑniciosius, ſi debitus modus in ſumẽdo nõ ſeruet̃. vnde ſapiẽs quidã ait, Ebrioſo ineſt pallor faciei, genæ pendulæ, oculorꝝ adſunt ulcera, manus tremulæ, lingua ligata, poſtero die eructuabit, anhelitus fœtidus uelut de ſepulchro. & in capite pũctiões ſentiunt̃ grauiſſimæ. palatũ amaricat cholera quæ incendit̃ ex calido fumo uini. æſtuans ſitis torquet guttur. Hæc em̃ neceſſitas ſuperfluũ uini potũ ſequit̃, ut bibẽdi cõſuetudo auiditatẽ pariat rebibendi. unde uinolenti more ſanguiſugæ, quãto plus bibunt tanto plus ſitiũt. Vinũ quãdo eſt muſtũ, ſtatim. ſ. uindemiatũ & de uuis expreſſum ſi bibat̃, groſſum ſanguinẽ generat, & fumũ terribilium ſomniorũ inducit, malos humores generat, rugitum uentris facit, inflationẽ inteſtinorꝝ, nec uim habet reportãdi cibũ ad mẽbra corporis. uentoſitatẽ, inflationẽ & faſtidiũ generat. Vinũ aũt à ſua naturali qualitate immutatũ ſiue factũ acetoſum, uel in aliũ malũ saporẽ mutatũ, maxime quando nimis corruptũ, eſt naturæ hominis inimicũ & nociuũ, eſtq; fugiendũ ut uenenũ. Vinũ etiã uetuſtiſſimũ mutat colorẽ & saporẽ, ſuoq; acumine cerebrꝝ lædit, mentẽ ꝑcutit, ſuaq; caliditate & ſiccitate humiditatem ſubſtantialẽ inflãmat, & calorẽ naturalẽ extinguit. Ideo nec nimis nouum, nec nimis antiquum eſt laudabile ad bibendum, ſcilicet uinum poſtq̃ bene fuerit defecatũ, clarificatumq;. Itẽ ſi de uino debili uis facere uinum forte, accipe folia uel radices Gallitrici, & decoctas immitte, aut Buxi folia quãtũ manus capere poteſt, aut Apij ſemẽ cum cineribus ſarmentorꝝ, quos flãma ſubtiles efficit, et tunc uinum fortificabit̃. De duro autem uino fit uinum ſuaue, ſi feces dulcis uini uino duro miſceantur. Vinũ etiã ad potandũ optimũ fiet, ſi fœniculũ, uel Satuletæ cõpetentẽ quãtitatẽ uino miſcueris, & poſt mixtionẽ uinũ turbaueris. Vitibus aũt hæc ꝓprietas ineſſe dicit̃. quod ſi uitis alba, uel rubea uel nigra, hoc eſt q̃ ꝓducit uuas albas, rubeas aut nigras, per ignem in cinerẽ redigat̃, & cineres illi uino miſceant̃, unaquæq; uitis ſuo colore uinũ inficiet, id eſt, ad colorẽ ſuum uinum trahet. Quia ex cineribus uitis nigræ, uinum album fiet nigrum. ex cineribus rubeæ, fit uinum rubeum. Ex cineribus albæ, uinum rubeum efficiet album. ſed ad hoc oportet ut magna cineris quãtitas immiſceat̃, ut. ſ. ſubdecuplum cineris in uini decuplum miſceatur.

Item

Item ſi uis clarificare uinum turbidum.accipe.x.uel.xx.oua, & abſtrahe albumẽ ouorꝝ in uno uaſe, illaq́ʒ bene miſce. poſtea totũ effunde in uaſe uini turbidi,et cum baculo cõmoue fortiter totum uinum,ut illud quod miſcetur bene miſceatur toto uino,et dimitte poſtea duobus uel aliquibus diebus ſtare,& clarificabit.Item hoc quod dictũ eſt, immediate fiet melius, ſi arena pura & ſubtilis in bona quãtitate cum illis albuminibus ouorꝝ miſceat,& totum modo ꝑdicto uino commiſceat. Item proprietas uini fulminati, & omnis alterius liquoris fulmine percuſſi, efficitur peſtifera. nam ſi quis de illo uino aut liq̃re fulgure percuſſo biberit, morietur uel amens efficiet,maxime ſi muſtum,uinum,uel oleum fuerit fulminatũ. Item ſi ouum recens in muſto ponat,nõ ſubmerget,ſi muſtũ fuerit ſine aqua .ſi aũt aqua infuſa eſt in muſtum,ouum immerget.Muſtum item,ut ſupra diximus,ſi forte ſit & feruens,in tantũ quod etiã uideatur diſrumpere dolium,partes caſei multũ terreſtris & poroſi ſi ponant in muſto, motus & ebullitio muſti ſtatim ceſſabit.Itẽ ſi herba Gentiana ponat in uino,uel in pulmẽto,& uinum bibat,uel pulmentũ comedatur,uox multum clarificabit.Item ſi uis aquã in uinũ cõuertere,accipe pottum magnũ,& imple optimo uino, & ſuppone illi potto uino pleno alembicum,& diſtillet.feces uero in potto remanentes poſt diſtillationẽ deſicca & pulueriſa.de illis puluerибus ſi proportionabiliter in aqua poſueris & miſcueris,recipiet saporẽ uini. Idem fit ſi uinũ infra alembicum ponatur,ſicut ponuntur roſæ,& diſtillet.Item accipe panẽ ordeaceũ ſtatim de furno extractum totum calidũ, et pone illum per fruſta in bono uino,et cũ fuerint illa fragmenta uino imbibita,ꝑmitte deſiccari ad ſolẽ. poſtea de pane illo pone in aqua, et recipiet saporem uini et colorẽ. De uino,eius natura & conditionibus in dict.arbor,aqua,caput,caſeus,caules,claretum,ebrietas,hedera,æs,nectar,paralyſis,impetigo,roſmarinus De uentre, eius paſſionibus et remedijs in dict.abſynthium,aqua,dolor uentris,dolor capitis,ferula,inteſtina, ſal, ſtomachus, urina. De uoce in dict.carica,dactylus,dulcia,raucedo,cepa,phrenetici,guttur,inſtrumẽta muſicalia,raucus,uinum,zizania. Mulieres & pueri uocẽ habent acutã, quoniã ꝓpter debilitatẽ paucũ aẽrem mouent,et quod eſt paucũ mouet uelocius,ideo eorꝝ uox uelox,& acuta. Mares autem & ſenes multum mouent aẽrem,ideo ſunt grauioris uocis,quia quod eſt multum tardius mouetur.Neruos autem & arterias habent fortiores maſculi quàm fœminæ,& ſenes q̃ʒ paruuli,& non caſtrati q̃ʒ caſtrati.ergo propter neruorum debilitatem ſunt uoces caſtratorꝝ ſimiles uocibus fœminarũ, teſte Ariſtot. De uomitu & eius remedio in dict.Balauſtia,caput, cardamomum,caſtanea,claretũ,fraxinus,febris cotidiana, fœniculus,ferula, ferrugo,põticus ſapor,prægnans ſeu imprægnatio,ſaliunca, ſtomachus.

Aquam in uinum conuertere.

De Vrina. Cap. CCCXII.

VRina illud quod tangit,mordet, deſiccat,& urit. Virtutem habet uritiuã,deſiccatiuã, & corroſiuã. ideo ualet contra ſcabiem,ſerpiginẽ,impetiginem.contra puſtulas & ueſicas cutis,ſi paciens tali cum urina,maxime ieiunus,locum abluerit In potu ſpleneticis cõfert,uulnera putrida mundat, & loca ſanioſa cum felle accipitris collyriata, & oculis caute linitis immiſſa, pannum ſeu telam oculi corrodit,& oculorũ maculas delet. Vrina item ſtatum demõſtrat uirtutis naturalis,ſanitatem uel infirmitatẽ, & hoc maxime per ſuã reſidentiam,quæ à medicis uocatur hypoſtaſis.Nam ſi illa reſidentia ſeu hypoſtaſis fuerit in fundo uaſis alba pinea coadunata, nec diuiſa ſiue ſparſa, deſignat fortitudinem uirtutis, & completam actionem caloris naturalis ipſius membri.Per mediã autem regionem urinæ, quam medici Eucornea dicunt,de media regione corporis, id eſt, de corde & ſibi adiacentibus iudicamus. Quia ſi urina in medio ſui fuerit in colore & in ſubſtantia diſpoſita, non liuida, nec nebulis quibuſdam obſcuris obumbrata, indicat ſpiritualia membra eſſe ſana. Conſimili modo per partem urinæ ſuperiorem quam nephelen uocant,de fortitudine uirtutis animalis in regione capitis iudicamus. Nam ſi non fuerit circulus nimis groſſus,nec igneus nec liuidus,nec uiridis nec granuloſus,ſed in colore & ſubſtantia temperatus, cerebrum & omnia alia membra uirtuti animali ſeruientia ſignificat eſſe tuta. Iudicatur autem urina præcipue per ſubſtantiam & colorem. Nam aliud ſignificat quando eſt tenuis in ſubſtantia,quoniam humoris dominantis humiditatẽ. Aliud quãdo eſt mediocris,quia tunc deſignat temperamentum, ſiue æqualitatem & mediocritatem.Secundum colorem autem iudicamus, quia multis coloribus urina uariatur.Quidam colores ſignificant caloris & frigiditatis intenſionem.quidam ſignificant caloris & frigiditatis remiſſionem. Aliquando deſignant prædictorum mediocritatem.Nam remiſſum calorem deſignãt glaucus color,ſimiliter lacteus,& huiuſmodi.intenſionem uero deſignat à rufo ſuperius.Mediocrem calorem deſignant ſubcitrinus, ſubrufus. Quidam etiam colores mortem ſignificant & mortificationem ut color niger,uiridis,liuidus.Quidam ſignificant indigeſtionem,ut albus,lacteus,glaucus.quidã indigeſtionis imperfectam inchoationem, ut ſubpallidus & pallidus. quidam perfectam ut citrinus, rufus. quidam exceſſum ſiue excedentem intenſionem,ut ſubrubicundus & rubicundus. quidam aduſtionem & mortificationem, ut niger,uiridis.Nigredo quandoq; dominatur in colore urinæ à frigiditate, calorẽ naturalem penitus extinguente,& eſt ſignũ mortis. ſed tunc p̃cedit liuiditas.ſed quando nigredo ex ultima aduſtione, tunc præcedit uiriditas.

Color autē niger in urina quandoq; causaī à frigiditate, tuncq; signū est mortificationis atq; mortis, quia signū est extinctionis caloris naturalis. Quandoq; causatur ab excedente caliditate, & tunc est signū adustionis ideoq; urina nigra diuersa & aduersa significare potest. Aliquando eñ significat solutionē Quartanæ in illis qui eā patiunt, & sic p̄tendit sanitatē. Quādoq; etiā significat adustionē & mortē, ut in acuta febre. Similiter quādo urina fœtet, signum est dissolutiōis atq; mortis. De ueneno, eius signis et remedijs in dict. acetum, allia, animalia, apium, aqua, aranea asinus, basiliscus, butyrum, calamentum, cancer piscis, canis, capra, caput caseus, castanea, caules, cedrus, centaurea, cepa, cypressus, color, coturnix crocus, cucurbita, diptamus, dolor capitis, hœdus, electrum, helleborus, heliotropium, fraxinus, fœniculus, ferula, galbanū, gallus, gentiana, hircus, iuniperus, lactuca, lappa, lepus, lilium, lingua aspidis, mandragora, menta, myrrha, morus, myrtus, musca, mustela, nitrū, nux, sapphirus, sal, synapis, saluia, serpēs, scorpio, theriaca, triticū, uultur. Puluis de uitro bene trito, dentes mundificat, oculoꝝ albuginē delet. in uino potus, uesicæ lapidē frāgit atq; renū. Gagates lapis rudis, sed tamē p̄ciosus, qui primò in Gagate fluuio Siciliæ inuentus. Quidā est glaucus, quidā niger. niger planus est et leuis, cōbustibilis, igni adpositus quasi thus ardet, aquā superinfusa accendit, oleum extinguit. accēsus odore suo serpētes fugat, dæmoniacis prodest, dæmonibusq; cōtrarius esse credit. Virginitatē p̄bat & demōstrat, quia aqua eius à puella bibita, si uirgo est, nō urinabit: si autem nō est uirgo, statim urinabit, cōtraq; uoluntatem suā. Item si uis cognoscere utrū mulier sit uirgo, facias eā mingere sup maluā uiridē, & pone maluā in loco secreto, quæ si illo die uiridis p̄manserit, uirgo est. si nō uiridis, corrupta est. Ad p̄dicta itē cognoscēdā accipe Lappatiū, & subfumigabis eā cum illo, si corrupta est, statim minget. si est uirgo, non minget. Vaccæ quādo uno anno (ut pastores ferunt) multocies imprægnant, pluresq; uitulos generāt, signū est multæ pluuiæ sequētis hyemis. De uentris uentositatibus et remedijs in dict. absinthium, anethum, anisum, appetitus, carica, cyminum, colica, dolor capitis, gith, legumina, pulegium, ruta, sal, zizania. Vnguentum cōtra pruritum siue scabiē. Recipe radicis Enulæ cāpanæ bene tritæ. ℥. j. axungiæ porcinæ recentis. ℥. ß. & incorporent. Item ad idem cōtra pruritum. Incorporet diligenter axungia porcina, id est, pinguedo bene recens cū modica terebinthina ad modum unguenti. Item cōtra pruritum & scabiem simul. Recipe succi radicis Enulæ cāpanæ. ℨ. iiij. succi fumi terræ. ℨ. ij. succi Plantaginis. ℨ. j. thuris albi. ℨ. ß. olei laurini, olei rosacei complete añ. ℨ. j. axungiæ recentis. ℨ. iij. ceræ mundæ q. s. fiat unguētum. Si autem multum excedat scabies cum pruritu, fiat unguentum de cerusa sicut sequitur. Vnguentum de cerusa

Aqua, in qua triduò Gagates iacuerit, à puella bibita, uirginitatem eius probat

ſecundum Ioannem Meſue, faciens ad ulcera et excoriationes quæ fiunt ex cholera aduſta & phlegmate ſalſo, & ualet ad ſcabiem ſiccam, cõbuſtiones & Eryſipelas. Recipe Ceruſæ, lithargyrij añ. ʒ. vi. plumbi aduſti, ſcoriæ argenti añ. ʒ. iiij. maſticis, olibani añ. ʒ. ij. ß. olei roſacei & aceti albi q. ſ. fiat unguentum. De unguento in dict. abſinthium, auripigmentum, cyprus, crocus, dolor capitis, myrtum, populus, remedia.

De Violis. Cap. CCCXIII.

Violæ folia ſunt naturæ frigidæ & aquoſæ, laxatiuæ. Vnde uiolæ cum melle in aqua decoctæ uentrem laxant. Similiter ſi tritæ cum zuccaro bene commixto ponantur in uaſe uitreo ad ſolem, quando eſt feruor æſtatis, & diu in ſole ſtent, fit electuarium. Quia dum uentrem laxat, inflationem mitigat, calorem febrilem alterat, ſitim ſedat. Conſimili modo fit electuarium quod uocatur Diaborraginatũ cum zuccaro cõmixto, diu ad feruorem ſolis apoſitis. Violarũ ſemen partum eijcit, & de uentre excludit. lumbricos occidit, calefactioni hepatis ſubuenit. Viola recens melior eſt quàm antiqua. odor uiolæ cerebri calorem mitigat, ſpiritus animales recreat & cõfortat, ſomnium prouocat, quia cerebrum refrigerat, temperat, & humectat. Pinguedo uulpis multum ualet cõtra neruorꝝ contractionẽ ſi inungant. ſanguis eius dicitur ualere ad frangendum lapidem in ueſica & renibus. Plinius itẽ refert. Si quis linguã uulpis habuerit in annulo uel armilla, talis oculorꝝ caliginem non pacietur. De uentoſis in dict. alimentũ pinguedo. de uiſceribus in dict. colica, inteſtina, torſiões, uenter. Succus urticæ cum uino bibitus, ualet cõtra melancholiã & cholicam paſſionem. Cum melle mixtus & comeſtus, curat antiquã tuſſim, & pulmonẽ mundat. uentris inflationem ſedat & tumorem. Folia eius cum ſale contrita, uulnera ſanant & curant, ſi deſuper emplaſtrentur. ſanant etiã morſum canis & cãcrum. Radix eius trita cum uino & oleo cocta, ualet contra tumorem ſplenis. ſuccus eius fluxum ſanguinis & menſtrua reſtringit. Semen eius cum uino bibitum, præcipue mixtum, uenerem mouet & urinam prouocat. Hæc herba recens cocta uentrem laxat ſi comedatur. Et Vrtica recens quãdo primo creſcit in Martio, ſi decoquat̃ in bono oleo & comedatur, uentrem laxat, contraq; multas alias ualet paſſiones.

Vulpis pinguedo cõtra neruorum ualet contractionem.

De Zizania. Cap. CCCXIIII.

Zizania eſt herba inutilis & infructuoſa, q̃ uocat̃ Loliũ. naſcitur aũt inter triticũ, maxime tẽpore ſicco, & q̃diu eſt in herba, aſſimilat̃ tritico. ſuffocat triticũ, & multũ lædit niſi à tritico eradicet̃. Zizania habet uim acutam, quaſi ueneno ſam, inflatiuã,

inflatiuam,uentoſam.unde mentem inebriat,caput percutit,lædit,et dolorē facit.ſaporem panis cui admiſcetur immutat. Et ideo panis in quo eſt mixta,maxime notabili in quātitate, multum lædit, imò quādoq; interficit uel occidit.Item zizania ſi cū farina ordei, & puluere thuris atq; croci bene miſceatur, deturq; prægnanti ad comedendū,conceptū adiuuat & partum. Eadem bene trita,& cum thuris puluere mixta & aceto, ualet contra impetiginem, ſerpiginem, & pruritum. mixta cum ſemine cortice & radice,uulnus ſanat & mundificat putrefactum. Valet etiam contra fiſtulam & cancrum. matricem mire mundificat & diſponit ad conceptum.uide in dict.dulcia,lac prægnantis.

De Zinzibere. Cap. CCCXV.

ZInziber (quod radix eſt herbæ) calidum eſt & humidum. Valet contra torſiones, & contra cauſſas frigidas pectoris & pulmonis, ſtomachi dolorem & inteſtinorum ex incluſa uentoſitate uenientem mitigat & diſſoluit.Si uinum decoctionis eius cum cymino calidum aſſumatur,ſtomachum confortat,digeſtionem procurat,uiſum acuit,pannum ſeu telam oculi extenuat & conſumit.quāto eſt albius & recentius, tanto acutius eſt & melius.Per duos annos cōſeruatur bona in efficatia; poſtea areſcit,induratur & exiccatur.nec debet cōſeruari in loco calido; ſed mediocriter humido atq; frigido ne cito induretur & areſcat.Zinziber propter ſuam naturalem humiditatem à uermibus perforatur.conſeruatur autem optime inter piper,ut piperis ſiccitate zinziberis humor temperetur.

De Zuccaro. Cap. CCCXVI.

ISTud zuccarū melius eſt,quod cum ſtringit inter dentes crepitat,& in partes aliquantulū duras cōfringit.Illud aūt quod inter dentes poſitū non crepitat quando maſticatur, ſed cito liqueſcit & euaneſcit, eſt minus bonum. Bonum autem ad ſolem poſitum quando de nouo fit,induratur & albeſcit. Zuccarum bonum & temperatum ſuis in qualitatibus,uirtutem habet colatiuam,diſſolutiuā,extenuatiuam,uentris quoque abſq; ulla morſura humectatiuam, & ſtomachi mundificatiuam, Tuſſis et raucedinis ablatiuam, humiditatis conſumptæ reſtauratiuam amaritudinis ſpecierum temperatiuam.ideo ualet in medicinis,electuarijs,pulueribus,& ſyropis. Ventrem tamen aliquantulum inflat,præcipue poſt cibum ſumptum.quia omne dulce ſua de natura eſt inflatiuū facile etiā in rubeā cholerā reſoluit & cōuertit ſi à cholericis comedatur. Etenim ſi acetoſitas choleræ acumen reprimit & extinguit, econuerſo inflatiua & omnia dulcia choleram accendunt & nutriunt.

Lunæ curſus, ætas, planetarumq; coniunctiones à perito medico præcipue obſeruanda. Cap. CCCXVII.

MOrborum mutationem medicus perfecte nõ diſcernit, qui lunares effectus humanis in corporibus non cognouit. Vn de Gal. de diebus creticis, Sic rem certam (quæ non fallit) attendat medicus, quam docuerint aſtrologi Aegyptiorũ, quod per coniunctionem corporis lunaris cum ſtellis fortunatis, fiunt ægritudines criminales ad bonum. cum contrarijs uero contrariæ, ſcilicet ad malũ. Ideo cautus medicus ut dicit Hipp. aſpicere debet lunã primam, id eſt, coniunctionẽ, et quando eſt plena lumine, hoc eſt in oppoſitione, quia tunc humores & medullæ in omnibus creſcũt, fitq; decrementũ uel incremẽtum in mari, & in omnibus rebus humanis iuxta lunæ diſpoſitionẽ aliam atq; aliam. Quando ergo infirmus decũbit, neceſſe eſt uidere, utrum luna ſit combuſta. quoniam ſi luna tunc fuerit cum malo planeta, ut ſunt Mars & Saturnus, aut in malo ſigno, et aſpexerit domũ mortis, quæ ſignum eſt. viij. ab horoſcopo, nec non aſpexerit dominũ domus mortis aſpectu malo, tunc de morte eſt timendum. Si uero fuerit cum bono planeta, & in bona domo ſiue ſigno, & aſpexerit domũ uitæ, uel eius dominum aſpectu bono, ut ſunt aſpectus trinus & ſextilis, tunc ſperandum eſt de uita. Item eclipſis lunæ, maxime in hyeme, ſi fuerit in ſignis frigidis, ſignificat exceſſum frigiditatis, & nimiæ cõſtrictionis in terra, aëre, & in aquis. Si uero fuerit in ſignis aquaticis, futurã deſignat nimiam inundationem pluuiarum. Si uero fuerit in ſignis aëreis, periculum tempeſtatum prætendit & uentorum. Vnde dicunt Ptolemæus & Albumaſar, Luna exiſtens in ſecundo ſigno poſt aſcendens, terrorem & triſticiam deſignat, ablationem ſubſtantiæ per fures, latrones, & prædones. Similiter in quarto, ſexto, & in octauo ab horoſcopo rixam, anxietatem, fugam & mutabilitatem in ipſo ſignificat.

DE VRINIS. CAP. CCCXVIII.

VRINA eſt colamentum ſanguinis. & eſt duarum rerum proprie ſignificatiua. Aut enim ſignificat paſſionem hepatis & uenarum, aut ueſicæ & renum. aliarum rerum eſt improprie ſignificatiua. Sed in urina diuerſa ſunt cõſideranda, ſcilicet ſubſtantia, color, regiones & contenta.. Aliud eſt enim cauſſa ſubſtantiæ, aliud cauſſa coloris, aliud cauſſa regionis. Cum enim in humano corpore quatuor qualitates, ſcilicet caliditas, frigiditas

giditas

giditas,ſiccitas & humiditas ſint cauſſæ ſubſtantiæ.caliditas eſt cauſa colo ris rubei,frigiditas eſt cauſa coloris albi:ſiccitas eſt cauſſa tenuis ſubſtantiæ,humiditas eſt cauſſa ſpiſſæ ſubſtantiæ. Vrina autem plures in partes diuiditur.Superior pars circulus.ſecunda corpus aëris.tertia perforatio.quarta fundus. Per circulum ægritudinem capitis & cerebri, per corpus aeris,ægritudinem ſpiritualium membrorum & ſtomachi, per perforationem hepatis & ſplenis,per fundum renum & matricis,inferiorumq; membrorum accidentia iudicamus. Item in urina ſunt tres regiones,ſcilicet infima,media & ſuprema.Infima incipit à fundo urinalis,& durat per ſpatium duorum digitorum. Media regio incipit ubi infima terminatur, & durat nſq; ad circulum : qui circulus eſt in ſuprema regione.& quando in iſta ſuprema regione eſt ſpuma,ſignificat uentoſitatem ebullientem in uijs urinalibus,uel inflationem,ſeu aliud pulmonis uitium. Circulus uero groſſus ſignificat nimiam repletionem in capite & dolorem.& quando in circulo ſunt grana quaſi alba, ſignum eſt rheumatis indigeſti,et oppilationis in hepate.In regione media ſunt aliquando fila uolitantia albi coloris,& tunc eſt ſignum mortale,ſi ibi quædam nebula eſt.In ſanis malum ſignum eſt.ſed in febricitantibus ſi talis nebula ſit diuulſa,ſignificat principium digeſtionis materiæ morbi.& ſi fuerit unita,tunc ſignificat digeſtionem completam, curſumq; laudabilem & ſalutem. In infima regione ſunt aliquando lapilli arenoſi,& tunc denotat quod paciens eſt calculoſus. Sedimen autem aliquando eſt nigrum.& tunc niſi fuerit per talem urinam expulſio materiæ uenenoſæ,ſignum eſt mortis. Rufa urina ſignificat ſanitatem,& bonam diſpoſitionem corporis humani. Vrina ſubrufa ſanitatem bonam ſignificat,ſed non ita perfectam,ſicut omnino rufa. Vrina citrina,quando circulus eſt eiuſdem coloris,eſt laudabilis: Similiter & ſubcitrina,licet non ita perfecte,ſicut omnino citrina. Vrina rubea ſicut roſa,ephimeram febrem ſignificat.& ſi cõtinue mingatur,febrem ſignificat continuam. Vrina rubea ſicut ſanguis in uitro,ſignificat febrem ex nimio ſanguine.& tunc ſtatim debet fieri minutio,niſi Luna fuerit in medio geminorum. Vrina uiridis quando mingitur poſt rubeam,ſignificat aduſtionem,& eſt mortalis.Similiter urina nigra poſt rubeam eſt mortalis.

Vrina rubea à claritate omnino remota,declinatiõem morbi ſignificat. Vrina rubea permixta aliquantulum nigredini uicina,hepatis calfactionem ſignificat. Vrina pallida ſtomachi defectionem ſignificat,& impedimentum ſecundæ digeſtionis. Vrina alba ſicut aqua fontis,in ſanis ſignificat cruditatem humorum, & in acutis etiam febribus eſt mortalis. Vrina autem lactea cum ſpiſſa ſubſtantia, ſi accidit in mulieribus, non eſt ita periculoſum ſicut in uiris,propter indiſpoſitiones matricis.

tamen in acutis febribus est mortalis. Vrina item lactea inferius & superius obumbrata, circa mediam regionem clara, Hydropisim significat. Vrina in Hydropicis rufa uel subrufa, mortem significat. Vrina karopos significat multitudinem humorum corruptorum, sicut accidit in phlegmatico, hydropico, podagrico, & sic de alijs. Vrina nigra potest esse ex calore naturali extincto, & tunc est mortalis. uel potest esse propter expulsionem materiæ uenenosæ, quæ expellitur per uias urinales, & tunc significat salutem. In Quartana autem est mortalis. Vrina lucida sicut cornu, significat indispositiões splenis, & dispositiones Quartanæ. Vrina crocea est cum spissa substantia, & est fœtida & spumosa & significat Ictericiam. Vrina rufa uel subrufa inferius habens resolutiones rotundas & albas, superius aliquantulum pinguis, febrem hecticam ostendit. Vrina in fundo uasis usq; ad medietatem clara, postea uero spissa & tenuis, grauedines pectoris significat. Vrina spumosa clara, & quasi subrubea, dolorem in dextro latere maiorem quàm in sinistro significat. Si urina spumosa & alba sit, significat maiorem dolorem in sinistro latere. frigidius enim est sinistrum latus quàm dextrum. Si circulus urinæ nullo inquiescente tremulus apparuerit, decursum phlegmatis, aliorumq; humorum à capite per collum, & per posteriora ad inferiora significat. Vrina tenuis, pallida, & clara, acetosum phlegma significat. Vrina spissa plumbea, circa mediam regionem nigra, Paralysim significat. Vrina spissa & lactea, & pauca & crassa inferius cum squamis, lapidem ostendit. Si urina sine squamis spissa, & lactea & pauca fuerit, uentris fluxũ significat. Vrina spissa & lactea, & multa, guttã in superioribus partibus uel membris corporis significat. Vrina inferius pallida, in uiris renum dolorẽ significat. in mulieribus aũt uitiũ matricis. Vrina in quã frustula apparent, si pauca sit & turbida, uenæ rupturam circa renes & uesicam significat. Vrina in qua sanies apparet in fundo uasis contigua, renum & uesicæ, putredinem uel apostema significat. & si in tota urina sanies appareat, tocius corporis putredinem significat. Vrina in qua frusta apparẽt, parua & lata, uesicæ excoriationem significat. Vrina arenosa per multum tempus, lapidem in renibus significat. Vrina alba sine febre in uiris & mulieribus, aliquando dolorẽ renum, aliquando imprægnationem mulierum significat. Vrina impræ gnatarũ si unum mensem, duos uel tres habuerint, debet esse multũ clara, & in fundo albam habere debet hypostasim. Si uero quatuor habuerint mẽses, urina debet esse serena, & hypostasis alba & grossa in fundo Solet imago in uase urinali tanq; in speculo apparere. Si urina illa sit mulieris, conceptionem factã significat. Et si imago iudicantis apparuerit in urina pacientis, febres interpolatas, uel hepaticã ægritudinem, & prolixitatem

Vrinarum significationes.

xitatem morbi significat. Vrina spumosa uentositatem stomachi in mulieribus, uel ardorē ab umbilico usq; ad guttur, & sitim significat. Vrina uirginis quasi subcitrina debet esse. Vnde urina liuida nimis, uirginem declarat constantem. Vrina turbida in qua semen apparuerit in fundo uasis, mulierem recentē cū uiro coijsse significat. Vrina mulieris densa, eam esse corruptam tunc declarat. Prædicta autem urina saltem turbida, in qua semen apparet in fundo uasis. Si urina talis fuerit in uiro, eum recentē cum muliere coijsse declarat. Mulieres menstruatæ urinam faciunt sanguineam. Si urina turbida uelut subiugalium, semen habuerit, uuluæ matricis dolorem significat. Vrina multum nigra mulieribus superueniens, si mota aliquantulum ruborem habuerit, solutionē menstruorum significat. Iste est modus iudicandi urinas. Consideratis omnibus quæ à medico exterius cōsiderari debent, sic procedendum Primo uidendum de coloribus. Secundo de substantia. Tertio de contentis. Et sic poteris cognoscere quis humor dominetur in humano corpore. Si ergo urina apparuerit tenuis & alba, melancholia dominatur. Si uero apparuerit alba & spissa, significat phlegma dominari. Si apparuerit spissa & rubea, sanguis dominatur. Si uero rubea & tenuis, cholera dicitur dominari. Et nota quod sanguis in anteriori parte capitis dominat̄. cholera in dextra parte. phlegma in posteriori parte. melancholia in sinistra parte capitis dicitur dominari. Circulus rubeus dolorem in anteriori parte significat. circulus citrinus in dextra parte, circulus albus in posteriori parte, circulus niger in sinistra parte capitis dolorem adesse significat.

Libri medicinalis seu medicamentorum D. Vitalis de Furno, &c. ad uarias, & tocius humani corporis ægritudines, finis.

MOGVNTIAE APVD IVONEM SCHOEFFER
(à cuius proauo Ioanne Faust, chalcographicè olim in urbe Moguntiaca primum, nec usquàm alibi, inuenta, exercitaq; est) mense Augusto.
ANNO M. D. XXXI.